



Doctor D. Cesáreo Rodrigo,
Presbítero.

83/2

LECTIONES PHILOSOPHIÆ,

QUAS

IN COLLEGIO VALLISOLETANO ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

PROVINCIAE SS. N. JESU INSULARUM PHILIPPINARUM

TRADEBAT

P. LECT. F. JOACHIM Á JESU ALVAREZ

ejusdem familiae alumnus.

Si sapientia Deus est per quem facta sunt omnia, sicut Divina auctoritas veritasque monstravit, verus philosophus est amator Dei.

S. P. August. De C. D. 1. 8. C. 1.

AD EJUSDEM COLLEGII USUM EDITÆ.

VOLUMEN PRIMUM.

LÓGICA.

R7194



VALLISOLETI.—APUD GARRIDO.

1868.



(K/8)

11

2/5

83/2

LECTIONES PHILOSOPHIÆ,

QUAS

IN COLLEGIO VALLISOLETANO ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI

PROVINCIAE SS. N. JESU INSULARUM PHILIPPINARUM

TRADEBAT

P. LECT. F. JOACHIM Á JESU ALVAREZ

ejusdem familiae alumnus.

Si sapientia Deus est per quem facta sunt omnia, sicut Divina auctoritas veritasque monstravit, verus philosophus est amator Dei.

S. P. August. De C. D. 1. 8. C. 1.

AD EJUSDEM COLLEGII USUM EDITÆ.

~~~~~  
VOLUMEN PRIMUM.  
~~~~~

LÓGICA.



VALLISOLETI.—APUD GARRIDO.

1868.



Jesu mitis et humilis corde :

Omnia mea, jam scis, tua sunt, accipe igitur quod offerimus,
via, veritas et vita nostra, et redóna quod amamus.

*Fr. Joachim á Jesu
Alvarez.*



F. CÆLESTINUS MAYORDOMO LECTOR ET EX-PROVINCIALIS

PROVINCIE SSMI. N. JESU EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI INSULARUM PHILIPPINARUM, COMMISSARIUS GENERALIS EJUSDEMQUE PROVINCIE PROCURATOR, NEC NON VICARIUS PROVINCIALIS AC EJUS IN PÆNINSULA COLLEGIORUM VISITATOR, etc.

Cum nostro jussu recognitæ fuerint, ac examinatæ á doctis ad id deputatis viris R. P. Lect. jub. Fr. Emmanuele Jimenez, et R. P. Lect. jub. et Studiorum Regente in Collegio S. Mariæ de la Vid Fr. Joachimo Garcia *Lectiones Logicæ*, quas in nostro Vallisoletano Missionum Collegio tradit et explicat R. P. Lect. Fr. Joachimus á Jesu Alvarez ejusdem Collegii ac Missionum alumnus; cumque iidem RR. PP. non solum non invenerint in eis quid fidei, quid bonis moribus contrarium, quid tandem censurâ dignum, sed potius ob earundem selectam methodum, doctrinæ copiam et opportunitatem firmiter tenent perutile esse, ac valde opportunum fore ad veræ moralitatis et christianæ Philosophiæ principiis juvenes imbuendos, ut eadem Lectiones in lucem edantur studiosis que tradantur.

Quapropter tenore præsentium, quantum ad Nos attinet, facultatem impertimur, ut ab his, ad quos de jure exspectat, valeat prædictus Lector procurare, et obtinere facultates et licentias, ut prælo dentur, et in lucem edantur prædictæ Lectiones; hortantes eum curet ut hæc nostra licentia, uti et cæteræ, quæ de jure requiruntur, in principio apponantur.

In quorum fidem præsentem litteras damus in nostra Commissariæ domo, Matriti die S. M. Monicæ quarta Maji anno Domini N. Jesu Christi millessimo octingentesimo sexagesimo octavo.

F. Cælestinus Mayordomo.

JOANNES IGNATIUS, MISERATIONE DIVINA SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIAE PRESBYTER CARDINALIS MORENO, ARCHIEPISCOPUS VALLISO-
LETANUS, JUNCARIAE DE AMBIA PRIOR ET DOMINUS, REGALIS AC PRÆ-
CLARI ORDINIS HISPANICI CAROLI III MAGNÆ CRUCIS EQUES, REGNI
SENATOR REGIUSQUE CONSILIARIUS, etc. etc.

Quum operis cui titulus: «*Lectiones Philosophiæ, quas in Collegio
Vallisoletano ordinis Eremitarum S. Augustini provinciæ SSmi. Nominis
Jesu Insularum Philippinarum, tradebat R. P. Lector Fr. Joachim á
Jesu Alvarez, ejusdem familiæ alumnus,*» volumen primum, Logicam
complectens, jussu nostro examinatum, nihil contineat, juxta censu-
ram, Ecclesiæ doctrinæ contrarium, quinimmo studiosæ juventuti utile
sit; licentiam ut typis mandetur atque in lucem edatur, quod ad Nos
attinet, impertimur. In cujus fidem præsentis litteras expedire decre-
vimus Vallisoleti 16 Jullii 1868.

Joannes Ignatius Cardinalis Moreno
Archiepiscopus Vallisoletanus.

L. † S.

De mandato Emmi. ac Rmi. Domini mei Cardinalis Archiepiscopi,
DR. D. CÆSARIUS RODRIGO,
Canonicus Sris.

RATIO SCRIBENDI.

Cum non pauci philosophiæ libri ad manus pervenissent meas, attentèque eos legerim, sermonis copia atque elegantia refertos, soliditate doctrinæ simul ac perspicuitate inveni; nihilominus incommoda nonnulla, saltem relaté ad nos, præ se ferunt, et scopum nobis propositum parúm attingunt; etenim alii nimis diffusé paucoque ordine tradunt doctrinas elementales: alii exstant supra modum obscuri, tum propter defectum methodi, tum propter multiplices subtilitates, tum etiam quia latino sermone non nihil abutuntur et feré impervium tyronibus faciunt, quorum gratia é contra claritatem in omnibus, quantum possibile sit, sectandam ducimus; alii vero compendiosi nimis, alii vero novitatibus improbatis plus justo indulgent, cum alteri vitio laborent contrario, et veros doctrinæ fontes indicare dedignentur. Ecce, iis permotus, et hos scopulos debitare cupiens, habensque semper præ oculis statum nostrum, et officia sancta, atque tempus studiis, et lectionibus ex sacris Constitutionibus dicatum, sequentes Lectiones scribere constitui. *Cum meum propositum sit antiquos legere, probare singula, retinere*

quæ bona sunt, et à fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere (1), ex probatissimis Auctoribus eas magna ex parte concinnavi, fidelitèr loca, scatebrasque indicando, ut studiosi juvenes sciant fontes ad quos recurrere debeant cum primas cupiant evolvere ideas; ita perpetuo me geram præsertim quoad S. P. Augustinum ejusque fidelem interpretem S. Thomam. Faxit Deus O. M., cujus Providentia innitor.

STUDIOSO LECTORI.

Quæ et qualis est illa magna et fundamentalis quæstio, quæ hodie omnium mentes adeo præoccupat? non alia profectò nisi ea, quæ acritèr agitur ab iis, qui ordinem supernaturalem negantes bellum indixèrè adversus eos, qui illum admittunt certum supremumque, quamvis humanæ rationi impervium; si res proprio nomine insignire velimus, hæc, et non alia, est illa quæstio, quæ ab iis, qui sub vexillo supernaturalismi, vel rationalismi respectivé militant: una ex parte arma digladiantur increduli, pantheistæ, sceptici et rationalistæ puri, ex alia vero Christiani omnes: illi Deum verum ex hoc mundo relegant, isti verò credunt in Deum vivum (2). Ex illo fatali die, quo Rénatus Cartesius proclamavit pro scientiis philosophicis, non aliter quam Luterus in religiosis, rationis independentiam, abrumpens scientificam traditionem, reviviscere cœperunt absurdæ Theoriæ veterum gentilium philosophorum, et denuò, ut ratio et historia probat, idealismus atque sensualismus omnia veritatis jura usurpare

(1) S. Hierom. Epit. ad Miner. et Mex.

(2) Guizot, protest.

tentarunt ac tentant, prodeuntes juré vel injuriâ é Cartesianis principiis (1). Cæterum, Deo miserente, nostra tempora æquiora evadunt, et tales doctrinæ jamjam consenuerunt: frigescunt nobis sensistarum dicteria et sales: ridiculæ nugæ panthe-egoistarum ad fastidium et nauseam provocant, et *reidianæ* scholæ facilitas non sapit amplius. Nos veró nec novitatem aspernemur severiús, nec aucupemur avidiús; sed veritati, comitique veritatis utilitati unicé inserviendum studeamus: veritas enim, quemadmodum illa essentialis veritas ómnium veritatum fons et origo, Deus, omnibus sæculis benigné affulget, nec antiqua est nec nova: quamvis ejus salutare radii, ut ita dicam, in Physicis præsertim, á recentioribus adinventi cum magna utilitate fuere, quamplurimi veró obscurati et obtenebrati ex eorum superbiæ officinis evaserunt: maximam enim difficultatum partem sustulerant profundæ, subtilesque veterum disputationes, quas immeritò recentiorum plerique neglexerunt, quo factum est, ut solutajam à veteribus problemata iterum sibi proponerent ac solvere tentarent, et contigit, quod ea nec apté proponerent, nec apte, sed pessimé solverent.

Cæterum, carissimi fratres, qui ad Sacræ Theologiæ Jurique Canonico operam navandam comparandi estis, vigilantiores estote, et operam date quantum possibilitas præstet, illi omni pulchritudine, suavitate, et jucunditate reffertæ scientiæ, philosophiæ, est enim omnium scientiarum naturalium mater et magistra (2): ipsa est etenim, quæ omnium rerum altissimas causas perscrutatur, et *felix homo, qui pòtuit rerum cognoscere causas* (3); ipsa est enim, *quæ docet scire versutias sermonum et dissolutiones argu-*

(1) Cons. Caj. Senseverinum, phil. Christ. etc. Log. Vol. 3. C. 2. art. 6. et vol. 1 introduc.

(2) S. Thomas Summa Cont. Gent. 1. 3, cap. 25.

(3) Hesiodus.

mentorū, dispositionem orbis terrarū, et virtutes elementorū (1): est enim, ut ait S. P. Augustinus, *Eruditio artium liberalium, modesta, sana, atque succincta, et alacriores, et perseverantiores, et comptiores exhibet amatores amplectendæ veritatis, ut et ardentius appetant, et constantius insequantur et inhæreant dulcius* (2) unde 2.º de Trinit ait; *Non ero segnis ad inquirendam scientiam Dei, sive per scripturam, sive per creaturam.* Date igitur omnem operam, charissimi, philosophiæ, si alias quas-cumque scientias degustare desideratis, scientes leves gustus in philosophia movere fortasse vos posse ad atheismum; sed pleniores haustus ad religionem reducere (3). Enimvero meminisse oportet illud Sapientiæ; *in malevolam animam non introibit sapientia* (4), et scire debetis, quod *scientia Sanctorum est prudentia* (5).

(1) Sap. 8—8.

(2) Cons. Lib. cont Acad. Lib. 1. c. 1. n. 3.; id. Lib. 2. c. 2. n. 6.; de ordin. L. 2. c. 5. n. 16.

(3) Baconius, de augm. scient. Lib. 1.

(4) Sap. 1.—4.

(5) Prov. 9.—10. Cons. Clem. Alexand. Stromatum L. 1., ex quo in hac materia non paucum fructum haurietis.

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ.

PROLEGOMENA.

1. Philosophia, si nomen ipsum interpretare velimus, nihil aliud est, quam amor sapientiæ (1), re autem ipsa, juxta mentem veterum, significat *sapientiam*, id est, ut ex Tullio novimus (2), *rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæc res continentur, scientiam*. Omnes huic disciplinæ addicti, teste eodem Tullio (3), sapientes habiti et dicti sunt usque ad Pythagoræ ætatem, qui modèstius de se ipso sentiens, Philosophum, id est, amicum sapientiæ se dixit, responsum reddens Leonti principi Philiaciorum, qui ab eo quæsierat, qua máximé arte confideret? (4): quo ex tempore sapientiæ cultores Philosophorum nomine contenti, eam, quam profitebantur, scientiam Philosophiam vocarunt (5). A recentioribus variæ circumfe-

(1) 'Quid est Philosophia?' amor sapientiæ. S. P. August. Cont. Acad. Lib. II. cap. 3. n. 7.

(2) Lib. 2. de off.

(3) L. 5. Tusc. quæst. cap. 3.

(4) Id. Tusc. lib. V. §. 3.

(5) Qui (*Pythagoras*) cum ausus non fuisset sapientem se profiteri, Philosophum potius, id est, amatorem sapientiæ se esse respondit, à quo id nomen exortum ita deinceps posteris placuit, ut quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi, vel aliis videretur excellere non nisi philosophus vocaretur. S. P. Aug. De Trinit. Lib. 14 c. 1. n. 2., id. De Civ. Dei Lib. 8. c. 2.; S. Thom. Metaphy. L. 1. lect. 1.

runtur Philosophiæ definitiones, quæ tamen, si sermo sit de iis, quæ apud auctores melioris notæ leguntur, in eundem fermé recidunt sensum, juxta quorum mentem Philosophia recté potest definiri, *cognitio eorum, quæ sunt aut fiunt, esse aut fieri posunt, per ultimas in suo ordine causas ope ratiocinii*. Exinde Philosophia discriminatur á Sacra Theologia, quæ versatur tum circa res, quæ rationis captum superant, tum circa eas, quæ rationis lumine innotescunt, sed semper quatenus ex revelatione, non vero quatenus ratione apprehenduntur.

Ex hinc patet ejus unitas et universalitas. Mox videbimus hujus definitionis rationem.

Origo philosophiæ et fons est ipse Deus, veritas essentialis, qui cum nos fecisset ad se et ad sui imaginem et similitudinem indidit nobis naturale desiderium vera sciendi ac videndi, et hoc desiderium est philosophiæ occasionalis causa.

2. Objectum hujus scientiæ, sicut et aliæ cujuscumque, duplex solet distingui, *materiale* scilicét et *formale*: objectum materiale vulgo definitur *id, circa quod facultas aliqua, vel habitus, vel disciplina versatur*; ut visus circa lucem et colores, Ethica circa mores etc.; formale dicitur *ratio, vel modus, quo facultas, habitus, vel disciplina objectum suum materiale attingit*, et exprimitur his particulis *quatenus, prout, etc.*

3. Finis Philosophiæ est, non solum mentem humanam variis cognitionibus ornare, quæ Deum, spiritus creatos, societatem, et physicam naturam spectant, verum etiam hominemabilem efficere ad cæteras disciplinas rite acquirendas et exercendas, ipsum dirigere ad veri, honestique cognitionem, ac docere quænam appetere aut fugere debeat, ut in præsentī vita veram animi pacem sibi conciliet, perfectamque beatitudinem, faxit Deus, assequatur in æterna.

4. Ejus officium et munus est: 1.º *Erudire ad susci-*

piendam doctrinam vitæ (1); adulterinæ philosophiæ dogmata discernere ac disjicere, nefarios religionis hostes veritatem tuendo debellare, impiaque eorum systemata refellere: 2.° ut nihil doceat, quod revelatis doctrinis, iis etiam, quæ rationis vires exsuperant, utcumque oppositum sit: 3.° ut in illis, de quibus divina revelatio conticescit, ita opinetur, ut numquam á sententiis, quas amplectitur, ad conclusiones oppositas veritatibus revelatis ratiocinando deveniri possit: 4.° imó, ut quæ revelatio statuit, quæque rationi humanæ suis quoque viribus assequi possibile sit, diligenter explanet atque demonstret, iis vero, quæ rationis captum absoluté superant, quantum fieri potest, viam sternat, ut hominum animis suaviús atque jucundiús illabantur ac firmiter inhæreant; quæ quidem omnia rationi maximé consona esse nemo non videt. Veritas enim non potest veritati opponi: quidquid enim veritati opponitur falsum necessario est. Igitur cum ea, quæ divina auctoritate credimus, certissimam apud christianum habeant veritatem, quæcumque iis opponantur æquissimo profectó judicio damnentur necesse est. Iis servatis altequè animo infixis nulli scholæ præcisè adhærendum esse putamus, sed ubicumque veritatem inveniamus amplectendam ex animo esse non solum utilé, sed etiam debitum necessario est.

5. Quoad hujus scientiæ divisionem, ut ex ipsa definitione patet, sciendum est; objecta omnia, quorum humana mens potest rationes et ultimas causas inquirere, ad hæc revocantur: scilicet, 1.° ad ea quæ *sunt, vel esse possunt*:

(1) Clemens Alex. Quærens S. Basilius priorne sit cognitio, an fides? inquit; «in fide, quæ circa Deum versatur præit illa cognitio: *Deum esse*: hanc autem ex creaturis colligimus. Sapientiam namque, et potentiam et bonitatem, et omnia ejus invisibilia ex mundi creatione intelligentes, sic cognoscimus.... cognitionem istam fides sequitur.» Epist. 235 al. 401, n. 1.

2.° ad ea quæ *fiunt*, vel *fieri* possunt, tum in rebus inanimis, tum in animatis, cujusmodi est homo: 3.° ad ea quæ ab homine ipso *fieri debent*, aut *fiant convenit*.

Jamvero, 1.° Cum eorum quæ *sunt* rationes ultimas quærimus, vel quærimus, ultima *principia intrinseca*, vel *ultima principia extrinseca*; si quærimus ultimum ex *intrinsecis*, ipsum est *entis ratio* cum iis omnibus, quæ enti universim spectato conveniunt; si quærimus *ultimum in principis extrinsecis*, hoc est ens independens et necessarium, quod est *Deus*. 2.° Eorum, quæ in rebus *inanimis fiunt*, ratio ultima continetur *generalibus naturæ corporeæ viribus ac legibus*; quæ in rebus *animatis accidunt*, à *natura et facultatibus earundem ultimato pendunt*. 3.° Eorum, quæ *facere* homo debet, duplex est genus: alia enim operatur intellectu, quo tendit ad veritatem, alia voluntate, quâ tendit ad bonum; jam itaque operationum intellectus *normæ supremæ* ac veluti *exemplares causæ* sunt *regulæ recte judicandi*, operationum vero voluntatis *lex suprema honestatis*.

Igitur rationes rerum ultimæ ad sex istas revocari posunt, scilicet: *ratio entis*; *Deus*; *leges physicæ*; *natura animi*, *regulæ rectè judicandi*; *lex honestatis*.

6. Nunc veró, scientia illa, quæ de ratione entis, deque iis, quæ de ente dicuntur, universim pertractat, *Ontologia* vocari audit; quæ de Deo O. M., prout à ratione cognosci potest, *Theologia naturalis*, seu *Theodicea*; quæ de generalibus universi corporei legibus, *Cosmologia* nomine designatur: naturam animi perscrutatur *Psychologia*; regulas rectè judicandi tradit *Logica*; legem supremam honestatis ad *Moralem Philosophiam*, seu *Ethicam* pertinet perpendere ac examinare. Logica et Ethica *practicæ* sunt, cæteræ vero *theoreticæ* evadunt.

7. De iis omnibus, quantum tyronibus sufficiens sit, jamjam pertractandum est, quibus brevem tractatum de philosophiæ historia addemus, auspiciente providentissimo

patre nostro Deo. Sed qua tandem incipiendum est? S. P. Augustinus respondet (1): «Quando ergo (*ratio*) «transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi »quædam machinamenta et instrumenta distingueret, no- »taret, digereret, proderetque ipsam disciplinam dis- »ciplinarum, quam *dialecticam* vocant? Hæc docet do- »cere, hæc docet discere; in hac seipsa ratio demonstrat »atque aperit, quæ sit, quid vellit, quid valeat. Scit scire; »sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest.»

Ergo ab hâc incipiendum existimo, quidquid ali- quibus neotericis videatur et ipsi faciant.

LOGICA.

LECTIO 1.^a NOTIONES PRÆVIÆ, QUID SIT LOGICA, EJUS DEFINITIO ET DIVISIO.

8. Logica, à græco nomine *Logos*, quod ratio, et etiam verbum audit est, juxta suam etymologiam, *disciplina rationalis*; juxta id tamen, quod per hanc vocem significari solet, definire eam possumus: *Scientia, quæ ex- pendens intelligentiæ leges ex iis deducit regulas, quæ ipsam intelligentiam dirigunt tum in investigatione, tum in enunciatione veritatis*: vel pressius, *Scientia practica mentis operationes ad verum dirigens*.

Dicitur 1.^o *Scientia*, quia ex principiis certis et evidentibus infert conclusiones; sic ex isto principio: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, regulas syllogismorum deducit.

Dicitur 2.^o *scientia practica*, quia in objecti sui contemplatione non quiescit, sed etiam circa illud operatur

(1) De ordine Lib. 2 cap. 13. n. 38.

tradendo regulas, quibus perficiatur, et simul demonstrando has regulas tutas esse et certissimas; ideoque est etiam *ars*; *ars* enim, juxta S. Thomam (1), *est ordinatio rationis, quâ per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt.*

Dicitur 3.^o *mentis operationes ad verum dirigens*, et in hoc distinguitur ab *Ethica*, quæ eas operationes ad honestum dirigit: distinguitur etiam à *Psychologia*, quia quamvis objectum materiale sit idem, scilicet animi facultates, ista eas considerat prout sunt in seipsis, illa verò relaté ad veritatem, ista latius patet, illa etenim de voluntate non agit, nisi indirecté, prout applicat cæteras ad operandum.

9. Duplex vero distingui debet, alia *Logica naturalis*, artificialis alia; illa est *ipsa naturalis aptitudo, quæ nulli hominum deest ratione utenti, ad inveniendam veritatem*, ad hoc enim datus est ei intellectus; artificialis verò *est eadem aptitudo quatenus præceptis et exercitatione perficitur.* De hac agimus.

Ex dictis plané consequitur.

1.^o *Finem* hujus disciplinæ esse, ut mentem expeditam faciat ac promptam ad recté judicandum, ideoque ad veritatem inveniendam.

2.^o *Objectum* formale circa quod versatur, esse mentis operationes, quatenus in eum finem dirigi possunt.

3.^o *Medium*, quo ad finem assequendum utitur, esse præcepta quædam, quibus completa distinctaque notio traditur regularum, quas ratio sequi debet, ut ad recta judicia facile ac tuto perveniat.

10. Normæ porrò recté judicandi in duplici differentia sunt; aliæ enim necessariæ sunt, ut rationis operationes *rectæ* sint in seipsis; aliæ ut rationis operationes sint

(1) In I. post. sect. 2.

veræ. Illæ exsurgunt ab ipsa operationum intellectualium natura; istæ veró ab ipsis objectis.

Sic logicæ tractatio in duas partes disperci jam solet, quarum prima *Logica formalis*, vel simpliciter *Dialectica*, altera *Logica materialis*, seu melius *Critica* vocari potest; *in prima inest subtilitas disserendi, in altera veritas judicandi* (1).

Itaque in duas partes Logicam distribuemus, in prima agemus de Logica formali, quæ etiám generalis audit, et meliús *Dialectica*: in secunda vero de *Critica*, seu *Lógica materiali*, quæ etiam specialis vocatur.

Primam autem partem in triplicem sectionem distributam iri decernimus: in prima sectione agemus de perceptione, seu ideis earumque expressione: in secunda de ratiocinio ejusque enunciatione, iis inseremus, ut par est, opportunis in locis, pars illa, quæ *grammatica* audit: in tertia veró agemus de ratiocinii apta coordinatione, seu de *Methodologia*. Brevitér, quantum possibile sit, me expediam, non ita forsitam in secunda parte, quam in tres distribuemus sectiones, agemusque in prima de veritate, deque mentis statibus circa ipsam, et de certitudine: in secunda et tertia vero de principiis certitudinis, quamque in tres distinguemus artículos, pro tribus principiorum speciebus. Semper tamen præ oculis habeam illud. S. P. Augustini (2), «multi multa disputant de iis rebus, quas »majori prudentia nostri Auctores omiserunt ad beatam »vitam non profuturas discentibus, et occupantes, quod »pejus est, multum pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia.»

(1) Cic. tuse. quæs. Lib. 5. c. 24.

(2) Lib. 2 de Gen. ad litt. cap. 9.

LOGICÆ PARS PRIMA.

SECTIO PRIMA.

DE MENTIS OPERATIONIBUS AD VERUM INVENIENDUM.

11. Cum objectum formale Logicæ sit mentis operationes imperio voluntatis regulare, ut rectè ac facilius suum finem assequatur, qui est veritas (5. 1.º 2.º 3.º), de iis omnibus operationibus disserere Logica debet. Jam vero hæ operationes quatuor præcipuæ enumerantur, scilicet *apprehensio*, sive perceptio, *judicium*, *ratiocinium*, et *ratiocinorum apta coordinatio*: duæ primæ sunt elementa tertii, quò á noto ad ignotum mens assurgit, sed assurgere non potest sine ratiocinii coordinatione: «est enim, ait S. P. »Aug. (1), recta ratiocinatio á certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio, nemo tamen sine disciplina (Methodo) rectè ratiocinatur.» De iis igitur disserit Logica. Igitur ordine prædicto manus operi admoveamus á Logica pura incipiendo.

LECTIO 2.ª DE APPRENSIONE, SEU IDEA; QUID SIT APPREHENSIO, QUID IDEA. IDEÆ DISCRIMEN Á SENSATIONE, ETC.

12. *Apprehensio*, seu perceptio intellectualis, de quà hic loquimur, est *actus*, quo mens alicujus objecti notitiam accipit: seu, est *cognitio immediata*, instinctiva (2) et

(1) De immort. animæ c. 1.

(2) Lactant.

spontanea alicujus objecti, (quod tum *internum*, tum *externum* esse potest), *aut duorum objectorum identitatis vel non-identitatis*: Si primum simplex, sin vero alterum complexa subaudit. In Psychologia videbimus, hanc perceptionem non esse meram passionem, sed operationem.

13. Triplex elementum ipsam constituit, scilicet; aliqua *affectio subjecti* percipientis, *objectum*, seu identitas, vel non-identitas percepta, et *relatio* quædam intellectualis subjectum inter et objectum perceptum: hinc est, quod nonnullis videtur omnem perceptionem iudicium esse. Jam vero hæc objecti notitia continetur ipsius expressione, et quadam quasi similitudine, quæ in ipsa mente gignitur, quæque vocatur rei *idea*, *imago*, *conceptus*, *notio*; est igitur *idea*, *similitudo objecti expressa in mente percipiente*; per ipsam enim transfertur propemodum objectum in mentem, et in ipsa existere incipit nobiliori modo, si tamen rectè percipiatur.

Cæterum, jam videre est, ideam et perceptionem idem esse, et solum distingui prout considerantur vel ut actus mentis, vel ut relaté ad objectum; si primum perceptio, si alterum *idea* appellatur.

41. Hæc intellectualis objecti similitudo, quam ideam vocamus, infinitè distat á sensibili affectione et phantasmatibus, seu materialibus imaginibus, quas phantasia ideis intellectualibus substernit. Illæ enim solum accidentiâ corporea, istæ vero *notas* intelligibiles, et essentias exhibent; illæ nobis cum brutis communes, istæ vero solùm entis intelligentis propriæ sunt (1), ex quibus tota hominis nobilitas ubertim dimanat. *Unum vero quisquis verissimè cogitat, profecto invenit corporis sensibus non posse sentiri* (2).

(1) Consul. S. P. Ang. Serm. 43. al. 27 de verb. App.; et L. 12 de Trinit. c. 2. S. Thom. L. 2 Cont. Gent. c. 66., et l. p. q. 85 á l.

(2) S. P. Ang. L. 2. de liber. arb. c. 8. n. 22.



15. Ut percipiatur quid sint illæ *notæ intelligibiles*, scire debemus, objectum ideæ duplex esse posse, *materiale*, scilicet, et *formale*; etenim res omnis habet sibi proprias aliquas attributiones et affectiones, quæ sunt illius quasi quædam intelligibilia lineamenta, quæ ipsam in suo esse et entitate constituunt, et quibus cognoscibilis est, ac manifestare se potest. Hæc dicuntur á logicis *objecti notæ*, vel etiam *determinationes intrinsecæ*. Cum vero res cognoscitur, cognoscitur quia aliquæ saltèm ex iis notis menti manifestantur. Res igitur, quam perceptio attingit, ut illa est in se, videlicet, cum notis omnibus, quascumque habet, *objectum materiale* perceptionis est; et res eadem secundum quod habet notas, quibus hic et nunc menti manifestatur, *objectum formale*, et hoc est proprium ideæ objectum, quod sensatio attingere non valet, est enim *quid* commune et multiplicabile pluribus in individuis ejusdem generis, vel speciei.

16. Cum igitur omnis idea constet quibusdam objecti notis intellectis, hæ notæ intellectæ, quasi ut quædam ideæ elementa considerantur, et earum congéries est id, quod dicitur ideæ *comprehensio*. Est itaque ideæ *comprehensio*: *Collectio notarum, quas idea complectitur*. Sed iterum hæ notæ possunt esse communes pluribus, vel paucis determinatis, vel indeterminatis, vel etiam uni individuo, et hæc possibilitas in actu est id, quod dicitur ideæ *extensio*; est itaque *extensio*: *Amplitudo ideæ in pluribus vel paucioribus individuis repræsentandis*. Notetur bené, ut postea dicenda meliús intelligantur.

17. Ex iis colligitur, quod decrescente comprehensione crescat extensio, et è contra decrescente extensione crescat comprehensio. Si v. g. habeamus has notas; scilicet *substantiam, corpoream, organicam, animatam, rationalem*, habemus hominem, id est, speciem humanam tantum, at si demo *rationalem*, jam idea extenditur ad homines et ad bruta; si demo *animatam*, jam extenditur ad plantas, ho-

mines et bruta: si demo *organicam*, jam extenditur ad omne corpus; et sic deinceps: é contra, si appono notas: minuo individua, ut facile apparet; ergo sunt comprehensio et extensio in ratione inversa. Q. E. Dic.

LECTIO 3.^a DE IDEIS RATIONE SUI, ET OBJECTI.

18. Cum in præcedenti Lectione dictum sit, quid ideæ, quid perceptionis nomine veniat, et has solum distingui prout considerantur vel ut actus mentis, vel relaté ad objectum in ipsis expressum; et etiam quod in idea considerare possimus vel notas, quas mens apprehendit in objeto, vel objeta singularia, ad quæ repræsentanda sese idea extendit, restat nunc animadvertere, quod ii, pro quibus idea á perceptione distinguitur, vocant ideam *objectivam* illam, quam nos ideam simplicitér dicimus, et *subjectivam* illam, quæ nobis perceptio sonat; utramque deinceps solo nomine ideæ dictitabimus. Animadvertere etiam oportet, ideam quoque appellari *verbum mentis*; et *speciem expressam*, eo, quod sit actio vitalis, immanens, et ab eadem potentia eliciatur, in qua recipitur; sed quamvis hæc tria re idem sint, videlicet objecti similitudo ab intellectu in semetipso producta, posita tamen aliqua determinatione, differunt nihilominus ratione; *verbum* enim proprié significat determinationem termini mentalis ab intelligente; *idea* vero rationem imaginis, quæ est in eodem termino; *species* autem expressa utrumque designat, quod meliùs intelligetur in Psychologia. Veniamus ad primam ideæ considerationem ratione objecti.

19. Assertio I.^a *Objectum ideæ est necessario ens aliquod.*

Explic. Objectum ideæ est id, quod repræsentatur ab idea; atqui quod repræsentatur ab idea, est aliquid in se intelligibile, sive repræsentabile; quod autem est in se intelligibile, vel repræsentabile, est aliquid entis; ergo. *Minor probatur.* Vel enim objectum ideæ est aliquod ens,

vel nihil, atqui nihilum per se repugnat esse aliquod objectum ideæ, in ipsaque repræsentari, et ab ipsa percipi; nihilo enim nulla proprietas, nulla nota intelligibilis respondet; ergo objectum ideæ est necessario ens aliquod. Adverte ens esse omne id, quod habet esse.

Hinc *objectum ideæ est aliquid possibile*; possibile enim est quicquid habet esse intelligibile, et per hoc distinguitur à nihilo. Si quis contrarium sentiat, concipiat, si potest, circulum quadratum.

20. Assertio II.^a *Objectum ideæ non est ulla existentia actualis, si excipiatur existentia Dei, sed aliqua essentia, seu possibilitas alicujus rei.*

Prob. Objectum ideæ (Lec. 2.^a 15), sunt notæ intelligibiles alicujus rei; atqui hæc intelligibilitas est æterna et immutabilis, ut æterna et immutabilis est essentia divina, in qua, veluti in exemplari radicali, omnia possible videt intellectus divinus à tota æternitate; existentia vero omnium, excepta existentia Dei, sunt contingentes et variabiles, adeo ut multa intelligantur, quæ nunquam extitura sunt, de nullaque potest dici, quod ejus existentia ad eundem essentiam pertineat, ergo *objectum ideæ etc.*

Excipimus existentiam Dei, quia in Deo essentia et existentia sunt idem. Hæc verumtamen in Ontologia, et Theodicea meliùs intelligentur.

Hinc colligitur 1.^o Verum esse axioma scholæ, scilicet: *A statu ideali ad statum realem non valet illatio*, id est, non valet istud ratiocinium: Datar idea talis rei, ergo res talis existit.

2.^o Existencias actuales rerum contingentium, quæ immediate cognoscuntur, per sensum tantum percipi posse.

21. Assertio III.^a *Omnis idea est vera.*

Nota 1.^o Veram esse ideam, si mentem informet conceptu, qui proprio ideæ objecto sit conformis; ideæ autem objectum proprium est omne id, quod menti se sistit, et prouti se sistit.

Nota 2.^o Nos loqui de idea per se et in se spectata, remoto quocumque iudicio antecedenti.

Nota denique 3.^o Nos hic factum solum enuntiare, enim vero de notionē veritatis, de veritate entium, et de valore objectivo idearum de aliàs dicturi; de 1.^a et 3.^o in Critica, de 2.^a in Ontologia. *Probatur Assertio.*

Mens percipiens vel exprimit in se objecti, quod percipit, similitudinem, vel non. Si primum, conceptus est verus, idea est vera; si alterum, id est, si non exprimit, non est idea, quia idea est similitudo objecti expressa in mente percipiente (13); et advertè, nos id tantum percipere, cujus idea in mente nostra exprimitur, hoc est, id tantum, quod in mente repræsentatur nostra; jam vero, non potest mens unum percipere, et hoc in ipsa repræsentari, et alterius ideam concipere, et alterum repræsentari: nam perciperet quod non percipit, et non perciperet quod percipit; repræsentaretur aliquid ex hypothesis, et non repræsentaretur; quæ omnia contradictoria sunt; ergo *omnis idea est vera.* Hoc valet etiam de apprehensione complexa (12).

22. Nota, quando in communi loquendi usu mentio fit de *falsis ideis*, id intelligendum est de *falsis iudiciis*; vulgo enim dicitur habere falsas ideas de re aliqua ille, qui malè et falsò de ista re iudicat, sic v. g. dicitur habere falsam ideam de honore, pietate etc., qui falsum fert iudicium de his. Si quis sibi repræsentet justitiam, pietatem etc. et aliqua ex notis essentialibus earum, quæ veram ideam justitiæ, pietatis etc. constituunt deficit, deficit ei idea justitiæ, id est, non habet ideam justitiæ, quod quidem idem non est ac habere ideam falsam. Igitur ideæ solummodo possunt dici falsæ. 1.^a *Occasionaliter*, nempe quia iudicii falsi quandoque sunt occasio: 2.^a *Relativè*, nimirum respectu alicujus objecti, quod non est proprium earum objectum, ad quod tamen referri possunt per iudicium antecedens falsum: 3.^a *Præsuppositivè*, quatenus ideæ quædam

per iudicium falsum formatæ sunt: 4.º Tandem *abusivè*, quatenus cum falso aliquo iudicio confunduntur, q. e. d.

23. Potest difficultas occurrere contra 1.^{am} *assert.*

Illud potest esse objectum ideæ, quod potest per se percipi, ac per ideam propriam ab alio distingui; atqui de nihilo totum hoc potest eventu comprobari, nam nihilum percipimus et ab ente planè distinguimus, ut patet in principio contradictionis. *Resp. Concedimus Maj., negamus Min. ad ration. add. Dist.*, percipimus nihilum, et ab ente distinguimus per se et positivè, *Neg*; per ideam entis et negativè, *Conced.* Omne, quod percipitur, percipitur per suum *esse*, id est, per propriam realitatem, quam nihilum habere repugnat: in principio contradictionis nihilum non percipitur per se et positive, sed per *esse*, quatenus est ejus negatio.

Obj. Contra 3.^{am} Idea inducit non raro falsitatem in intellectum. Constat enim 1.º multas ideas hominum, præsertim rudium, vel eorum, qui cupiditate vehementi affecti sunt, esse á suis objectis deformes. 2.º Sunt quædam ideæ, quibus nullum respondet objectum. 3.º Si nullæ essent ideæ falsæ, neque iudicia falsa dari possent. Nam iudicium fit componendo elementa, quæ idea primum exhibuit juncta, quæque deinde analysis discrevit. *Resp. ad 1. N. Ant.; ad rationem additam, dist.* constat etc. deformes esse á suis objectis, deformitate negativa, *Conc.*, deformitate positiva, *subd*; post iudicium, *Conc.*; ante iudicium, *Nego.* *Ad. 2.^{am}* sunt quædam ideæ etc. *Dist. Ant.*, nullum respondet objectum possibile, *nego*; reale, *subdist. Ant.* sí sermo sit de tota idea, *conc.*; sí de ejus elementis, *nego.* *Ad. 3.^{am}* *Nego ant., ad rat. add. dist.*, ita res se habet in iudiciis veris, *trans.*; in falsis, *nego.* Elementa, quæ in iudicio uniuntur, vel separantur, in se sunt vera, falsitas subesse potest in intellectus operatione, quâ ipse male unit vel separat; quæ operatio est iudicium.

LECTIO 4.^a DE IDEARUM DIVERSITATE 1.^o RATIONE ORIGINIS, 2.^o RATIONE OBJECTI. DE UNIVERSALIBUS: specie, genere, differentia, proprio et accidenti; QUID SINT TRANSCENDENTALIA.

24. Cunc in Lect. præcedentibus dictum sit aliquid de ideis, supersunt nunc aliæ considerationes maximæ utilitatis, quas tribus sequentibus lectionibus agredimur. Ac primo, cum tritum sit apud Philosophos ideas in varias species dividere pro ratione diversa, sub qua considerari possunt; nempe vel spectato *principio*, á quo nascuntur; vel *objectis*, quæ repræsentant; vel demum *modo*, quo objecta repræsentant, nos quoque de duobus primis, possibili brevitate, in hac lectione aliqua delibabimus, et post pauca de categoriis, agemus de tertio in sexta Lect.

25. I. Ratione originis dispscuntur á Cartesianis in ideas *innatas*, *adventicias* et *facticias*. Innatæ dicuntur ab ipsis illæ, quæ immediatè et statim ab animæ creatione, vel ab ortu, insculptæ essent á Deo mentibus nostris. Hæc divisio non placet; 1.^o proptér nomen *adventiciæ*, quasi ideæ alió veniant; 2.^o quia, ut in Psychologia videbimus, nulla est idea innata. Itaque nos dividimus ideas, primó in *intuitivas* et *facticias*, intuitiva illa est *ad quam mens determinatur ab ipsa objecti præsentia*. Illæ enim *videri* dicuntur, quæ per se ipsa movent intellectum, vel sensum ad sui cognitionem (1), *intuitio* enim est objecti præsentis perceptio; *præsens* porro objectum est, cum actu animum afficit, *animus* autem *afficitur* ab objecto mediante sensu interno, vel externo: hinc *subdistinctio* ideæ intuitivæ in *directam*, et *reflexam*.

(1) S. Th. 2.^a 2.^a q. 1. a. 4.

1.° *Intuitiva directa* illa est, *cujus objectum fit animo præsens per sensum externum*: talis est idea solis, mellis, soni etc.

2.° *Reflexa* illa est, *cujus objectum fit præsens per sensum internum*, id est, illa, quam animus acquirit se super se flectens, ut idea doloris, sitis, cogitationis, leetitiae, etc.

26. *Factitia* illa est, *quam mens sibi format plures intuitivas ideas simul conjungendo*, vel abstrahendo, ratiocinando, et *cujus objecti intuitionem nunquam habuit*. *Subdistinguitur* etiam in *arbitrariam*, et *discursivam*.

1.° *Arbitraria* est, cum ad arbitrium ideæ elementa componuntur; ut idea *rami aurei, montis cerei* etc.; est opus imaginationis.

2.° *Discursiva* est, cum ope discursus, seu ratiocinii naturâ objectorum regulati formatur; ut e. g. *idea Dei, justitiæ, pietatis*, etc.

Nota 1.° Omnes ideas facticias constare elementis intuitivis.

Nota 2.° Omnes posse partim facticias, partim intuitivas, partim directas, partim reflexas esse.

Nota 3.° Facticiis ideis deberi omnes progressus artium (1): sed animadvertere oportet nullam compositionem idearum fieri posse, nisi ideæ partiales, seu elementa sint ad invicem sociabilia; hæc idearum consociatio in eo consistit, quod una nota non destruat alteram, nec ab eodem subjecto se mutuó excludant, sicut elementa ideæ circuli, et elementa ideæ quadrati; elementa ideæ cogitationis et sensationis, et elementa ideæ materiæ; et si præcipites, et raptim ea conjuncta fingimus, resultat idea *chimerica*.

(1) Cons. Gallupi Lezio. di Log. è Met. Lez. 81.

deceptrix. Investigare elementa, quæ se non destruant, et aliquid novum efficere ad magna ingenia pertinet.

27. II.^a Ratione objecti (1) ideæ dispescuntur.

1.^o In *geometricas*, et *puras*, á quibusdam autem, in *sensibiles* et *intellectuales*; quæ divisio, vel potius nomina, non solúm non placet, sed est ridicula, omnis enim idea de quocumque sit objecto est intellectualis, utpoté quæ ad solúm intellectum pertinet, et paritér aliquo modo est sensibilis, utpotè quæ proxime, vel remote á sensu dependet. Itaque *geometrica* est, quæ *extensionis representationem* continet, vel explicité, ut idea trianguli, mensæ, arboris, etc.; vel implicité, ut soni, saporis, odoris, etc. *Pura* illa est, quæ *nullam extensionis repræsentationem implicat*, ut idea substantiæ, numeri; spiritus, negationis, etc.

2.^o In *positivas*, et *negativas*: positiva illa est, quæ *repræsentat proprietates, per quas res est quod est*, ut idea lucis, scientiæ, boni, etc.; negativa illa est, quæ *repræsentat proprietates alterius, cujus ipsa res est negatio, vel absentia*, ut idea tenebrarum, ignorantiæ, mali, etc. (2).

3.^o In *absolutas*, et *relativas*; absoluta illa est, quæ *non habet connexionem cum alia, nec excitat illam*, ut idea hominis, lapidis, etc.; relativa *é contra*; ut idea patris, filii, servi, æqualis etc.

4.^o In *simplices* et *compositas*, seu complexas. Simplex illa est, quæ *una tantum constat nota*, seu proprietate, talis est idea *entis, existentiae, affirmationis, negationis* etc.; composita est illa, quæ *constat pluribus notis et in has resolvi potest*, ut idea *Dei, animæ, mundi* etc.

Nota. 1.^o Objecta simplicissima repræsentari posse ideis compositis, immo communiter aliter repræsentari non posse;

(1) Formali (15).

(2) S. Thom. 1. p. 956. 3.

et vicissim objecta composita posse repræsentari in idea simplici, ut color. 2.º Non confundendam esse ideam compositam cum facticia; omnis enim idea facticia est composita, sed non vicissim; deinde facticiæ sunt tales ratione originis, compositæ ratione objecti.

5.º In *concretas*, et *abstractas*: Concreta illa est, quæ repræsentat rem formâ aliqua determinatam, ut homo, rotundus, sapiens, bonus etc.; abstracta, quæ repræsentat ipsam formam veluti separatam, ut humanitas, rotunditas, sapientia etc. In concretis, forma exprimitur indirectè, res determinata directè; in abstractis vice-versa, De iis postea.

28. Concretum triplex distingui debet, *metaphysicum physicum*, et *logicum*; Metaphysicum est illud, cujus forma, à qua denominatur, est intrinseca et inseparabilis, ut homo: Physicum est, cujus forma est intrinseca, sed separabilis, ut bonus, sapiens, doctus etc.: Logicum est illud, cujus forma est extrinseca, ut cognitum, laudatum etc., idem est ac esse cognitum, esse laudatum. Hucusque ideas consideravimus ratione comprehensionis objecti, nunc vero ratione extensionis objecti de eis agemus.

29. III.ª Jam vero nobilissima idearum divisio petitur ab ipsarum objecti amplitudine (16), id est, ex eo, quod plura vel pauciora individua sit apta repræsentandi. Hinc ideæ sub hoc respectu dividuntur in *singulares*, *particulares*, et *universales*.

1.ª *Singularis* est, quæ certum individuum exprimit; videlicet objectum ita determinatum, ut omnes simul ejus determinationes pluribus convenire non possint. Talis est idea Romuli, hujus libri, illius arboris. Determinationes, quarum ope individua ad invicem discernere solemus, sunt notæ quædam sensibiles, aut intelligibiles, quæ *indivduantes* vocantur; non quia individua constituent, sed quia potiùs constituunt eorum ideas, et individua nobis manifestant. Hæ notæ vulgato continentur versiculo:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen:
Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter.

Ad singularem revocatur *collectiva*, i. e. *idea plurium singularium, quæ ad modum unius considerantur*; talis est *idea hujus collegii, exercitus, mundi etc.* Hæc *idea duo supponit, scil. multitudinem suppositorum, et unitatem ordinis (1).*

2.° *Idea particularis est, quæ objectum particulare repræsentat, id est, individuum aliquod, vel unicum, vel multiplex, sed indeterminatum: si unicum etiam individualis subaudit, e. g. aliquis homo; quidam philosophus; vel aliqui homines; quidam philosophi; decem urbes, quæ ultima est collectiva particularis.*

4.° *Universalis est, quæ exhibet unum aliquid, quod in pluribus individuis multiplicatum inesse, ac de pluribus dici singillatim potest: talis est idea substantiæ; corporis; animalis; hominis; rationalitatis; etc., etc. Collectiva potest esse simul universalis, ut idea indeterminata exercitûs, urbis; familiæ etc. Potest esse directa et reflexa. Objecta contenta sub universalitate ideæ, et de quibus prædicari et dici potest, vocantur *subjecta, vel inferiora ideæ.**

30. Nunc vero, si illud *unum aliquid, quod multiplicatum potest inesse pluribus in individuis, tale est, quod non solûm pluribus inesse, et de pluribus dici possit, sed et de omnibus quæcumque sunt, aut excogitari possunt, tunc non propriè universale, sed potius cum veteribus transcendentale appellabimus. De iis immediate iterum sermonem faciemus. Si vero de pluribus, non autem de omnibus sensu exposito, dicatur, est quod propriè dicitur *universale*. Jam igitur ideæ, quæ universale repræsentant, ad quinque capita reducuntur, quæ sunt, *species, genus, differentia, proprium et accidens.**

(1) S. Thom. 1. p. q. 31. á 1. ad. 2.

31. 1.° Species est *totum id, quod communem plurium individuorum essentiam constituit*, seu *unum aptum inesse multis et prædicari de illis in quid completé* (1): quid completé, idem est ac essentia. Est porro essentia, si logicam definitionem quæras, id, quod cogitamus cum respondemus interroganti, quid sit aliquod individuum? cogita quid intelligis, cum interroganti respondes: *est homo, est circulus*; dicitur etiam *quidditas*. De hac fusiús in Ontologia.

2.° Genus est, *quod pluribus speciebus invenitur commune*, seu *unum aptum inesse multis specie differentiibus, et prædicari de illis in quid incompleté*, sic *homo et brutum*; hoc commune habent, ut sint animalia, id est, *corpus organicum animatum*; in iis igitur notis conveniunt, itaque *animal* est genus, designat multa specie differentia, sed incomplete (2).

3.° Differentia est id, *per quod unaquæque species discriminatur ab aliis speciebus, quæ sub eodem genere continentur*, seu *unum aptum inesse multis, et prædicari de illis in quale quid*. Nam differentia quasi dividunt genus coarctantes ejus extensionem, et species constituunt; sic *homo et brutum* continentur sub genere *animal*, sed apposito *rationale* constituitur species humana et excluduntur bruta; est pars essentia sicut et genus; sed genus est pars communior et determinabilis, differentia vero pars minus communis et determinans.

4.° *Proprium*, quod et attributum, est *id, quod cum essentia connectitur, et ab illa necessario dimanat, seu quod attribuitur multis in quale necessario*, conse-

(1) Multiplex est acceptio speciei: sumitur enim 1.° pro idea. 2.° pro quacumque similitudine. 3. pro venustate et pulchritudine. 4.° pro eo secundum quod definitio allata est.

(2) Genus etiam sumitur 1. pro stirpe. 2. pro natione, populo etc. 3. pro sexu 4.° pro ratione, modo etc. 5. pro ipsa rei specie, et 6.° pro eo secundum quod definitum est.

quitur essentiam jam constitutam, sicut habere tres angulos æquales duobus rectis, dicitur esse proprietas trianguli; facultas ridendi, et facultas loquendi sunt proprietates hominis; esse divisibile est proprietas quantitatis dimensionivæ, etc.

5.º *Accidens* est, quod esse potest in re, vel ab ipsa abesse salva naturâ; seu est quod attribuitur multis in quale contingenter, sic triangulo accidit moveri, esse majorem vel minorem, esse auri, papyri etc. *Accidens* physicum vel logicum esse potest (1).

32. Hæc esse quinque universalium classes, sic ostenditur. Quidquid est pluribus commune, vel est aliquid pertinens ad ipsorum essentiam, vel non. Si pertinet ad ipsorum essentiam, vel pertinet ad *totam* essentiam, vel ad *partem* tantum; si ad totam pertinet et totam complectitur est *species* (31. 1.º); si ad partem tantum, hæc pars vel est communis pluribus essentiis, vel non. Si est communis pluribus essentiis est *genus* (31. 2.º), si non est communis est *differentia* (31. 3.º). Si non est aliquid pertinens ad ipsorum essentiam, vel est necessario connexum cum essentia, et ab ipsa necessario dimanat, vel non. Si est necessario connexum cum essentia et ab ipsa necessario dimanat est *proprium* (31. 4.º), si non pertinet ad essentiam nec ab illa necessario dimanat est *accidens*. Hæc quinque universalia vocabantur á veteribus *prædicabilia*.

Prosequitur LECTIO 4.ª—NONNULLÆ AD DICTA
ANIMADVERSIONES.


Cum precedens Lectio nimis protraheretur, ne vos forsitam obrueret sub hoc vesperum nonnulla adjiciemus (2).

33. Itaque: Genus aliud est supremum, seu remotum,

(1) S. Tho. 1. P. Q. 77 á 6 ad 3. et Sum. Cont. Gent. 1. 1. c. 32.

(2) De hac materia fusius Caj. Sansev. *Log. P. 1.ª art. 1. ad 16.*,
Ant. Goud. *Log. Maj. 1. p.*

aliud medium, aliud proximum. *Supremum* est, quod supra se non habet aliud genus, id est, non continetur in alio, et sub se continet alia genera., *Medium*, quod et *subalternum*, est quod tam supra, quam infra se habet aliud genus. *Infimum*, quod et *proximum*, est quod continetur in alio, sed sub se non continet aliud genus, sed immediatè species continet: e. g. Substantia est genus supremum; corpus subalternum; metallum infimum: considera sequentem arborem à Porphyrio appellatam porphyrianam.



34. Idem in cæteris exsequi licet; ita ut nulla sit idea, quæ rebus individuís applicari possit, quæ per species et genera ascendendo ad genus aliquod supremum non reducatur.

Genera hæc suprema cum iis omnibus, quæ sub se complectuntur, *Categoriæ* ab Aristotele, à latinis post Boëtium *prædicamenta* appellata sunt. De iis in seq. Lect.

Hæc porro suprema genera sub *transcendentibus* continentur; nam substantia est *ens*, quantitas est *ens*, qualitas est *ens*, et omnia quæcumque sunt, aut excogitari possunt sunt *ens*, (1): *ens* vero non potest dici notio gene-

(1) Si *ens* consideretur aliqua essentiali nota determinatum, erit *res*: si consideretur secundum quod est indivisum in se, erit *unum*; si con-

rica, nam, ut ait S. Thomas (1) «omne genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam ipsius generis, nulla autem differentia potest inveniri extra ens; quia non ens non potest esse differentia,» est igitur ens notio transcendens.

35. Quoad differentiam (31 3.º) animadvertere oportet ipsam posse esse *individualem*, seu *numericam*, *specificam*, et *genericam*; illud, per quod unum individuum discriminatur ab alio, est differentia *numerica* (29. 1.º); illud, per quod discriminatur species ab specie, dicitur differentia *specifica*, ut *rationale* inter hominem et brutum; si genus à genere discriminat, dicitur *generica*, ut *organicum* respectu corporis, vide arborem. Potest etiam esse *suprema*, *infima*, et *subalterna*; *suprema* est, quæ dividit genus supremum in species magis immediatas, ut in *corpoream* et *incorpoream*; *subalterna* est, quæ dividit genus medium et constituit species, quæ simul continent species inferiores, ut corpus animatum et inanime; *infima* est, quæ dividit genus infimum et constituit species infimas, sub quibus continentur immediate individua, ut *rationale* et *irrationale*.

36. Quoad *speciem* animadvertere oportet, ipsas posse etiam esse *supremas*, *infimas*, et *subalternas*; *suprema* est, quæ supra se aliam speciem non habet, ut corpus; *infima* est, quæ infra se alias species non habet, sed individua, ut homo; et *subalterna* est, quæ tam supra se, quam infra alias species habet, ut corpus.

Non miremini si sermonem de iis longiorem fecerim, sunt

sideretur secundum divisionem unius ab altero erit *aliquid*, si consideretur secundum convenientiam unius entis ad aliud, quod natum sit convenire cum omni ente, quod est anima rationalis, et cum in hac sit vis cognoscitiva, et etiam appetitiva; si ens consideretur secundum convenientiam ejus ad vim appetitivam accipit nomen *bonum*, si secundum convenientiam ad intellectum est *verum*.

(1) 1. P. Q. 3. a. 5.

enim absoluté necessaria, si aliquid scire oportet. Necessitas caret lege.

37. *Transcendentalia*, quæ etiam notiones *indeterminatæ* appellantur, sunt, ut diximus (30), ea, quæ de omnibus quæcumque sunt, aut excogitari queunt, dici possunt, et quorum notiones, seu ideæ sunt in humano intellectu primitivæ, omnibusque communes.

Sex enumerantur: *ens, res, aliquid, unum, verum, bonum*.

Ens est id, quod primó intellectus in omnibus cognoscit, estque elementum, quod in omnibus ideis reperitur. Cæteræ notiones transcendentes ens exhibent sub certis quibusdam respectibus; Hæc sunt objectum Ontologiæ (1), inibi eas perscrutabimur. D. q. d. e.

LECTIO 5.^a—DE CATEGORIIS.

38. Diximus in præcedenti Lect. n. 34, nullam esse ideam rerum individuarum, quæ ad genus aliquod supremum non reducat. Diximus etiam quod hæc genera suprema cum iis omnibus, quæ continent, *Categoriæ* ab Aristotele, à latinis vero, duce Boetio, *prædicamenta* vocari soleant. Hæc autem genera ita esse debent suprema, ut ad nullum genus altius reduci possint; quamvis enim verum sit, omnia contineri sub latissimo entis conceptu; ens, ut diximus cum D. Thom. non est notio generica. Cæterum harum notio, saltem brevis, non solum utilis, sed necessaria mihi videtur, etenim, ut ait Cassiodorus (2); *Hoc opus Aristotelis intente legendum est, quando sicut dictum est quidquid homo loquitur inter decem ista prædicamenta inevitabiliter invenitur*, et Quin-

(1) Cons. S. Thom. de ver. q. 1. a. 1. et supra n. 27 nota 1.

(2) Cassiod. Lib. de art. et discipl. c. 3.

tilianus (1) vocat prædicamenta *elementa*, circa quæ *versari videatur omnis questio*. Est opus maximé philosophicum. Ergo categorias ita definere possumus: *Suprema quedam genera, seu classes, aut capita, in quibus omnia substantiæ singularis attributa, seu prædicata continentur*, seu *series generum et specierum sub uno supremo genere contentorum*. Ab aliis plures, ab aliis pauciores assignantur categoriæ: á Pythagoreis *viginti*; decem bonorum entium, decem malorum (2). A neo-platonicis septem, iis duobus versiculis comprehensæ: *Mens, mensura, quies, motus, positura, figura, sunt cum materia cunctarum exordia rerum*, assignantur (3). A Epicureis sequentes decem: *intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ; concursus, motus, ordo, positura, figura*, admittebantur (4). Juxta Emmanuelem Kant omne iudicium exigitur secundum quatuor modos, qui sunt *quantitas, qualitas, relatio, et modalitas*; hinc ab eo admissæ sequentes categoriæ.

Quantitatis.	}	unitas.
		pluralitas.
		universalitas, vel totalitas.
Qualitatis.	}	realitas.
		negatio
		limitatio.
Relationis.	}	substantia et accidens.
		causa et effectus.
		actio mutua.
Modalitatis.	}	possibilitas, impossibilitas.
		existentia, non existentia.
		necessitas, contingentia.

(1) Lib. 3. cap. 7.

(2) S. Thom. 1. Met. 1. 8., et 1. Eth. Sect. 6.

(3) Purch. Log. 1. p. c. 5.

(4) Lâert. Lib. 2.

Sed juxta ipsum, hæ sunt ideæ puræ ac primitivæ intellectus, quæ nullum per se valorem objectivum habent, sunt enim leges intelligentiæ, formæ subjectivæ, quibus nos ipsi objecta formamus, quod non solum est absurdum, sed et fundamentum exitioris idealismi. Sufficiat nobis in præsens Aristotelis, vel potius Architæ categorias recensere, ut quæ magis vulgatæ sunt usuque Scholasticorum tritæ, intimiore de iis disputatione ad Ontologiam rejecta; hæ sunt sequentes decem: *substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus*, iis versibus comprehensæ:

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos.
subst. quant. relat. qualit. actio, passio,
 Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.
Ubi, quando, situs, habitus (1).

(1) De iis decem mentionem facit S. P. August. Arianis occurrens, docensque negationem additam non mutare prædicamenta, ait enim; *l. 5. de Trinit. c. 7.*; «sicut secundum *substantiam* ajo, Homo est, sic secundum *substantiam* nego cum dico: Homo non est. »Et cum quæritur, *quantus* sit; et ajo; quadrupedalis est, id est, »quatuor pedum, secundum *quantitatem* ajo; qui dicit; non quadrupedalis, secundum *quantitatem* negat. Candidus est, secundum *qualitatem* ajo: non candidus est secundum *qualitatem* nego. Propinquus est, secundum *relationem* ajo: non propinquus est, secundum *relationem* nego. Secundum *situm* ajo, cum dico: jacet; secundum *situm* nego; cum dico; non jacet. Secundum *habitum* ajo, cum dico: armatus est, secundum *habitum* nego cum dico; non armatus est... »Secundum *tempus* ajo, cum dico: Hesternus est: secundum *tempus* nego, cum dico, non hesternus est. Et cum dico: Romæ est, secundum *locum* ajo, et secundum *locum* nego, cum dico: non Romæ est. »Secundum id quod est *facere (actio)*, cum dico: Cædit, si autem dicam; non cædit, secundum id quod est *facere* nego, ut ostendam non hoc *facere*. Et cum dico: Vapulat, secundum *prædicatum* ajo, quod *pati (passio)* vocatur: et secundum id nego, cum dico; non

39. Quas categorias sic breviter explicabimus, initium á substantia ducentes.

Substantia quidem quatuor modis potest accipi: 1.° pro *essentia*: sic autem accepta invenitur in omnibus generibus entium; omnia enim quæ sunt, essentiam habent: 2.° prout significat *individuum* in genere substantiæ, et vocatur *substantia prima*, suppositum et hypostasis, vel persona: 3.° prout significat *substantiam creatam universaliter acceptam*, et vocatur *substantia secunda* (1): denique 4.° accipitur substantia, prout abstrahit á prima et secunda, á creata et increata, et vocatur substantia communiter, seu *analogicé dicta* (2). Porro substantia, prout est prima categoria, non potest sumi pro *essentia*, alioquin nulla alia categoria esset præter substantiam, quia omnes in hac sola continentur; neque pro *substantia prima*; individuum enim, aut hypostasis genus esse non potest, sed continetur in genere; multo minus sumi potest pro substantia *communiter dicta*, alioquin Deus sub genere containeretur, quod repugnat; ut alibi videbimus.

1.° Itaque substantia, prout est prima categoria, est *substantia creata universim accepta*, aut *ens creatum in se et per se subsistens*. De substantia fusius in Ontologia, sicut et de sequentibus categoriis, quæ ea continent, quæ substantiæ adjacent, nempe quæ in substantia sunt, inhærentque illi tamquam subjecto; unde abstractis ideis

»vapulat etc.» De hoc denario numero scribit etiam Clemens Alexandrinus, *Strom. L. 8.*; Boëtius, Præf. in Prædic. Aristotel. Enixe á juvenibus iterum atque iterum exoramus, ut omni cura et studio iis incumbant, donec bene intelligant, postea salutare degustabunt fructus, non detineantur cachinnis neotericorum; isti enim quæcumque ignorant blasphemant. Cons. S. Thom. 5. Metaph. Lect. 9.; et 3. physic. Lect. 5.; et Purch. log. 1. P. cap. 5.° et Ant. Goudin.

(1) Cons. S. Th. q. 7. de Pot. á 9; et S. P. Aug. 1. 12 de C. D. cap. 2.; et 1. 7. de Trinit. cap. 6.; Damasc. Dial. c. 30.

(2) S. Th. in lib. 1. sent. dist. 25 q. 1. á 1. ad 7.

exhibentur, quamvis etiam in concreto dici queant. Sunt verumtamen ultima genera in suo ordine.

2.^o *Quantitas* est *ipsa extensio*, seu *partium extra partes positio*. Est *continua*, vel *discreta*; continua est illa, cujus partes aliquo nexu conjuncta sunt: discreta illa, cujus partes conjunctæ non sunt, talis est numerus: continua potest esse *permanens*, et *fluens*; *permanens* est extensio corporum, *fluens* est tempus.

3.^o *Relatio* est *respectus unius ad aliud*, ut æqualitas, paternitas, etc. Accidentia duo, quæ præcedunt, substantiam, prout substantia est, afficiunt; per sequentes vero substantia ad operationes suas sive activas, sive passivas comparatur.

4.^o *Qualitas* est, *quæ res quales dicuntur* (1), id est, quidquid substantiæ adjectum est ad quaecumque ejus complementum.

Qualitas vero id omne suo ambitu continet, quo respondetur ad quæstionem: *qualis res sit?*: sive est id, *quo* res quælibet est talis aut essentialiter, aut accidentaliter; v. g. anima dicitur immortalis per *immortalitatem*; nix alba per *albedinem*; immortalitas vero, et albedo sunt tales per se; non per alias formas, quia, ut dicitur in Scholis, *quod est tale ut quo, non eget alio, quo fiat tale*. Non solum omnia accidentia, seu modos, si forte excipimus quantitatem, complectitur qualitas, sed ad essentiam quoque rei spectat. Nam si quæras, *qualis sit homo?* respondetur, *rationis particeps*. Sed hic sumitur, ut ex definitione patet, quatenus aliquid rei accidentarium significat, et sub hoc respectu proximæ ejus species sunt.

a) *Habitus* i. e. *facilitas quædam, seu propensio ad aliquid agendum usu, et exercitatione comparata*, unde

(1) Cons. S. P. Aug. de Trinit. lib. 8. c. 1. n. 2.; S. Jo. Damasc. Dialect. cap. 51.

illud effatum: *habitus est alia natura*: uti virtus, vitium etc.

b) *Potentia naturalis*, i. e. *vis á natura rebus insita ad agendum vel patiendum*: defectus ejus est *impotentia*.

c) *Qualitas sensibilis, est dispositio in re qualibet posita, quæ sensum aliquem potest afficere*.

d) *Forma et figura*, i. e. *modus resultans ex terminatione quantitatis*: dicitur figura si consideretur in abstracto, geometrarum more: forma vero si in concreto (27. 5.).

5.^a *Actio* est mutatio quævis; quatenus procedit á causa activitatem suam exercentè, ut calefacere, movere etc.

6.^a *Passio* est mutatio, quatenus in aliquo recipitur, ut calefieri, moveri, ira affici etc.

7.^a *Ubi* est locatio, seu terminatio ad locum, ut esse supra, infra etc.

8.^a *Quando* est terminatio ad tempus, ut esse præteritum, præsens, futurum.

9.^a *Situs* est dispositio partium corporis, resultans ex earum positione in loco, ut sedere, cubare etc.

10.^a *Habitus* est omne indumentum, ac tegumentum corporum, ut vestis, annulus, torques etc., hæc categoria dividitur pro diversitate indumentorum. De iis pro nunc satis: accuratiore stilo de eis agemus in Ontologia.

40. Veniunt deinde *Hypotheoriæ*, seu post-prædicamenta, quibus continentur modi consequentes diversa rerum genera; quinque recensentur; *oppositio, prioritas, simultas, motus, et modus habendi*; vid. Gondin et Rosell.

LECTIO 6.^a—DE PARTITIONE IDEARUM SECUNDUM PERFECTIONEM REPRÆSENTANDI, ET DE MEDIIS AD EAS PERFICIENDAS.

41. I. Quæcumque sit ideæ origo, quodcumque objectum, quod repræsentat, (de quibus Lec. 4.^a) potest hoc majori vel minori perfectione ab ea repræsentari, et sub hoc respectu dividuntur ideæ:

1.° In *explicitas et implicitas*. *Explicita* illa est, quæ *directè rem aliquam repræsentat cum propriis ejus notis*: sic. v. g. habeo ideam explicitam trianguli, si mihi repræsentent figuram tribus lateribus, et tribus angulis constantem. *Implicita* dicitur ea, quæ *rem aliquam repræsentat, non directè et cum propriis ejus notis, sed indirectè et mediante aliqua relatione necessaria, quam habet cum objecto alterius ideæ*: v. g. in idea explicita legis naturalis, quæ vim habet obligandi, includitur idea implicita supremi legislatoris, Dei.

2.° (Omissa quæstione: utrum omnis idea sit clara ac distincta; an etiam dentur ideæ obscuræ et confusæ?: nos enim utrumque quæstionis membrum admittimus, communiorem sententiam sequentes), dividimus ideas in *claras*, et *obscuras*.

Idea clara ea est, quæ *tot ac talibus constat notis, quot menti sufficientes sint, ut objectum repræsentatum ab omni alio discernere valeat*. *Idea obscura* è contra, quæ *notis constat ad objectum sic discernendum insufficientibus*; sic e. gr. ideam claram communiter habemus *solis, hominis, animalis* etc.; obscuram fortassè *bismuti, physiologiæ, hominis individui*, quem multis ab hinc annis vidimus etc.

3.° *Idea clara* potest esse *distincta, indistincta et confusa*.

Distincta erit, si *notas saltem aliquas, quibus objectum ab aliis discernitur, distinguimus ab invicem et enumerare possumus*: Sic distincta erit idea *trianguli*, cum intelligo figuram tribus angulis, tribusque lateribus clausam. Sic clara et distincta erit visio, qua Deum intuitivè in cælo videbimus, de qua S. Bern. Serm. 33. in Cant. *O vere meridies, plenitudo fervoris, et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio*.

Si vero has notas distinguere nequimus; vel idea est simplex, ideoque distinctionis incapax, vel pluribus notis

composita: in primo casu dici debet *indistincta*, in altero *confusa*. Sic e. g. idea, quam habemus communiter hominis, distincta est; idea existentiae indistincta (27, 4.^o), quia simplex; justitiae vero ideam habebimus confusam, si elementa, quibus constat, inter se discernere non possumus: unde sequitur, omnem ideam posse esse claram, quin sit distincta; sed nullam esse distinctam, quin sit clara.

4.^o Idea distincta erit *completa*, si per eam *omnes notas, quibus unum* objectum ab aliis discernitur, distinguimus: erit *incompleta*, si non omnes distinguimus.

5.^o Demum idea completa suam ultimam perfectionem nancisceretur, si fieri posset *adæquata*, á veteribus *comprehensiva*, et est ea, quæ non modo omnes notas essentielles, sed etiam omnes proprietates necessarias et accidentales exhibet, earumque ad invicem respectus; seu illa est, *quæ exhaurit objecti intelligibilitatem*, ita ut tantum de illo exhibeat, quantum exhiberi possit (1), secus *inadæquata*. Ex quo patet exiguum admodum esse numerum rerum, quas adæquatè cognoscimus: et hoc duplici ex causa, alia *intrinseca*, imbecillitas, scilicet, mentis nostræ, et exiguitas luminis intellectualis (2); *extrinseca* alia, videlicet, imperfectio sensuum, et minus accurata applicatio objectorum.

42. Eniti tamen possumus, imo debemus, ut claras distinctasque ideas, atque adeo completas adipiscamur, id quod scientiarum maximè munus est. Media porro, quæ ad hunc finem juvant, sunt *attentio, reflexio, compositio, abstractio et præcisio, comparatio, maturitas in judicando, ordo* in rebus considerandis, *scribendi usus, disputatio* cum solo et omni amore inveniendi veritatem; quæ omnia assequi non possumus sine *labore, lectione,*

(1) S. Thom. 1. p. q. 12 á 7. id. q. 14. á 3.; id. 2.^m 2.^a Q. 28 á 3. ad. 3.

(2) S. P. Aug. L. 12 de Serm. D. in mont. cap. 15.

meditatione cum tranquilla et pura conscientia. De quinque primis pro nunc aliqua delibabimus.

43. II. Ac primo quidem: *Attentio* est illa *mentis operatio*, qua unam inter plures ideas simul obversantes præcipue considerat; vel brevius, est *mentis objecto applicatio*. Per se autem patet, attentionem plures habere gradus, ac sedula exercitatione perfici.

2.° *Reflexio* est *attentio mentis in proprios actus*; dicitur reflexio, quia mens convertendo sese ad proprios actus considerandos, se in seipsam redit, ac se in se reflectit; hæc operatio iis, qui usum non habent, difficilis admodum apparet, sed non deterreat labor, sine ipsa enim vix, aut ne vix, progressum aliquem in veritatis investigatione facere datur; actus ejus iterum atque iterum repetendo habitus recogitandi acquiruntur permaximè necessarii, quorum defectu tot mala amaris lacrimis deploramus, ita ut semper dicere poterimus, quod ajebat Propheta: *Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est qui recogitet corde* (1).

Duplex esse potest *psychologica*, et *ontologica*; *psychologica* est, cum mens reflectitur super proprios actus ut sunt præcisè animi affectiones; *ontologica* vero est, cum rediens super proprios actus illos considerat prout repræsentant aliquod objectum.

3.° *Compositio* idearum dicitur illa operatio, qua mens per omnes alicujus objecti notas cogitando progreditur, ut ex objecto indeterminato efficiat objectum determinatum, seu individuum. Sic ex objecto indeterminato, *homo*, per omnes ejus proprietates progrediendo, v. g. *existentiam*, *ætatem*, qua vixit, *locum*, *dignitatem*, *labores*, quos sustinuit pro tuenda Ecclesiæ doctrina, *hæreses*, quas debellavit, *auctoritatem*, quam doctrina ejus acquisivit, efficio objectum singulare, cui nomen S. P. Augustinus.

(1) Jerem. 12-11.

Est igitur quasi progressus ab idea universali ad singularem augendo notas, minuendo individua. Quæ operatio appellari potest *synthesis* idearum.

4.° *Abstractio*, seu *præcisio* est illa operatio, quâ mens à consideratione aliarum *partium*, seu *notarum* ejusdem objecti sese avocat, ut unicam ipsius partem, sive notam consideret; unde, si ex objectis singularibus detrahimus ea, quibus singularia constituuntur, et ad illam tantum proprietatem attendimus, quam cum multis aliis habent communem, facile ad ideam universalem assurgimus. Hæc operatio etiam vocari potest *analysis* idearum. Duplex esse potest, ut ex definitione colligitur; 1.° cum una pars consideratur cæteris præcisis; 2.° cum abstrahitur ad considerandum una nota præcisis cæteris. Sic primo possumus cogitare de hominis capite, neglectis cæteris partibus, secundo possumus cogitare de pomi colore, quin attendamus ad ejus figuram; hæc determinatio, de qua cogitare possumus, vocatur *forma* subjecti; et objectum ipsum, quod ipsam habet, vocatur *subjectum* determinationis, sic pomum est subjectum, color forma.

5.° *Comparatio* idearum est illa mentis operatio, quâ in ideas sese reflectens, attentionem suam modo in has, modo in illas alternis vicibus convertit, aut plures simul intuetur, ut earum convenientiam, vel non-convenientiam percipiat. Illæ ideæ sibi *convenire* dicuntur, quæ simul eidem objecto possunt competere; *disconvenire* autem, vel sibi repugnare dicuntur eæ, quæ simul eidem objecto congruere nequeunt.

6.° Ex hac operatione oritur *apprehensio comparativa*, quæ est apprehensio alicujus relationis inter duas sive res, sive ideas.

44. His mediis rectè et constantè adhibitis ideas claras ac completas, imo, quantum possibile sit, adæquatas acquirere possumus; sed insuper oportet quam maxime eas associare, ut, occurrente casu, eis utilitèr uti possimus;

hæc associatio fit eas ordinando et connectendo nexu aliquo inter se, et omnes cum illa cardinali, à quâ quæstio dependet. Sed de hoc postea.

GRAMMATICA GENERALIS.

LECTIO 7.^a—DE SIGNIS, SEU EXPRESSIONE IDEARUM, QUID SIT SIGNUM ET QUTUPLEX. UBI DE GESTU.

45. Postquam in præcedentibus Lectionibus consideravimus ideas cum in seipsis, tum relate ad objecta et ad intellectum, et cum pauca delibaverimus de mediis ad eas perficiendas: restat ut in sequentibus Lectionibus brevitér attingamus, quæ præcipua sunt circa earum expressionem; quæ Logicæ pars *Grammatica generalis* vocari solet. Dicitur Grammatica à græco nomine *gramma*, quod litteram significat: dicitur *generalis*, quia agit dumtaxat de sermone, prætermisissis particularium formis (1); melius itaque vocaretur philosophia sermonis (del language); unde potest definiri: *Scientia, quæ disserit de sermone in communi spectato*. Ordinem, quo hanc partem exsequemur, videre licebit in indice. Sit itaque primo de *signo*.

46. *Signum*, si pressè accipiatur; est *id omne, quod cum seipsum cognoscenti potentie repræsentat, facit ut præter ipsum aliquid aliud cognoscatur*; seu est *quidquid in alterius cognitionem nos ducit propter connexionem, quam cum ipso habet* (2). Quatuor conditiones in *signo* requiruntur; 1.^a *res significans*; 2.^a *res significata*; 3.^a *relatio*

(1) De la castellana, por ejemplo, de la Francesa etc.

(2) «Signum, ait S. P. Aug., est res præter speciem, quam ingerit sensibus. aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire.» *de Doctri. Christ.* L. 2. c. 1. n. 1. In hoc citato loco n. 2. et seqq. invenietis quidquid de signis scire potéstis desiderare.

quædam unam inter et alteram; et 4.^o *intellectus*, qui hanc relationem cognoscat; *vis significandi* consistit in hac relatione, ideoque juxta naturam hujus relationis denominatur signum, quod propterea potest esse *naturale*, vel *arbitrarium*, secundum quod á natura, ut inter ignem et fumum, respirationem inter et vitam, constitutum est; vel secundum quod á voluntate est, ut inter insignia quædam et auctoritatem ejus, qui ea portat, et inter voces et ideas significatas etc.

47. Omissis pluribus signorum partitionibus, iis contenti sumus, videlicet:

1.^o Signa possunt esse *necessaria*, vel *æquivoca*: necessarium illud est, quod constantè eundem ignotum significat, ut fumus, respiratio: æquivocum, quod non semper eundem significat, ut gemitus, lacrimæ, suspiria, silentium. Arbitrarium semper est æquivocum, et naturalia plurima, ut gemitus, suspiria etc.

2.^o Possunt esse *speculativa* et *practica*; speculativa sunt, quæ non producant id, quod significant, ut omnia dicta; practica, quæ illud producant, ut Sacramenta á Christo instituta.

3.^o Possunt esse *manifestativa*, et *suppositiva*; manifestativa vocamus, quæ manifestant rei alterius existentiam vel presentiam in loco sive præterito tempore, sive præsentem, sive futuro: ita inscriptio, vel arcus præteritam victoriam; tubæ clangor futuram pugnam, venerabile signum Crucis Christianum annuntiant.

Suppositiva dicimus, quæ loco rei significatæ substituantur; et intelligentiæ supponuntur, ut illius vices agant, ut icones, statuæ Christi, V. M. Virginis, aut Sanctorum, clavium urbis delatio etc.

48. Hinc infertur, quod ut signa considerari possint: 1.^o ideæ respectu suorum objectorum; 2.^o Verba, respectu idearum; 3.^o Objecta externa, respectu aliorum objectorum; et 4.^o Facta quædam externa, respectu factorum conscientiæ.

49. Sed ad nostrum scopum proprius accedentes dicimus, signa particularia, quibus ideæ nostræ exterius manifestari possunt, triplicis esse generis, videlicet *gestus*, *voces* et *scripturam*, de quibus seorsum breviter agemus.

DE GESTU.

50. Entis sensitivi phœnomena in se spectata subjectiva sunt, nec à subjecto separari possunt, quin pereant: dolor à dolente separatus, sensatio absque subjecto sensitivo, aliquo modo affecto, nihil sunt, nisi abstractiones, vel ideæ contradictoriæ, has autem affectiones internas, præter hunc, qui eas in conscientia experitur, nemo unquam mortalium cognosceret, nisi ope quorundam signorum sensibilibus possent manifestari, et exterius propemodum depromi. Ast providentissimus naturæ Auctor, Deus, universis entibus sensitivis hanc facultatem significandi suas affectiones tribuit, prout eorum natura et *necessitates* exigebant; puer, priusquam ratione utatur, planctu, clamore et gestu affectiones internas manifestat; id ipsum experimur in brutis animalibus. Hæc signa sunt *naturalia*, ideoque apud omnes ubique terrarum identica; et æquè naturaliter intelliguntur. Vagit infans dolorem sentiens, tendit manus ad ea, quæ cupit, et ipse homo postquam rationis usum adeptus est, repentino eventu, instinctu ductus, clamore, pallore, labiorum convulsione, alterato colore, oculorum scintillatione, idem ac puer suas affectiones promit, et eodem modo cultus europæus ac silvarum incola, vel ipsa bruta animalia hisce signis sese mutuo comprehendunt, et domestica domini gestu, vel voce agnoscunt ejus iram, vel animi suavitatem.

Hæc omnia utpote communia vix jam admirationem excitant, sed ea paululum perscrutanti elucet sapientissi-

ma ac providentissima Creatoris manus, qui entia universa iis munivit facultatibus, quibus ad conservationem et mutuas relationes indigebant.

51. His præstitutis jam gestum possumus definire: *est itaque gestus, corporis motus, vel situs, quo aliqua affectio interna entis sensitivi manifestatur.* Ad gestum referuntur non solúm gemitus, clamores etc., sed etiam quædam nostræ actiones liberæ, quibus cogitationes significantur: hæc loquendi ratio apud Orientales, præsertim Judæos, maximè viguit.

Gestus vocum significationem minuunt, vel augent, mutant, vel confirmant, ut patet præsertim in concionatoribus; sed sub hoc respectu ad aliam scientiam pertinent.

Sunt etiam quidam gestus, qui *arbitrarii dicuntur*, eo quod dumtaxat ex libero hominum instituto suam habeant significationem: hujus generis sunt signa apud nauticos in mare, vel in littoribus usitata; sic etiam sunt gestus surdorum-mutorum, á Petro Ponce Monacho Benedictino, et Joanne Bonet hispanis mirabiliter excogitati, et postea á *de l' Epèe* et *Sicard*, ad perfectionem adducti, id quod Aristoteli impossibile videbatur.

LECTIO 8.^a—DE LOCUTIONE.—DE EJUS NECESSITATE ET EMOLUMENTIS.—QUID SIT VOCABULUM, QUID ORATIO. DE NOMINE ET VERBO.—QUID TERMINUS.

52. Homines ad mutuam societatem nati, in eam coire non possunt, nisi cogitationes suas sibi invicem aperiant, variasque, quibus afficiuntur, perceptiones in aliis excitent (1).

Cogitationes vero nostræ, cum nihil corporeum admixtum habeant, sub sensibus cadere non possunt, ideo per-

(1) Cons. S. P. Aug. *De Fide et Symbolo* c. 3. n. 3. et 4.

petuò mortalibus latuissent, nisi essent quædam signa, quibus manifestari possent, ut in præcedenti Lectione inuimus; in qua, postquam aliquid de signo in genere delibavimus, de gestu in specie summam breviter attigimus; veniamus nunc ad locutionem cæteris signis longior commodiorem, ipsâ enim exprimuntur cogitationes, res cogitatae, et variæ hominis loquentis affectiones. Præterea variis modis ita flectuntur voces, ut quamvis exigui numeri sint soni elementares, diversa tamen eorum conjunctione nascuntur infinitæ propemodum compositiones. Deinceps voces facile formantur, sine labore ab audientibus excipiuntur, et loquentem ab aliis functionibus non prohibent; etiam ad facultates intellectuales et morales evolvendas, summopere necessaria est *locutio* cum cæteris hominibus; alioquin mentis nostræ ideæ imperfectissimæ forent, in iis præsertim omnibus, quæ ordinem sensibilem transcendunt. Cæterum Condillachii et philosophorum ejusdem furfuris fabellis minimè acquiescimus, quasi sermo necessarius absolute esset ad analysim et synthesim idearum, et adeo consistere progressi sunt in via ineptiarum et stoliditatis, ut dicerent ipsam intelligentiam nonnisi ex usu loquelæ progigni; enimvero certo certius est nos non intelligere quia loquimur, sed ideo loqui quia intelligimus (1). Ast quid valeat intellectus absque sermonis signis, nequit certo determinari. Sermonis autem emolumenta his continentur: 1.° præterquamquod, ut diximus, inservit ad ideas communicandas, est proinde veluti vinculum societatis; 2.° Subvenit memoriæ ad ideas semel habitas revocandas: 3.° mentis attentionem figit, detinetque in objecto, quod exprimit, quæ secus ad alia contemplanda statim raperetur: 4.° mentis operationes conservat, efficitque, ut illa, postquam contemplationis suæ partus vocabulis scripto exaratis ad eos retinendum tradiderit, soluta curis ad nova speculanda

(1) Cons. S. P. Aug. De Catechizandis rudib. c. 2. n. 3. et 4.

impunè progredi possit, præsertim in numerorum scientia (1).

53. Hinc providentissimus Pater, Deus, omnium creator, ac moderator, nos ditavit hoc mirabili dono, quod locutio, lingua, vel sermo appellatur, et est *expressio cogitationis vocibus, seu vocabulis facta*.

Vocabulum est *sonus articulatus ab homine ore prolatus ex institutione hominum diversa significans*: dicitur *sonus articulatus*, ut distinguatur á confusis animalium sonis, ut sunt mugitus boum, balatus ovium, latratus canum etc. et á vocibus, quæ simplicibus continentur sonis, ut gemitus, clamor: *articulatus* quoque, quia actione varia linguæ, labiorum, palati, dentium, aut etiam gutturis diversimode, iis modificatis, distinguitur *syllabis*, quasi quibusdam articulis simplicibus et consonis litteris formatis: dicitur *ex institutione hominum varia significans*, primo quidem ut distinguatur á loquelis psittacorum, et picarum quasdam voculas effundentium; secundo autem ut innuatur, tametsi dentur soni articulati, qui plus minusve naturam imitantur, et eo ipso aptiores sint ad quasdam mentis ideas affectionesque exprimendas, nulla tamen vocabula ex se et ex natura sua exprimere res ipsas et cogitationes nostras, sed eorum significationem prorsus arbitrariam esse (2). Etenim si vocabula essentialem, non vero arbitrariam, connexionem haberent cum ideis, quas significant, cum omnes homines sint ejusdem naturæ, eadem vocabula apud diversos populos easdem ideas semper significarent, sicut risus, gemitus et lacrymæ eosdem mentis affectus ubique exprimunt, ut præced. Lect. indicavimus; atqui in nulla lingua inveniuntur vocabula, quæ easdem ideas apud diversos populos semper et ubique

(1) Consul. præcl. Balm. phil. et ideol. pur. c. XVI.

(2) Stoici contrarium sentiebant, S. P. Aug. lib. de principiis Dialect.

significant (1); imò nulla fere sunt, quæ ab initio mundi aliquam mutationem non subierint, iisdem ideis remanentibus; ergo arbitraria est eorum significatio: unde Pöeta canebat:

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, et jus, et norma loquendi (2).

Hinc est, quod juxta varias inflexiones vocum et intentiones oriantur variæ populorum locutiones, quæ idiomata dicuntur; ut latinum, hebraicum, hispanum, etc.

54. Vocabula alia sunt *per se significantia*, alia *non per se significantia*.

Sunt *per se significantia*, quæ sine ullo addito completam habent significationem; ut Cæsar, loquor, homo etc.

Sunt *per se non significantia*, quæ non habent completam significationem, sed solum prima modificant, ut omnis, nullus, aliquis, ille etc., pleraque adverbia, præpositiones et conjunctiones; illa appellabant veteres *categoremata*, ista vero *syncategoremata*.

55. Vocabula sunt orationis partes, cum exprimunt aliquam affectionum seriem copulatam; etenim *oratio est vocabulorum complexio ad aliquid significandum ordinata*. Est *perfecta*, cum integram significat sententiam; ut *memento te mortalem esse; vidi Petrum* etc.

Imperfecta, seu *eliptica*, cum animi sensum non prodit integrum ob defectum alicujus vocabuli, ut *homo ferox, Petrus* solet etc.

Est *expletiva*, si aliquid contineat non necessarium ad logicam constructionem, ut *memento joh homo! te esse mortalem; homo prudens paratus esse debet ad mortem* etc.

Aliis in locis hoc ipsum indicabitur et confirmabitur,

(1) S. P. Aug. L. 2 de Doct. Christ. cap. 3. S. Tho. Sum. Cont. Gent. Lib. 3. cap. 105; S. P. Aug. de Catechiz. rudib. c. 2. n. 3. et 4.

(2) Epist. ad Pison.

licet sub alio respectu. Si hæc affectiones signis tantum inarticulatis, ut gemitibus etc., exprimantur, hæc expressio vocatur *Pantomima*.

Variæ sunt partes grammaticales, quæ orationem constituunt; *nomen*, videlicet, *pronomen*, *articulum*, *verbum*, *participium*, *præpositio*, *adverbium*, *conjunctio et interjectio*. Cum autem ex elementis latinæ linguæ omnes noscatis, logici munus fungens breviter aliquid de nomine et verbo innuemus, quod proprie ad logicam pertinet.

56. Non omnes conveniunt in assignanda natura verbi. Apolonius (1) cum aliis dicit, voces, quæ actionem, vel motum proprium, vel improprium significant, esse verba; sed hæc opinio prudenter rejicitur. Auctor logicæ Port-Royal, Condillac et de Traci digne opinantur, essentiam verbi consistere in *affirmatione*; cui opinioni non desunt probabiles rationes, quamvis non amplectamur. Itaque nos sic verbum definimus: *Vocabulum, quod ideam exprimit per tempus variè modificatam*. Omne verbum vel exprimit *actum essendi*, vel *modum essendi*; si primum, verbum dicitur *substantivum*, vel *absolutum*, et semper est verbum *sum, est, esse, fui*. Si *modum essendi* exprimit, dicitur *adjectivum*, vel *relativum*, quod quidem, probabilius est, ad verbum substantivum semper reduci posse (2). *Deus est*, en verbum substantivum: *Deus remunerat: Deus remunerabit* etc., en adjectivum.

Classes, modos, tempora etc. verborum jam ex grammaticæ latinæ rudimentis nostis, ideoque impune omitti hic possunt (3). Unum tantummodo animadvertam, scilicet, verbum secundum omnes suos modos acceptum sem-

(1) Synt. Lib. 1. c. 8. et lib. 3. c. 32.

(2) S. Thom. Met. Lib. X. Lect. 9.

(3) Balm. Gram. gen. cap. 11.; Gutierrez (Agustin) Gram. 5. p. cap. 4. et auctores ab ipso cit.; S. Thom. in I. Perihem. Lect. 5. 6.

per significat, et quidem *suppositive* (47. 3.^o), duarum idearum identitatem objectivam, vel diversitatem, ut est objectum alicujus animi actus, cujusmodi est affirmatio, imperium, desiderium, permissio, deprecatio etc. adjecta relatione ad tempus. Sed de hoc postea.

57. Nomen, logicè sumptum, est *vocabulum conceptum rei significans sine temporis differentia*. Dicimus *sine temporis differentia*, quia *nomen*, ait S. Bonav. (1), *in quiete significat aliter ac tempus* (2). Dicimus *conceptum rei significans*; quia nomen duo significat; et rem, quæ est intellectus objectum, et ideam rei in intellectu existentem, quamvis diverso modo utramque significet; est enim signum *suppositivum* rerum, *manifestativum* idearum (47. 3.^o), unde etiam definiri potest: *vocabulum rem cogitatum significans*. Alia multa maximèque philosophica dici possent, sed iis pro nunc contenti sumus, ne Lectio hæc nimis protrahatur: qui has ideas ampliare desideret, adeat, inter alios, Augustinum Gutierrez: *Cursus complet. philosophiæ*, Vescivescha, 1861.

58. Cæterum, nomina et verba, prouti sunt propositionis partes, *termini* à logicis vocari solent, quia in ipsis terminatur ac desinit propositionis logica resolutio. De iis autem sit

LECTIO 9.^a—DE TERMINORUM PARTITIONE: 1. SECUNDUM VIM SIGNIFICANDI: 2. SECUNDUM OBJECTA SIGNIFICATA: 3. DENIQUE SECUNDUM EXTENSIONEM.

59. Diximus Lect. præcedenti n. 55, vocabula esse orationis partes, cum exprimunt aliquam affectionum seriem

(1) In I. Sent. d. 22. dubium 4.

(2) S. Thom. in lib. Perihem. Lect. 4.; Sanseverino Log. 1. p. cap. 2. art. 2.

copulatam; planum est nos loqui de partibus logicis, non grammaticalibus, quas ibidem innuimus, et sunt quælibet voces singillatim acceptæ, quæque novem communiter enumerantur; partes logicæ sunt voces, vel harum congeries, quatenus ideam exhibent totius subjecti, vel attributi, tresque sunt dumtaxat, quæ vocantur *subjectum*, *copula*, *prædicatum*. De iis actu propositionem componentibus tractare ad alium pertinet locum, nunc tantummodo de nominibus, seu terminis, prout sunt materia, *ex qua* propositio formatur; et hoc quidem sub triplici respectu, ut ex prospectu Lectionis patet.

60. Sit itaque primo de terminis secundum vim significandi, et sic dividuntur:

1.º In categorematicos et syncategorematicos: vide Lect. 8 n. 54.

61. 2.º Dividuntur termini in *univocos*, seu synonymos, et *æquivocos*, seu homonymos. Notandum tamen, has denominationes convenire primo rebus, et ex iis ad terminos transferri (1).

Res autem univocæ sunt *ææ*, *quarum nomen idem est, et eadem ratio per nomen significata*, ut animal, planta etc.

Æquivocæ sunt, *quarum nomen idem est, sed diversa ratio per nomen significata*, ut pes, leo (en castellano *granada*) etc.

Terminus univocus est, *qui eandem constanter rationem et essentiam significat, cum de suis inferioribus dicitur: ut animal*, tam de homine, quam de bruto semper eandem rationem significat, scilicet, corpus organicum animatum etc.

Terminus æquivocus est, *qui diversas rationes et essentias significat, cum de suis significatis dicitur: ut malum, doctus, gallus etc.*

(1) Cons. Casiod. l. de art. et discip. liber. litt. cap. 3.

62. Terminus æquivocus alius est *purè* æquivocus, alius *analogus*: pure æquivocus est, *cum inter diversas rationes, per ipsum significatas, nulla intercedit relatio*, ut malum, os, gallus, tartarus, leo, etc.

Analogus est, si *inter rationes et essentias significatas aliqua relatio intercedit*, ut pes, doctus etc.

Duplex est analogia, quæ æquivocationem inducit, alia est *attributionis*, alia *proportionis* (1).

Analogia attributionis est *in iis rebus, quæ eodem nomine significantur, quia relationem habent ad rem eandem, sed diversimode*; sic sanum dicitur de cibo, de medicina, de aere, de vultus colore, per *respectum* ad animalis sanitatem.

Analogia proportionis est *in iis, quæ eodem nomine significantur, quia sunt secundum aliquam proportionem similia*. Est autem proportio: *identitas habitudinis, quam duo habent ad alia duo*. Hoc pacto dicimus prata ridere; quia quemadmodum se habet risus in hominis vultu, ita viror herbarum, et florum amænitas in prato.

63. Secundum objecta significata termini dividuntur:

1.º In *concretos et abstractos*. Quid ii sint, nullo negotio intelliges ex supra dictis de ideis. Lect. 3.^a (n.º 27-28-29.)

2.º In *connotativos et absolutos*.

Connotativus est, *qui significat aliquid ut inhærens, seu adjacens alicui*; ut sapiens, cæcum, amabile.

Absolutus, *qui significat aliquid, non ut inhærens alicui, sed ut per se subsistens*; ut homo, Roma, cæcitas, amabilitas.

3.º In *simplices et complexos*.

(1) Consulantur S. Thom. 1. Cont. Gent. cap. 33, et 34.; et Ferrar. ibid.; id. Clem. Alex. Strom. 8.; et. S. Thom. q. 2. de ver. a. 11.; et 5 Meth. Lect. 8.

Simplex est, *unicum vocabulum ideam aliquam, sive simplicem, sive compositam, exprimens*; ut ens, domus.

Complexus est, *qui pluribus vocabulis unam ideam compositam effert*; ut homo prudens.

64. In hujuscemodi complexis unus terminus rem significat, alter rei affectionem, vel attributionem; atque ille dicitur *principalis*, hic vero *incidens*; *homo*, in exemplo, est principalis; *prudens* est incidens.

Terminus autem incidens, si principali conveniat secundum totam ejus extensionem, appellatur *explicativus*, si vero non secundum totam ejus extensionem principali conveniat, sed tantummodo secundum partem, dicitur *restrictivus*, vel etiam determinativus. In his terminis complexis: *Deus bonus, homo mortalis*, incidens est explicativus: in his autem: *homo prudens, liber Platonis, timens mortem, disputans acute, homo, qui dormit*, restrictivus est.

65. 4.^o Demum, rei significatæ extensione spectata, termini dividuntur in *proprius* et *communes*.

Proprius est, qui certum individuum significat, i. e. ideæ singularis objectum, unde dicitur quoque terminus *singularis*. Hujusmodi sunt *Socrates, Neapolis, Bucephalus*.

Communis est, *qui de pluribus singillatim, et secundum eandem significationem dici potest*; ut substantia, pater, justus.

Porro terminus communis, per se et immediate, comprehensionem universalis ideæ significat: mediate vero, ea quoque individua, quæ illius extensionem constituunt. Unde potest ad extensionem hanc vel ex toto, vel ex parte significandam determinari, et sic fieri singularis, particularis, universalis et collectivus.

V. gr. hic terminus communis *miles* fit singularis, cum dicis: *hic miles*, vel, *miles, quem aspicias*.

Fit particularis in his locutionibus: *quidam miles, decem milites, Cæsar est miles*: de quo postremo exemplo infra.

Fit universalis, cum dicis: *milites, omnis miles, nullus miles.*

Fit collectivus in hac propositione: *omnes milites exercitum constituunt.* Jam videtis, terminum communem determinari ab aliqua præfixa nota, vel numero.

Si autem nullo modo terminus communis quoad extensionem determinetur, *indefinitus* appellatur.

66. Hinc pronum est deducere definitiones termini *singularis, particularis, universalis, collectivi, indefiniti.*

Singularis est *ille, qui individuum significat*; nempe vel nomine proprio, vel communi, facto singulari.

Particularis, est *terminus communis ad unum e suis inferioribus, sed indeterminatum, significandum coarctatus.*

Universalis *terminus communis fit, cum omnia sua inferiora singillatim accipienda significat.*

Collectivus, *qui omnia sua inferiora per modum unius accipienda significat.* Reducitur ad singularem.

Indefinitus, est *terminus communis, quatenus ab extensione significanda præscindit.* Consulatur Lect. 3.^a

Hæc melius intelligetis ex iis, quæ contiguè subjiciemus de terminorum suppositione.

LECTIO 10.^a—DE USU VOCABULORUM ET SUPPOSITIONE.
NOTANDA QUÆDAM CIRCA EORUM USUM ET INTERPRE-
TATIONEM.

67. Ex vocabulorum abusu inanes sæpè oriuntur disputationes tum in vita civili, tum in scientificis dissertationibus; ut autem hoc vitium in sermone philosophico vitetur, sequentes subdimus animadversiones, quæ ad septem capita revocantur, hæc sunt, videlicet; *suppositio, status, ampliatio, distractio, restrictio, diminutio, appellatio*; quibus subnectimus aliquas regulas circa usum et interpretationem terminorum.

68. I. *Suppositio generatim, est usus termini pro re aliqua.* Ejusdem porro vocis diversa potest esse suppositio, ut quæ ex loquentis intentione, et ex orationis adjunctis sæpe dependet.

Itaque 1.º suppositio potest esse *materialis*, vel *formalis*.

Materialis est: *usurpatio vocis pro seipsa.* Exemplum: *Cicero est vox trium syllabarum.*

Formalis est: *usurpacio vocis pro re aliqua, quam significat.* Exemplum: *Cicero fuit consul.*

2.º Formalis suppositio; alia *realis* est, alia *logica*.

Realis est: *usus termini pro re significata, secundum modum existendi, quem habet in mente.*

Logica est: *usus termini pro re significata, secundum modum existendi, quem habet extra mentem.*

Cum dicis: *Plato est homo*, suppositio est realis; cum dicis: *Plato est idea singularis*, suppositio est logica.

3.º Eadem formalis *realis* suppositio duplex est: *singularis*, vel *communis*.

Singularis est: *acceptio nominis pro individuo determinato*, ut cum dicis: *hic homo*, vel, *Socrates*.

Communis est: *acceptio nominis communis pro suo significato immediato, vel pro suis significatis mediatis.*

4.º Hinc suppositio *communis* in duas subdividitur.

Altera est: *acceptio nominis communis pro natura, quæ pluribus individuis inesse potest*: hæc dicitur *suppositio absoluta*.

Altera est: *acceptio nominis communis pro individuis, quæ extensionem ideæ universalis constituunt*: hæc dicitur *personalis*.

Utriusque exemplum habes in his propositionibus. *Homo est nobilissimum animal; omnis homo moritur.* 1.ª est absoluta, 2.ª personalis.

5.º Amplius: suppositio *personalis* quadrifariam dispercitur; est, videlicet, vel *distributiva*, vel *collectiva*, vel *disjunctiva*, vel *disjuncta*.

Distributiva est: usus termini communis pro suis inferioribus, ita enumerandis, ut de singulis seorsum acceptis certa evadat oratio: Exemplum; Omne corpus est grave. Vox corpus distributive supponitur.

Collectiva est: usus termini communis pro suis inferioribus, ita enumerandis, ut solum de omnibus simul acceptis certa esse possit oratio. In hac propositione: Omnes partes æquant totum, vox partes collective supponitur.

Disjunctiva est: usus termini communis pro uno, aut altero e suis inferioribus, eoque indeterminato; ita tamen, ut de uno aliquo seorsum accepto certa esse possit oratio.

Cum dicis: *aliquis Apostolus fuit proditor*, voci apostolus suppositionem tribuis disjunctivam.

Disjuncta est: usus termini communis pro uno, aut altero e suis inferioribus, eoque indeterminato, sed ita, ut de nullo seorsum accepto certa possit esse oratio. Ita adhibetur vox navis in hac enuntiatione: Aliqua navis ad navigandum necessaria est.

6.º Demum distributiva suppositio potest esse *complete* distributiva, vel *incomplete*.

Est completa distributio, *cum inferiora enumeranda sunt individua; ut in hac propositione: Omne animal est mortale. Hæc dicitur quoque suppositio pro singulis generum.*

Est incompleta, *cum inferiora enumeranda, non individua sunt, sed solummodo species termino communi subjectæ; ut in hoc exemplo: Omnia animalia a zoologis describuntur. Hæc vocari solet suppositio pro generibus singulorum.*

Quod si in una, vel in altera suppositione, aliqua *exceptio* facta intelligatur, suppositio dici solet *accommoda*; ut cum dictum legimus: *In Adam omnes peccaverunt: Omne animal fuit in Arca Noé*; in primo exemplo

excipiuntur duo individua (1); in altero species piscium

69. *Reduplicative*, seu *ut sic*, est *usurpatio vocis pro subjecto propter formam subjecti*; ut philosophus est doctus: é contrario: *denominative*, seu *specificative*, est *usurpatio vocis pro subjecto, non spectata forma*, sed materia subjecta, ut ita dicam; ut philosophus dormit.

70. *Status* est: *acceptio termini pro iis rebus, quæ sunt in tempore adsignificato per verbum ipsi conjunctum*. Cum dicis v. gr. *multi pueri senuerunt*, terminum *pueri* accipis, non pro iis, qui sunt, aut erunt *pueri*, sed pro iis, qui fuerunt.

71. *Ampliatio* est: *acceptio termini pro pluribus rebus, quam quæ existunt tempore ad significato per verbum ipsi conjunctum*. Hoc pacto accipitur terminus *senex* in hac propositione; *Omnis senex fuit puer*; videlicet; *omnis qui fuit*, aut *est senex*; et vox *lugentes* in hac: *Lugentes consolabuntur*; nempe qui *sunt* aut *erunt lugentes*.

72. *Distractio* est: *acceptio termini pro iis tantum, qui sunt alio quodam tempore á verbi tempore diverso*; ut contingit in hac enuntiatione: *Mortui resurgunt*: *Es-plica*: qui *fuerunt mortui*; *cæci vident*, *claudi ambulant*, id est, qui *fuerunt cæci* etc.

73. *Restrictio* est: *Coarctatio significationis termini ad partem tantummodo extensionis, quam ex se haberet*. Fit per vocabula incidentia restrictiva, de quibus supra dictum est. Quod si incidens á propria significatione ad impropriam terminum transferat, ut cum dicis: *equus marmoreus*; tunc mutatio hæc non propriè restrictio, sed *alienatio* appellatur.

74. *Diminutio* est: *coarctatio termini ad significandam solummodo partem ejus rei, quam ex se totam signifi-*

(1) Christus D. N. scilicet, quæ exceptio absolutè debebatur Divinæ personæ; et naturæ humanæ conceptioni opera Spiritus Sancti; et Beatissima V. Maria intuitu meritorum Christi; est de fide.

cat; v. gr. cum dico *ruber*, significo subiectum rubrum; si addo; *crine*, coarcto significationem ad hujus subiecti partem.

75. *Appellatio est: applicatio notionis significatæ per unum terminum ad id, quod per aliquem alium terminum significatur*; ut cum dico: *magnus dux*, applico *homini*, ut est *dux*, notionem significatam per vocem *magnus*, ut significem eum in arte militari excellere.

76. Nunc vero propriùs finem Lectionis appropinquantes sequentes, statuamus regulas circa terminorum usum. Etenim cum in hunc finem vocabula adhibeamus, ut res à nobis cogitatas cœteri intelligant, illud maxime in vocabulorum usu, præsertim philosophico, curandum est, ut, qui audiunt, vocabula ipsa, quæ usurpamus, intelligant, iisque intellectis *mentem* quoque loquentis quam proximè assequantur. Ad hunc itaque finem sit:

1.º *Termini in propria significatione sumantur*. Tropicas enim locutiones, oratoribus atque pœtis familiares, à philosophis vitandæ sunt, qui veritatem potius, quam elegantiam sermonis sectari debent: nec elegantiae donantes, sint veriti de trahentes.

2.º *Termini obscuri, barbari, et peregrini vitentur*. Non tamen excludendi sunt termini in artibus, aut scientiis proprii, qui *technici* vocantur, hi enim termini cum significationem determinatam ac propriissimam habeant apud sapientes, nullus alius ipsis substitui possunt sine magno incommodo, tum ex parte terminorum, tum propter ipsam significationem: inanis philosophia elapsi sæculi hos irridebat, at certum est, in alios *barbaros* incidisse, et ridiculos iis substituuisse ad fucum ignorantibus faciendum (1).

3.º *Termini æquivoci non adhibeantur*, saltem quan-

(1) Gaume, *Hist. Revol. Franc.*

tum fieri possit; vel si quis adhibeatur, dilucidé explicandus est, et assignanda significatio, quam ipsi tribuimus (1).

Cæterum: *consideranda est semper audientium conditio*, et communiter, nisi alia adjuncta suadeant, non aliæ in illo supponi debent notiones, quam quæ omnibus sunt communes. Hæc complentur infra, inappendice Artis Criticæ et Hermeneuticæ. Hic dictum q. d. e.

LECTIO 11.^a—DE ORIGINE ET DIFFERENTIIS LINGUARUM.

77. Supra diximus, L. 8.^a, vocabula non ex se et ex natura sua objecta cogitata significare, sed ex hominum tacita vel expressa conventionem, seu institutionem (2), hincque necessitas determinandi vocabulorum significationem, et usum tritum sequendi, quod in Lect. 9.^a et 10.^a pertractavimus. Nunc vero studii fames pulsatur et stimulat ad aliquid innuendum circa linguarum originem: hæc enim quæstio hinc inde, ob ultiores consequutiones, non parum agitur.

78. Ante omnia distingui debet quæstio *facti* á quæstione juris: id est, 1.^o utrum lingua, seu sermo sit inventus ab hominibus, an illum acceperint. 2.^o Casu, quo sermo non sit ab hominibus inventus, fuisset necne possibile, ut illum invenirent?

79. Jamvero cum homo facultatem loquendi á Deo creatore acceperit sicut et cæteras facultates, prima quæstio ad hanc reducitur, utrum homo facultate loquendi præ-

(1) S. P. Aug. lib. 22. Cont. Faust. cap. 18.

(2) Intelligite; á principio, cum Deus hominibus loquelam donavit, ut hic probabimus, eo ipso dedit eis una cum ipsa ejus intelligentiam ac significationem, ut patet vel ex eo, quod Adam omnibus rebus sua cuique nomina propria imposuit; deinde vero per educationem, parentumque ministerio transmissa est: idem potest dici cum Deus in babelica confusione linguam divisit. Nos igitur loquimur de linguis, quæ progressui temporis, variisque vicissitudinibus originem debent suam.

ditus sermonem (language) invenerit; an simul cum illa facultate ipsam loquelam á Deo acceperit? primam quæstionis partem tuentur inter antiquos Lucretius (1), Horatius (2), Diodorus Siculus (3), Vitruvius (4), et inter neotericos Condillac, Lord Burnet (5), Dampierre, Helvetius, Gebellinus, Maupertius, Volney (6) Carol. Nod., (7), et feré omnes rationalistæ. Ast fallunt et falluntur isti philosophi sophisticæ et temerarii. Sophisticæ quidem, quia ratio contrarium suadet: temerarii, quia Sacra Historia contrarium docet. Ac primo quidem ratio ipsa probat, homines sermonem de facto non invenisse, sed á Deo accepisse, ut fatentur post multiplices ac minime suspectos labores Klaproth, Abel Remusat, Whiter, Vans-Kennedy, Goulanioff, Adelung, Merian, Hammer, Schlegel, et G. de Humboldt (8). Breviter rationes insinuabo. Moysis historia, quamvis præscindamus ab ejus divina auctoritate, est fide digna non minus ac quæcumque alia historia; est omnibus antiquior: in nullo vel minimo relato inventa fuit mendax, tametsi ut illam mendacii accussarent, nullum non increduli moverunt lapidem.

¿Quare igitur viro cordato ab ea recedendum? ¿Quid nos docet experientia? filios á parentibus linguam addiscere, et nos docet quomodo addiscunt; atque nullam aliam, nec verbum quidem, noscunt, quam eam, quam á parentibus accipiunt; et si aliam nos addiscere volumus, quot

(1) Lib. 5. *de primævis homin.*

(2) Lib. 1. *sat.* 3.

(3) Lib. 1. *prim. Rom. Stat.*

(4) Lib. 2 *de Architect.* c. 1.

(5) *Tentam. de orig. et progress. ling.*

(6) *Ruin.* Paris, 1820.

(7) *Articul. en el temps,* 1833.

(8) *Consul. M. Card. Wiseman, Armon. scient. et revelat. et confers. Romæ habit.*

labores, et hoc quamvis habeamus Artes et peritos Magistros. Quid docet ratio? per eam agnoscimus hominem á Deo conditum ab ipsius manibus mutum et imperfectum derelictum minime fuisse, opera enim Dei non delimitata sunt, maxime cum ad loquelam inveniendam cultura et societas aliqua præviæ necessariæ sint, ut probat ipsum mirabile inventum; sed quæ cultura sine sermone? quæ societas sine loquela? Dicemus proto-parentes et ab ipsis progenitos *mutos* et *selvaticos*, ut *sophistis* placet, vixisse? Sed si ita: quomodo ipsis in mentem venit, pactum inire? Et quomodo hoc pactum indixère? quis quos convocavit, et quomodo? et ubi? quando? quomodo unusquisque suum desiderium pandebat? si unusquisque secum ipso non *colloquebatur*, quomodo præstantiam aut incommoda ex societate provenientia agnoscebat et cæteris proponebat? quid est, quod homines post tot sæcula linguam ullam non solum non invenerunt, sed nec ad minimum perfectionis primarias adduxerunt? (1); et si sermo adeo necessarius est, ut sine ipso *ratio sopita, et intellectus nulla idea informaretur*, et *homines more belluarum viverent* (2), ut ipsi blaterant quomodo igitur inventum, quod ipsius *Newtonii intelligentiam magno honore commendasset*, uti ait Baco, tales mente-capti invenirent? Recté itaque dixit Rouseau: «ut mihi videtur, sermo necessarius fuit ad sermonis inventionem.»

Quot absurda et monstra devorant increduli!... *Culicem excolentes et trabem deglutientes*. Quid enarrat Moysis historia? Deum colloquentem cum primo homine enarrat, eum Deus instruit, et dominium cæterarum rerum ei tradit; et hominem omnibus rebus animatis et inanimatis nomina imponentem nobis Divina Historia notum facit; hominem

(1) Cæsar Cantú Hist. Univ. Ep. 1.^a cap. 4. et alibi.

(2) Volney, *Ruinas*, Paris, 1820, pag. 36.

etiam loquentem cum muliere, et istam cum serpente etc., et Eccl. 17. ait: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum, creavit ex ipso adjutorium simile sibi, et dedit linguam illis.* In quæstione igitur de facto nulli dubium, quod negativè resolvenda sit, id est, homines non adinvenerunt sermonem, sed acceperunt á Deo, amantissimo Creatore et Patre.

80. Dato igitur et concessio ita evenisse, at supponamus quod non evenerit; hoc in casu: estne possibile, quod homines linguam, seu sermonem invenerint? en quæstio de jure, maximè philosophica, attamen plus frugis habet subtilitatis, quam utilitatis; et quæ locum præstat variis acutisque observationibus, quas grato placidoque animo persequerem, at timeo limites hujus Lectionis excedere: breviter proinde.

Itaque hac in quæstione, plures philosophi opinantur, minime impossibile esse homines, ex insita facultate loquendi et necessitate societatis, paulatim non substituissent signis naturalibus loquelam: alii contrarium sentiunt.

Nos vero quam opinionem amplectamur jam ex dictis colligere licebit: opinor homines sine loquela minime loquelam invenire potuisse.

81. Animadverto 1.º, hanc opinionem nihil commune habere cum traditionalismo; animadverto 2.º, contrariam opinionem multa supponere, quæ nec probant, nec probare possunt ejus patroni; animadverto 3.º, quod ego minime suppono, ut supponit C. Bonald (1), hominis mentem sine loquela nulla idea informari (2); assertum meum est: *homines sine loquela nunquam suas ideas vocabulis articulis exprimere posse.*

Et profecto: in affirmantium hypotesi admittere necessa-

(1) Recherch. phil. ch. 2. et 8.

(2) Ad psychologiam has quæstiones remitto.

rium est temporis periodum plus minusve longum status *mutismi*, quo in statu impossibile fuit, ut homines aliam societatem, seu communicationem inter se haberent, quam quæ est inter bruta animalia, et ista non mihi videtur satis opportuna ad linguam inveniendam, et ad vitam intellectualem et moralem ad eum perfectionis gradum elevandam, ut tam mirabile inventum excogitarent homines: et non dicatur signis naturalibus, et *mutuatione* sonitus rerum ad vocabula articulata assurgere eos potuisse:

1.° Quia quod contrarii facere debent est probare, non *supponere*:

2.° Quia hæc *suppositio* admitti non potest; etenim sonitu solum *imitari* possunt res illæ, quæ organum auditus affectant; at nullo modo eas res, quæ organa alia afficiunt, multoque minus multitudinem illam rationalium idearum, quæ sunt pretiosum thesaurum entium intellectualium. Sed insuper non idem est imitari strepitum ab objectis productum, ac eadem objecta vocabulis exprimere et significare: primum clamitu et gestu imitari potest; at secundum non est *imitari*, sed *loqui*. Sed insuper sine stipulatione, quomodo sese intelligebant? atque in tali abjectionis et ignorantiae statu, in quo mutismus homines collocaret, quomodo meditabantur et combinabant media necessaria, ut ab aliis uniuscujusque (suppositum) *vocabulum* intelligeretur?

3.° Præterea, si homo linguam invenisset, hæc inventio, non casu et inopinato, sed fructus plurium et implexorum ratiociniorum debuisset esse, eo quod mirabilis ordo, uniformitas et profunditas philosophica tanta in linguis elucet, ut ipsos incredulos fateri subigeret: *digitum Dei esse hic*; at si ratiocinii fructus esset, linguæ evelvi, perfici, ac in simpliciores et præstantiores progressum facere possent, ut omnia humana inventa, at minimè ita fit, etenim, ut omnes sapientiores linguistæ fatentur, in quacumque epocha vel remotissima, quæque lingua scrutetur,

et ad analysim adducatur, completa, perfectaque in essentialibus et *characteristicis* constitutivis invenitur, ita ut imitari non possit, quin destruat: et est error credere linguas, præsertim tres originarias, esse imperfectas. Omitto alias plures rationes, nec propositam prætergrediar metam.

82. Linguæ, seu dialectus, quæ super faciem terræ loquuntur, ad quatuor millia ascendunt, sed omnes reducuntur ad tres, vel quatuor originarias; causas hujus multiplicationis essentielles Moyses describit (1) accidentales vero debentur climati et statui culturæ, vel ignorantiae populorum. Inter linguas, quæ cognoscuntur, notantur differentiæ *essentiales*, et *accidentales*: illæ inter quas vigent differentiæ *accidentales* ab uno derivantur trunco: illæ vero inter quas vigent differentiæ *essenciales*, ad tres origines pertinent, quæ probant tres stirpes filiorum Noe: Hoc autem minime est asserere, tres tantum fuisse linguas, quæ ex confusione Babelica ortæ fuerunt; harum enim numerus juxta S. Hieronymum ascendit ad septuaginta duo (2); S. P. Augustinus numerat septuaginta tres (3); aliique alitè enumerant: quantuscumque enim fuerit numerus earum linguarum, nemini dubium est, quin aliquæ matrices linguæ supersint, quæ linguæ matrices ad tres, ut dixi, sapientes reducunt; scilicet: 1.^a est *Indo-Europea*, quæ comprehendit familiam *Sanscrit*, *Persicam* vetus et novam; *Teutonicam*, *Illyricam*, *Celticam*, *Græcam* et *Latinam*, cum iis omnibus, quæ ab iisdem deribantur; comprehendit igitur omnes dialectos, quæ per Europam in usu sunt, exceptis cantabrico (Vascuence) et pannonico; 2.^a familia est *Semitica*, quæ comprehendit dialectos difussas per Palestinam, Syriam, Mesopotamiam, Phœnitiam, Arabiam et Æthiopiam; id est, Hebraicam, Siro-Caldaicam,

(1) Gen. 11.-7.

(2) In cap. 26 Mat.

(3) Libr. 6. C. D. cap. 3.

Arabicam et Æthiopicam: 3.^a Familia est *Mallaya*, seu *Polyinesiaca*, quæ ad omnes Indiarum insulas sese protendit et refertur ad *Sinas* cum suis dialectis *Bugis*, *Yabanesio*, *Thagallo*, *Balta* etc., et quæ in Summatra reperiuntur.

83. Ante Babelicam confusionem unicum fuisse omnium hominum sermonem constat ex *cap. 11. Gen.*, ubi dicitur: *Erat autem terra labii unius, et sermonum eorundem... Descendit autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam ædificabant filii Adam, et dixit; ecce, unus est populus, et unum labium omnibus: descendamus et confundamus ibi linguam eorum* etc.; atqui *Filii* Adam erant cuncti homines, ergo unicus sermo erat, inter omnes homines.

Sed quænam fuerit hæc lingua omnino ignoratur, nulla ex notis videtur fuisse, ut omnes sapientes hodie fatentur, quod ita debuit esse ob hominum superbiam (1). Hinc sequitur, quamvis aliis contrarium probabile videatur, impossibilitas inveniendi linguam universalem: tametsi ego, ob alias providentiales rationes, minime negare audeam. Multa alia dici de hac re possent: sed nunc satis.

84. Notetur vero: cum dicimus Deum homines edocuisse linguam, ut credimus et certi sumus, non ita tamen intelligatur quasi Deum sonitum articulasse, hominem edocendo, ut pater edocet filios, hoc enim puerilitate redolet; sed linguam inspirasse tali perfectissimo modo ex innumerabilibus, quos ejus sapientia infinita scit, ut suam infinitam bonitatem commonstraret. Q. e. d.

(1) Nihilominus tamen S. P. Augustinus (De Civ. Dei lib. XVI. c. 11. n. 1.) aliique PP. et major Theologorum pars opinantur linguam Hebræam primitivam esse, seu quæ ante babelicam confusionem in usu erat, quæ opinio omni veneratione digna est.

LECTIO 12.^a—DE SCRIPTURA.

85. Gestu et locutione ideæ præsentibus dumtaxat manifestari possunt, non vero absentibus et multo minus posteris, cum in tempore fugax vox evanescat, et in spatio non nisi ad brevem distantiam audiatur, non itaque sufficiebat homini, qui utpote immortalis ad immortalitatem constanter aspirat, et ad imaginem et similitudinem Dei factus jugi conatu supra tempus et spatium dominatum habere desiderat, ac omnibus in locis simul coexistere ambit, hic S. Thomas ait: «Si homo uteretur sola cognitione »sensitiva, quæ respicit solum ad hic, et nunc (1), sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa... Sed quia »homo utitur etiam intellectuali cognitione, quæ abstrahit »ab hic, et nunc, consequitur ipsum sollicitudo non solum »de præsentibus secundum locum, et tempus, sed etiam de »iis, quæ distant loco, et futura sunt tempore. Unde ut »homo conceptiones suas, etiam his, qui distant secundum »locum, et his qui venturi sunt in futuro tempore, manifestet, necessarius fuit usus scripturæ (2)» Hinc providentissimus Pater Deus, hunc medium nobis subministravit, quo mortui cum viventibus colloquantur, et omnes populi quasi in unam societatem coeunt.

86. Intelligimus nomine *scripturæ*, *congeriem signorum permanentium ad cogitationes nostras exprimendas*; seu pressius, *systema permanentium signorum nostræ cogitationis*. Potest considerari ut *ars*, et ut *scientia*: ut ars nihil aliud est, quam quædam acquisita facilitas, vel modus formandi hæc signa: ut scientia descripta est in allata definitione. Duplex distinguitur: *ideographica* (3)

(1) Ad locum et tempus præsens.

(2) 1 perih-Lect. 2.

(3) Que escribe ideas.

et *graphiphonica* (1), seu *phonetica* Scriptura *ideographica* est, quæ immediatè exprimit ideas, et has triplici modo. 1.º per *picturam* vel totius objecti, vel alicujus ejusdem partis, ut cum Mexicani, ex ordine Teutilæ, ad notificandum Motezumæ Imperatori Hispanorum ingressum, horum imaginem exhibebant linteis gossypii pileo et rubra veste adumbratam, et variis numeris significativis insignitam, ut refert Antonius Solis (2): 2.º per *imaginem alicujus rei, quæ cum re significanda aliquam habeat similitudinem et analogiam*; ut cum *æternitas*, serpente formâ circuli, cujus cauda in os iterum introeat, significatur; Dei *Providentia*, oculo in medio trianguli posito; oculo enim Providentia, tribus angulis trianguli illa tria attributa *Sapientia*, *Bonitas*, *omnipotensque Voluntas*, quæ Providentiam constituunt, designantur: et eodem modo, *fidelitas* canis figurâ; *innocentia* columbæ specie; *puritas* lilio; *justitia* bilance etc. significantur. Hæc scriptura dicitur quoque *symbolica* (3); *naturalis*, si similitudo, aut analogia á natura; *artificialis*, si conventionem determinatur: 3.º denique cum varia symbola connectuntur, et ad aliquam doctrinam, præsertim moralem, aut scientiam, aut veritatem religiosam exprimendam adhibentur, *scriptura* dicitur *Hieroglyphica*, (quod nomen idem sonat, ac in *templis sculptum*), quæ scriptura ab omnibus populis, præsertim Egyptiis, fuit et adhuc est usitata. Multis magnisque nihilominus incommodis, ut patet, laborat.

87. Scriptura *graphiphonica*, seu *phonetica* est, quæ exhibet sonos, et sonorum ope ideas exprimit; duplex est, *syllabica*, videlicet, et *alphabetica*: (alpha et beta, Græcorum primæ literæ); illa repræsentat sonos completos, ut

(1) Que escribe sonidos.

(2) Historia de la conquista de Méjico; lib. 2.º cap. 1.º

(3) Alegorica, figurada.

ba, ca, da etc.; ista partes, ex quibus sonus articulatus coalescit, ut *b, c, d*, etc; illa *synthetica*, ista *analytica* est; ut hoc intelligatur notari oportet: verbum, prout sonus est, constare duobus elementis essentialibus, quæ analysi subjiciuntur, sunt *vox*, scilicet, et *articulatio*. Vox est: *sonitus effectus in aere exploso è pectore per tubum vocale*; articulatio est: *modificatio quædam, seu modulatio ipsius soni, quæque fit auxilio cæterarum adjacentium tubi vocalis partium*, quæ constituunt *laringem*, et *trachiarteriam*.

Voces simplices sunt quinque, quæ nostro hispanico alphabeto ita repræsentantur á, é, í, ó, ú,: mixtæ, quæ ex harum combinatione, aut pronuntiationis vitio oriri possunt, non valent determinari. Articulationes vero sunt decem et septem, quæ dividi posunt in *labiales, dentales, linguales, palatiales et gutturales*, prout magis vel minus unaquæque pars organi vocalis influit in earum formationem. Diversis, peculiaribusque characteribus repræsentantur, qui characteres, jam voces puras, jam articulationes repræsentent, litteræ vocantur; *vocales*, quæ simplices, seu puras voces repræsentant; *consonæ*, quæ articulationes exprimunt, eo quod articulatio sit *vocis modulatio*, ut dictum est, et ideo utrarumque unio necessaria est.

Hoc supposito: *syllaba*, vox græca, quæ idem sonat ac comprehensio, *est sonus oralis completus*, id est, vox simul cum articulatione expressa vel tacita, (vox articulata) ut *ba, ca* etc., vel saltem vox cum aspiratione *h*, ut *ha, he, hi* etc.: litteræ sunt signa, quæ repræsentant elementa, seu partes constitutivas soni, ut v. g. in *ba*, littera *b* est articulatio labialis, et *a* est vox ab illa modificata; in *ha*, *h* est aspiratio et *a* vox aspirata: igitur scriptura *syllabica* illa erit, cujus characteres sonos completos, seu syllabas repræsentant: *alphabetica* illa erit, cujus characteres repræsentant partes, ex quibus sonus constituitur, seu cujus characteres sunt tantum litteræ singulæ.

88. Scriptura alphabetica simplicior est et commodior: Etenim si alphabeto damus septendecim consonantes et *h* aspiratio, quæ sunt octodecim; videlicet; labiales *b, f, p, m*: dentales *d, t, z*: linguales; *l, ll*: palatiales *ch, n, ñ, r, s*: gutturales, *g* (suavis), seu articulatio *K* gamma græcum, vel *c* (fortis); *j*, vel *g* (fortis): (cæteræ autem excluduntur, quia *c* ad *K* vel *z* reducitur; *q* quia articulatio ejus est *K*; *v*, quia est suavis articulatio *f*; *y* consona, quia est *i* vocalis ante aliam vocalem; et denique *x*, quia ad *s* post *c* aut *g* reducitur:) igitur habemus octodecim consonantes, quæ cum quinque vocalibus combinatæ $5 \times 18 = 90$; et cum omnes uno, vel *duobus* (2) temporibus emitti possint; et tono etiam *duplici* (2) $2 + 2 = 4$, habebimus $4 \times 90 = 360$, quibus addendæ erunt quinque vocales, quia cum aspiratione *h* syllabam constituunt, iis omnibus indiget scriptura syllabica: *alphabetica* autem indiget solum duodetriginta litteris in nostra lingua, quæ certè non est, quæ minorem numerum habet, et quæ quidem ad viginti tres reduci possunt, resultantes ex octodecim articulationibus, et quinque vocibus puris: apicum enim appositio facillimè et absque litteris fit, et tempus etiam, quod in lingua nostra signum speciale non habet, aliis quibuscumque characteribus facillimè insigniri potest: concludendum est igitur, scripturam, quæ sonum analysi resolvit, commodiorem prorsus esse et simpliciore illâ, quæ integrum exprimit, vertitque sonum. Ista est syllabica, illa alphabetica, ergo.

89. Quod ad originem scripturæ alphabeticæ attinet, nihil certi affirmari potest: duæ quæstiones proponuntur, alia *historica*, *philosophica* alia; prima de *facto*, secunda de *jure*; quoad secundam attinet, mihi videtur, et est opinio communior, inventionem scripturæ alphabeticæ minime superare vires rationis, aliunde autem ad ejus inventionem homines non iisdem incommodis laborarent, quibus necessario laborabant ad sermonis inventionem; sed de posse ad factum non valet consequutio: potue-

runt, ergo invenerunt? plane ignoratur: et si addatur, quod multi ipsam possibilitatem negant, minus resolve-
tur quæstio. Quod ad *factum* attinet, probabilior mihi
videtur sententia, quæ asserit, Deum ipsum eam re-
velasse; sed cui, et quando, prorsus ignoratur. «*Non-
nullis videtur á primis hominibus eas, (litteras) cæpisse,
et perductas esse ad Noë, atque inde ad parentes
Abrahæ, et inde ad populum Israel: sed unde hoc pro-
bari possit, ignoro,*» verba sunt S. P. Augustíni (1): insu-
per, cum unus esset sermo usque ad confusionem Babeli-
cam, una debuisset esse scriptura, igitur Deus tot iterum
scripturas inspirasset, quot erat numerus linguarum post
confusionem, quod non apparet.

Iterum, instructionis et educationis munus et officium
nobiliori modo, honorifico et magis reverenti á parentibus
exsequebatur viva voce, quam scriptis. Ast post diluvium
cui revelavit scripturam Deus? nulli dubium est Moysem
Pentatheucum scripsisse quadringenti annorum spatio, an-
tequam liber Homeri scriberetur, primus, qui in græcia
apparuit; et legem á Domino accepisse tabulis lapideis
inscriptam: ergo Deus Moysi scripturam revelavit? igno-
ratur. Ante Moysem jam Job desiderabat, ut sermones
suos sculperentur in libro stylo ferreo et plumbi laminâ,
vel celte in silice (2). Ex his, qui originem humanum
scripturæ alphabeticæ attribuunt, sunt qui inventorem
faciunt Abrahamum, ut Philo Judæus: Josephus idem Ju-
dæus Sethum: Græci et Hermem, et Theulk Ossiris pæ-
dagogum; Plinius Asirios; Tacitus Ægyptios; Herodotus,
Diodorus Siculus et Lucanus Phænitios Chánane habitan-
tes in Sidone (3) ex quibus Cadmus; cui opinioni suffra-
gatur Lucamus poeta, his versibus:

(1) Exp. in Exod. Libr. 2. q. 67.

(2) Job. 19—23.

(3) Mislin, Tierr. Sanct. lib. 1. c. 13.

Phænices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris (1)

Sed falso Cadmo hoc inventum tribuitur: Cadmus Thebanorum rex, filius Agenoris regis Phænitiæ, Coloniam in Græciam introduxit, et á Phænitia in Græciam transtulit scripturam anno A. C. 1519: nihil amplius. Unicum ergo, quod certum apparet, est, longé ante Moysem jam usum litterarum invaluisse.

90. Notatur á sapientibus, omnes scripturas quamdam affinitatem habere: esse probabile omnes ab uno trunco, *semitico*, derivari; et alphabetum primitivum generalitèr decem et sex litteris constare, quæ inter Hebræos totidem generationes Patriarchales repræsentabant, quæ generationes in dispersione Babelica finiebant. Quo ad scripturæ statum et vicissitudines attinet, hæ dependent ab ejus origine, nam si ei originem divinam assignamus, perfecta fuit ab exordio, quia ex manu Dei omnia perfecta evadunt, saltem quoad essentialia, et deinde potuit Deus velle, ut causæ secundæ aliquid ex se posuerint eam perficiendo in accidentalibus; ideoque progressus, quos subit scriptura, non probant, eam non fuisse á divina origine. Si inventio hominum est, debuit incipere ab ideographica, per symbolicas et hieroglyphicas formas, dein rudereis signis vocis soni repræsentari debuerunt, quæ variare oportuit juxta varias differentias locales.

91. Cæterum scripturæ alphabeticæ utilitas est summa: ipsâ enim omnes homines et populi inter se communicantur; eorum vires in unum coadunantur: mortui cum vivis

(1) Hablar á los ojos pintando las voces,
Dar al pensamiento cuerpo y colorido
Trazando figuras con rasgos veloces
Este arte ingenioso, de él (Cadmo) nos ha venido.

colloquuntur: et omnes progressus in scientiis et artibus ipsi maxima ex parte debentur; nostras ipsas cogitationes perfectiores reddimus litteris exarando, et deinde eas iterum contemplando, variando, coordinando etc. De hoc jam satis (1).

LECTIO 13.^a—DE ANALYSI IDEARUM.—DE DEFINITIONE.
—DIVISIO DEFINITIONIS. PRÆCEPTA AD BENE DEFINIENDUM.
UTRUM OMNIA DEFINIRI POSSINT.

92. Ideæ analysim instituere, est ideam aliquam complexam (Lec. 3.^a n. 27) resolvere in ideas partiales, ex quibus constituitur, enumerando, singillatimque spectando et evolvendo proprietates, seu notas, quibus constat, quod maxime fit in definitione et divisione. Hac in Lectione et sequenti agemus de his, breviter quidem, sed quantum satis tyronibus sit.

93. *Definitio á dare finem* nomen accepit. Quemadmodum enim agrorum fines unum agrum ab alio distinguunt, et jura possidentium circumscribunt; ita definitio rerum essentias ab invicem distinguere docet, verborumque potestatem significandi intra suos limites continet. Hinc patet hujus doctrinæ summa utilitas, imo necessitas; quare Tullius (2), *omnis, inquit, institutio, quæ ratione suscipitur de re aliqua, debet á definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.*

94. Definitio potest considerari prouti est in mente, et tunc est habere *alicujus rei notionem completam*, si vero hanc notionem verbis adæquatis exprimimus, definitionem propriè damus; *definitio igitur est: oratio, quæ rei notio-*

(1) Cons. D. Isaac Nuñez de Arenas, *Gram. gener.* Madrid, 1847.

(2) Cic. .1. *de officiis.*

nem completam exprimit, seu oratio, quæ rei naturam breviter explicat.

95. In omni definitione verbis effecta hæc inveniri oportet; scil. *verba*, quæ significant; *ideæ* significatæ: et *objecta*, iis ideis repræsentata. Objecta verbis definiri propriè non possunt, ratio est, quia *verba* sunt solummodo signa cogitationis, et nullum *verbum* est significativum objectorum, nisi *mediantibus ideis*, quas de ipsis objectis habemus: ideoque quod propriè verbis definitur sunt ideæ, atque ita simul objecta definiuntur, dum definimus ideas, quas de ipsis objectis habemus (*definitio realis*); et *verba* et *nomina* definiuntur, cum explicamus et determinamus ideas, quas cum talibus verbis et nominibus connectimus. (*definitio nominis*).

Enimvero, quamvis immerito, usus invaluit inter Logicos objecta significata á verbis significantibus distinguere, et idcirco distinguunt definitionem nominis á definitione rei, et etiam á definitione quæstionis, itaque:

96. 1.º *Definitio nominis dicitur: oratio notum faciens, quid sit id, quod per aliquam vocem significamus.* Alia est *privata*, alia *communis*, prout explicat id, quod per aliquam vocem aliquis *homo privatus* intelligit; aut explicat id, quod *omnes homines* communiter intelligunt. Dictionaria id perpetuò efficiunt.

Nota tamen, quod quamvis unusquisque possit uti verbis quibusdam ad certas ideas exprimendas, debet aliunde ea notificare, et non ita ipsis abuti ad libitum; ut in ridiculum et absurdum declinet: Modus aptior ad quasdam voces explicandas erit describere earum originem grammaticalem; ut *tran-substantiatio*, á *transire* et *substantia*; *intellectus*, ab *intus* et *legere*; *Theologia* á *theos* et *logos* etc.; vel describere modum formandi rem significatam, ut *parabola*, est *curva á gravibus obliquè projectis descripta* etc.

97. 2.º *Definitio rei, seu realis, non vocum significatio-*

nem, quam aliunde cognitam supponit, sed *rerum*, quæ per voces significantur, *naturam explicat*: est itaque definitio rei: *oratio exhibens complexionem notarum, quibus res aliqua constituitur*: si hæ notæ sint ex his, quæ constituunt rei essentiam, talis oratio est propriè definitio, et vocatur *essentialis*: si vero hæ notæ sint proprietates secundariæ, aut accidentales (Lect. 4.^a), definitio impropriè dicta, seu *descriptio* nuncupatur. Individua non possunt alitè definiri, nec notiones transcendentales.

Notæ, seu partes, quas definitio essentialis exprimit et explicat, possunt esse physicæ, vel metaphysicæ; hinc, hæc definitio potest confici vel adhibendo notas, quæ sunt partes essentiæ physicæ, ut si hominem definiamus: *Compositum resultans ex substantiali unione animæ rationalis cum corpore organico*: vel adhibendo notas, quæ sunt partes essentiæ metaphysicæ, ut homo est *animal rationale*.

98. Descriptio fit apponendo primo genus rei, vel aliquid generis loco, ac deinde unam, aut plures ex ejus proprietatibus, vel etiam collectionem aliquam accidentium, quæ illi solummodo rei conveniat: ut e. g. homo est *animal facultate loquendi et ridendi præditus*: S. P. Augustinus, *fuit homo natus sub fine sæculi IV. Tagaste in Africa à parentibus Patritio et S. M. Monica, et postquam abjuravit varios errores, in quos inciderat, militiæ Christi nomen dedit, orationibus præsertim suæ S. Matris et opere S. Ambrosii, à quo Baptismi lavacro regeneratus est, deinde eremiticam vitam professus regulam suis inscripsit. Episcopus Hipponensis invitè creatus inter alias hæreses, pelagianam, donatistam, arianam, et sabelianam debellavit, multa summæ auctoritatis scripsit, præsertim de gratia Christi; et qui in Wandalica Africæ devastatione, nec desolationem videret, viam omnis carnis ingressus est, anno Dom. 430.* En descriptio per collectionem accidentium.

99. Ad descriptivam revocari potest definitio *causalis*,

quæ nihil aliud est, nisi descriptio rei alicujus, ponendo ejus genus et causam externam, quâ res fit, vel per quam fit, vel ex qua fit, vel propter quid et ad quid fit, omnes, vel quot sufficiant ad eam determinandam, ut *horologium est quædam machina ad horas indicandas constructa.*

100. Alia est etiam definitio, quæ *genetica* nuncupatur, et est, *quæ conficitur explicando modum et rationem, quâ res gignitur.*

Hoc pacto definimus eclypsim lunarem: *defectum lucis, quem luna patitur ex interpositione telluris ipsam inter et solem;* hic definiendi modus vulgaris apud geometras est.

101. Definitio *quæstionis* dicitur: *oratio notum faciens id, de quo disceptatur:* ut si alicujus susceptæ disputationis scopum, et limites, statumque verum dilucidè et sine ulla ambiguitate antea proponamus, quam probare incipiamus.

Ob harum definitionum defectum tot æternæ, ac inutiles disputationes viguerunt ac vigent; rectè igitur ait Cicero (1): «Nisi inter eos, qui disceptent, convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest.»

102. Ut autem definitio propriè dicta, quæ philosophorum propria est, sit legitima, servandæ sunt sequentes leges.

1.^a *Definitio sit clarior definito,* id est, eo quod definitur.

Nisi clarior sit, quomodo id illustrabit, quod explicare debet? In ipsa igitur adhibere debemus verba nota et usitata, et in sensu bene determinato (2).

2.^a *Definitum in definitionem ingredi non debet.*

Si enim ad rei explicationem rem ipsam adhibuerimus, nihil proficiemus. In hanc regulam peccaret, qui ita *diem*

(1) Oratio 116.

(2) Cons. S. P. Aug. Conf. L. 11. c. 14.

definiret: *tempus constans horis vigintiquatuor, et hora est vicesima quarta pars diei*: item, *justitia est voluntas justum perpetuo servans*; quod vitium á veteribus vocabatur: *circulus in definiendo*.

3.^a *Definitio cum definito reciprocari debet, seu toti et soli rei definitæ conveniat* (1).

Si enim toti rei definitæ non conveniret, illam totam non faceret notam: si vero soli rei definitæ non competere, illam ab omni alia non secerneret, ac consequenter ejus naturam non dilucidè explicaret. Hinc sequitur, quod definitio non debeat esse negativa: nisi forsitan in iis, quæ superant rationis captum; vel iis, quæ sunt contradictoria; aliter enim, cum negatio non quid res sit, sed quid non sit, significet, definitio negativa latius pateret, quam definitum. Exempla: *homo est animal rationale; animal rationale est homo*, optima ergo definitio. *Triangulus est figura geometrica tribus angulis acutis constans*, hæc non toti definito convenit: est *figura geometrica angulis, constans*: hæc latius patet: *homo est, quod non est brutum*, mala definitio, quot sunt, quæ non sunt bruta, nec homo? etc.

4.^a *Constet genere proximo et ultima differentia*, id est, differentia maximè propria. Ad hanc legem cæteræ revocari possunt.

Genus proximum jam diximus (L. 4.^o n. 33) esse illud. in quo immediate species, et non alia genera, quamvis infima, continentur; et differentiam esse illam notam essentialem, quæ genus ipsum proximum in species distribuit, coarctans ejus extensionem; ex. gr. genus proximum quoad hominem non est certe *corpus organicum, nec substantia, sed animal*; differentia, est rationale, quæ proprie genus animal in species, et non in alia genera quæcumque dis-

(1) Cons. S. P. Aug. de Doctr. Chris. L. 2, c. 35; et Lib. de Quant. anim. c. 25.

pertit. Ratio hujus regulæ patet omnibus, qui citatam Lectionem comprehenderit.

In hanc regulam peccaret, qui hominem definiret; hoc modo: *homo est substantia rationalis*; quamvis enim nulla alia substantia rationalis propriè sit, nisi virtualiter, vel eminenter, tamen talis definitio esset mala. Item qui brutum definiret *corpus organicum vivens*, hæc enim definitio non bruta, sed genus commune brutis, plantis et hominibus determinat. En formula definitionis quoad hanc regulam; *Triangulus* (definitum, seu definiendum, *species*)=est=*figura geometrica* (genus) *tribus constans angulis* (differentia).

Denique commendatur *brevitas*, ne redundantia verborum claritati noceat: sed nec tanta brevis, ut illud locum habeat: *brevis esse laboro, obscurus fio*.

103. Cæterum ex definitionis notione patet, non omnia definiri proprie posse; etenim cum omnia, quæ definiuntur, per alias ideas, easque clariores definiuntur, necesse est perveniri ad ideas adeo notas, claras et perspectas, ut impossibile sit alias clariores, per quas definiuntur, invenire; quod utique evenit in ideis simplicibus *entis*, *existentiæ*, *affirmationis*, *visionis*, *saporis*, *sensationis cujuscumque*, *notionum transcendentalium*, etc., sed describi omnes aliquantulum possunt: at non semel postquam aliquam ex iis ideis descriptione illustrare conamur, obscurior evadat. Satis. d. q. d. e.

LECTIO 14.^o—DE DIVISIONE.—DE TOTO ET PARTIBUS.—

DE VARIIS DIVISIONIS SPECIEBUS.—PRECEPTA AD BENE DIVIDENDUM.

104. Mentis humanæ imbecillitas talis est, ut non possit plerumque rem complexam uno intuitu distincte percipere; quapropter necesse est, ut eam per partes singillatim distributas contempletur, et ita passu post passum, ut ita

dicam, ordinatim assurgere ad totius ideam completam formandam. Cæterum qui in hoc exercitio definiendi et dividendi bene versatus fuerit, magnum re vera progressum fecit: merito itaque ajebat Plato: *si nactus fuero ducem, qui rectè partiri sciat, ejus ego vestigia ut Dei cujusdam sequar* (1). Tentamentum adhibeamus.

105. Divisio, generatim sumpta, est *oratio, quæ id, de quo agitur, per singulos seorsim sensus, aut partes explicat*: vel pressius, *est totius in suas partes distributio*.

Partes, in quas fit divisio, vocantur *membra dividenda*, seu *divisionis*, et si hæc membra iterum in suas partes, si habent, resolvantur, oritur *subdivisio*: id, vero cujus partes distribuuntur, dicitur *divisum*.

106. Ut ex ipsa definitione apparet, alia est *divisio nominis*, alia *rei*.

Divisio nominis, quæ proprie non divisio, sed *distinctio* appellari debet, est *enumeratio sensuum, quos suscipere potest aliquod vocabulum*; ut hoc: *tartarus*, sumi potest pro *inferno*, et pro homine *Tartariæ* nato: *investigabile*, sumi potest vel pro eo, quod *investigari potest*, vel *investigari non potest* etc. Potest etiam esse divisio alicujus integræ propositionis, ut hæc: *Audio Pompejum Cæsarem superasse* etc., id est, Cæsar superavit Pompejum:

107. Divisio rei est: *rei per vocem significatæ in suas partes distributio*. Variæ sunt ejus species; quæ ut intelligantur notare oportet.

1.º Totum, quod dividitur, dicitur *omne id, quod unum est, et in plura resolvi potest*: Hæc *plura*, in quæ resolvitur, vocantur *partes ipsius*.

2.º Totum aliud est *actuale*, aliud *logicum*, seu *potentiale* (2).

(1) In Phædro.

(2) Non confundatur hoc totum potentiale, seu logicum, cum toto illo potenciali, etiam potestativo, quod apud veteres est virtus finita;

3.^a Totum *actuale* est id, quod habet *essentiam compositam*; sive *re*, ut *homo*; sive solum *secundum considerationem mentis*, ut *spiritus*: et ideo potest esse *physicum*, vel *metaphysicum*.

a) Totum *physicum* dicitur id, quod *partibus re ipsa distinctis et separabilibus constat*; si hæ partes ad totum *physicum* constituendum ab ipsa natura *conjunctæ* sunt, totum vocatur *physicum naturale*; ut *homo*, *brutum*, *planta*, etc.; si *conjunctæ* sunt *arte*, dicitur totum *physicum artificiale*, ut *domus*, *horologium*; si *conjunctæ* sunt *conventionem*, dicitur *conventionale*, seu *morale*, quod est *multitudo entium rationalium*, quæ *inter se relatione aliqua connectuntur*; ut *familia*, *exercitus*, etc.; partes, quæ *totum physicum* constituunt, vocantur *partes physicæ*, ut in homine *anima* et *corpus*, etc.; et possunt esse *essentiales*, vel *integrantes*, vel etiam *accidentales*; *essentiales* sunt illæ partes, quæ ita toti sunt *necessariæ*, ut vel una *dempta* totum pereat *necesse* sit, cujusmodi est *anima*, vel *corpus organicum* in *animali*: *integrantes* sunt, quæ *perfectum totum* constituunt, ita tamen, ut *quamvis demptæ*, totum *concipiatur*, tales sunt in homine *manus*, vel *pes* etc.: *accidentales* sunt illæ, quas ita totum habet, ut totum *perfectum* maneat, jam habeat illas, vel non habeat, vel unam vel alteram habeat; ut in homine *color*, *statura*, *vires* etc.

b) Totum *metaphysicum* dicitur id, quod *ex partibus actu constat*, attamen *non realiter distinctis*, sed *tantum cogitatione nostra*, ut in homine *animalitas*, et *rationalitas*, in anima facultates *sentiendi*, *cogitandi*, et *volendi*: in rebus

anima humana v. gr. quæ in varias potentias, seu virtutes operandi, veluti partes, quasi dividitur. Cons. nostr. Psych. Lect. I. Dynamilog. Disp. 4.^a

essentia et existentia etc., hæ partes vocantur *metaphysicæ*.

4.° Totum *logicum*, seu *potentiale*; quod proprie est *omne*, est *quælibet idea universalis respectu eorum, quæ sub ejus extensione continentur*: ut *animal* respectu *hominis* et *bruti*; *homo* respectu *Petri, Johannis* etc.: dicitur *logicum*, quia ad ordinem idealem tantum pertinet; nullum est enim *animal*, quod re sit *homo* et *brutum*; nullus *homo*, qui sit *Petrus* et *Johannes* et *Andrea* etc.: dicitur etiam *potentiale*, quia est in potentia prædicari de multis realiter distinctis.

108. Denique *totum* et *omne* non idem *exprimunt*: *totum* enim habet partes in sua comprehensione; *omne* vero est totum *potentiale*, quod habet partes in sua extensione: considera quid mente cogitas, cum dicis: *omne animal*; quid, cum dicis: *totum animal*: in primo casu significamus *cuncta individua*, quæ continentur sub extensione termini *animal*, cum vero dicimus *totum animal*, significamus *cuncta animalis constitutiva*, id est, ejus comprehensionem: His præsuppositis et bene intellectis jam apparent variæ divisionis species.

Equidem 1.° erit *physica*, si dividit *totum physicum* in suas partes *physicas*, ut divisio *hominis* in *animam* et *corpus*; *trianguli* in tres *lineas* etc. Hæc ipsa erit *essentialis*, si totum dividit in partes *essentiales*, ut in allatis exemplis; *integralis*, si in *integrales*, ut si *hominem* dividimus in *pedes*, *truncum*, *brachia* etc.; *accidentalis*, si in partes *accidentales*, ut in *album*, *robustum*, *crassum*, *potens* etc.

2.° Erit *metaphysica*, si dividit *totum metaphysicum* in suas partes *metaphysicas*, ut *hominis* divisio in *rationale* et *animale*; *animæ* in suas *facultates* etc.

3.° Erit *logica*, si dividit *totum logicum (omne)*, in sua inferiora, seu *subjecta*, ut si dividit *vivens* in *animatum* et *inanimatum*: *animal* in *hominem* et *brutum*; *homo* in *Petrum*, *Paulum* etc.

In hoc toto logico præcipuæ divisiones sunt.

- a) *Generis* in suas species: ut *animalis* in rationale et irrationale.
- b) *Speciei* in individua: ut *hominis* in Petrum et Johannem.
- c) *Subjecti* in accidentia: ut alia est *claritas solis*, alia *claritas lunæ* et alia *claritas stellarum* (1).
- d) *Accidentis* in subjecta: ut *scientia* alia est hominis, alia Angeli.
- e) *Accidentis* in accidentia: ut *amara* alia sunt *salubria*, alia *nociva*.

109. Ad accuratam divisionem, sequentes servandæ sunt leges.

1.^a *Divisio sit adæquata*: i. e. omnia membra dividenda simul sumpta totum adæquent. Ratio est manifesta (2).

Contra hanc regulam peccari potest et *excessu*, et *defectu*. Excessu peccaret, qui e. gr. corpus animatum cum veteribus divideret in *hominem*, *brutum* et *PLANTAM*. Peccaret defectu, qui motiva, quibus homines ad agendum moventur, esse diceret vel *gloriæ cupiditatem*, vel *lucris desiderium*.

2.^a *Unum divisionis membrum alterum non contineat*. Secus enim una pars bis repeteretur. Peccaret in hanc regulam, qui globum divideret in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam*, *Oceaniam*, *Hispaniam*. Hispania enim jam in Europa continetur. Hinc sequitur, quod in divisione logica membra aliquo modo sibi invicem opposita esse debeant.

3.^a *Nullum membrum adæquet, et minus excedat totum*.

Ratio est manifesta. Contra hanc regulam peccaret, qui animal divideret in sentiens et rationale.

(1) S. Pau. 1. cor. 15.—41.

(2) Cons. S. P. Aug. de Morib. Munich. L. 2. c. 10.

4.^a *Divisio fiat in membra ejusdem speciei proxima et immediata; deinde, si opus fuerit, singula membra in suas partes subdividantur.* Sic e. g. qui globum dividere vult, primo enumerat quinque præcipuas partes Europam, Asiam etc., deinde assumit unam, Europam e. g., et eam dividit in duas regiones, Occidentalem, videlicet, et Orientalem; deinde Occidentalem, e. g. dividit in tres partes, scilicet, meridionalem, centralem et septentrionalem; deinde meridionalem, e. g. in Hispaniam, Lusitaniam etc.

Denique *in divisione servetur ordo*, qui vel á rebus, vel ab ideis profluit, et *possibilis brevitatis*, dummodo claritati non nocet, et *nec subdivisionum series nimis protrahantur*, ut locum habeat illud Senecæ (1): *Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.*

Concludam cohortando vos, ut paulisper moram faciatis super quæ hactenus dicta sunt.

SECTIO SECUNDA.

DIALECTICA.

DE JUDICIO, EJUSQUE EXPRESSIONE.

LECTIO 15.^a—DE JUDICII NOTIONE, ET DIFFERENTIIS.

110. Cum duas ideas inter se, sive data opera, sive fortuito comparat intellectus (43. 5.^o), unum ex tribus accidere potest: 1.^o ut hæ ideæ unam eandemque rem expriment, quod est inter se objectivam habere identitatem; 2.^o ut expriment res diversas, quod est objectivam habere diversi-

(1) Ep. 89.

tatem; 3.° potest accidere, ut nihil novi mens percipiat. Si hoc ultimum accidit, intellectus nullum ponit novum actum: at si primum vel secundum percipit, novus in mente gignitur actus, vel necessario, vel voluntatis imperio, ut postea declarabitur; hic novus actus elicitus ab intellectu, quo ratam habet, ac annutu suo confirmat hanc identitatem, vel diversitatem, affirmatione jungens ideas, quas in objecto convenire vidit, vel separans negatione, quas vidit secundum objecta disjuncta, est quod *judicium* appellatur, quodque ita definiri potest: *actus, quo mens binas ideas aut affirmando componit, aut negando separat.*

Judicium ex parte sui, id est, in se consideratum semper est affirmativum, cum sit actus positivus, quo pronuntiatur identitas, aut non-identitas valoris objectivi idearum; hinc est, quod *judicium* etiam potest definiri: *affirmatio identitatis, aut non identitatis objectorum, prout in ideis repræsentantur: v. g. Deus est optimus: peccatum non est admittendum.*

111. Ex dictis sequitur. 1.° unumquemque judicandi actum tria de se præsupponere. Etenim

- a) duæ saltem ideæ in mente versentur oportet:
- b) hujusmodi ideæ inter se comparari debent:
- c) debet á mente apprehendi earum identitas, vel diversitas; quæ quidem apprehensio necessaria conditio est, ut intellectus *per se* ad judicandi actum deveniat, ac *recte judicet*, sed cum ipso judicandi actu confundi nullo pacto debet, ut postea declarabitur, quamvis aliis contrarium placeat (1).

2.° *Objectum*, in quod tendit affirmatio, esse indentitatem, vel diversitatem idearum: *materiam* propemodum *remotam* esse ideas, quæ identicæ, vel diversæ affirmantur.

3.° *Judicium* per hanc compositionem, vel divisionem

(1) P. Dmivoski, *Inst. log.* p. 1. art. 2. pars. I., P. Liberat. *Inst. log.* p. 1. cap. 2. art. 1.



transferre in ideas illam unitatem vel distinctionem, quam habent secundum rem.

(4) *Judicii* vocabulum esse metaphoricum, á judice sententiam ferente translatum, sed huic mentis operationi significandæ in primis aptum. Appellatur quoque iudicium *compositio* et *divisio* (1), ratione idearum, quæ sunt iudicii *materia*, quæque per iudicandi actum conjunguntur, vel separantur. Dicitur *affirmatio* etiam, et *negatio*, respectu identitatis, vel diversitatis objectorum, quæ ideis re-præsentantur, et quæ sunt *objectum* proximum iudicii; et demum dicitur quoque *adhæsió*, sive *assensus* mentis, respectu habito *motivi*, quo mens natura sua trahitur ad affirmandum, quod motivum est veritas apprehensa. Hinc etiam usus invaluit iudicia in affirmativa et negativa dispescere. *Affirmativum* est illud iudicium, quo *ideas affirmatione conjungimus*; ut, Deus est providus: *negativum* illud, quo *ideas negatione separamus*; ut, Deus non est corpus. Quæ híc omittuntur, aliis in locis opportunius pertractabimus.

112. Spectato modo, quo objectiva idearum identitas, vel diversitas fit menti manifesta, varia nomina sortiuntur iudicia.

Ut hæc bene intelligantur prænotare oportet (pro nunc), in omni iudicio distingui solitum iri *subjectum á prædicato et á copula*.

Subjectum est illud, de quo asseritur identitas, aut non-identitas.

Prædicatum vero est illud, cujus identitas, aut non-identitas asseritur de subjecto. Casiodorus appellat illud subjectum, quod est *terminus minor*; prædicatum vero, quod est *terminus major* (2); quod utique ita esse debet, vel saltem debent esse æqualis extensionis, ut converti possint;

(1) S. Thom. Sum. th. 1.^a P. q. 14 á 14.; et q. 85 a. 5.

(2) Dialect.

v. g. *infidelitas est peccatum*; *peccatum* latius patet, quam *infidelitas*; nam omnis infidelitas est peccatum, sed non vice versa, non enim omne peccatum est infidelitas; infidelitas itaque est subjectum, peccatum est prædicatum. Erit hoc etiam verum, si æqualem extensionem habeant, ita ut converti possint: ut ex. g. *iniquitas est peccatum*; peccatum est iniquitas; videatur hoc in casu quid de quo dicatur.

Copula est *illa intellectualis expressio identitatis, vel non-identitatis*, quam mens percipit inter utrumque, et quæ exprimitur verbo *sum, es, est*; vel *sic*, vel contento in alio verbo adjectivo.

Jam vero 1.º judicia alia sunt *á priori*, alia *á posteriori*.

a) Sunt et vocantur *á priori* illa judicia, in quibus *idea prædicati est una ex notis constituentibus essentiam subjecti*, vel ipsius essentiæ repugnantibus; itaque ex sola idearum consideratione, intellectus agnoscit eas unum idemque objectum repræsentare, vel sese mutuo excludere v. g. *totum majus est sua parte*; pars, vel idea partis, est unum ex constitutivis totius, vel ideæ totius: *Deus est æternus*, æternitas est de essentia Dei; $5+7=12$ etc. Vocantur etiam hæc judicia *necessaria, metaphysica, pura, et analytica*, quia ex analysi ideæ subjecti invenitur prædicatum. De iis loquuntur passim Scholastici, quamvis non iisdem nominibus (1).

b) Vocantur judicia *á posteriori* illa, in quibus *prædicatum non est de essentia subjecti, nec ipsi repugnat*; et ideo non sola consideratio idearum, sed tantum experientia nos docet, tale subjectum habere illud prædicatum, vel non habere; et quod unum idemque objectum repræsentetur binis ideis, vel non: v. g. *corpus est grave, nix est alba*; cum non sint gravitas et albedo notæ constituentes essentiam earum rerum, solum post experientiam

(1) S. Thom. 1.º p. q. 2. á 1 et alib, id. 1.º 2.º q. 94 á 2.

nobis constat, eas de ipsis dici posse. Hæc judicia appellantur *contingentia*, *de materia contingenti*, *hypothetica*, *empirica*, *synthetica*, quia cum prædicatum non sit de essentia subjecti, salva *essentia* subjecti, potest illud habere, vel non habere, et ideo quamvis aliunde habeamus ideam essentiæ subjecti, in analysi hujus ideæ non invenitur idea talis prædicati, quia non est de ratione ejus, quapropter sola experientia suadente eas conjungimus.

Nota tamen, hæc judicia á posteriori habere etiam locum in ideis illarum essentiarum, quas perfecte non cognoscimus, ut patet; etenim si aliquid de ipsis ignoramus, quantumvis eas contemplemur, id ignoratum intellectus aciem prætervolabit, etsi aliquid de essentia sit; ex. g. *Deus existit*; quamvis enim Dei existentia sit ipsa ejus essentia, tamen cum ejus essentiam non in se perfecte cognoscamus, solum post experientiam ratiocinando ad talem conclusionem devenire possumus. Si hæc intelligantur apparebit absurditas Kantii asserentis, dari judicia synthetica á priori, id est, judicia á posteriori priora, quasi intellectus efficeret ac generaret rerum intelligibilitatem et essentias; ut postea somniavit Theophilus Fichté.

Hinc clare perspicitur, duplicem esse ordinem cognitionum nostrarum, *idealem*, videlicet, et *realem*, absolutum et hypotheticum.

2.ª Judicia, sive sint á priori, sive á posteriori, alia sunt *immediata*, alia *mediata*.

a) Sunt immediata, cum ex sola comparatione duarum idearum intellectus perspicit earum identitatem, vel discrepantiam: v. g. *tria duobus addita adæquant quinque: nix est alba*.

b) Mediata sunt, cum ad idearum convenientiam, aut discrepantiam perspiciendam, indiget intellectus earum comparatione cum aliis ideis jam præcognitis mediante ratiocinio; v. g. *Parallelogramma super eandem basim, et inter*

easdem parallelas constituta, sunt inter se æqualia: anima humana est immortalis etc.

3.° Possunt etiam esse *vera*, vel *falsa* judicia.

a) Sunt *vera*, si res ita sunt, sicuti mens pronuntiat.

b) Sunt *falsa*, si res non sunt in se, sicuti intellectus iudicat.

4.° Ratione *motivorum* ad judicia impellentium, dividuntur judicia:

1.° In *certa*, et in *incerta*.

a) *Certum* est iudicium, cum mens absque ulla formidine, nec oppositi timore firmum ac ratum habet, quod intellectus pronuntiat: ut *Christi Ecclesia est erroris expers*.

b) Est *incertum*, cum omnis formido errandi non excluditur: ut *cras hanc Lectionem memoria retinebitis*.

2.° In *probabile*, et in *improbabile*. prout ratione et gravi fundamento innititur (dummodo non sit infallibile), aut nulla alicujus momenti ratione solidatur.

Hinc est, quod, cum voluntati his in casibus subdatur iudicium, possit esse *prudens* vel *temerarium*, secundum quod affulgent sufficientia, aut insufficientia veritatis indicia. At de his postea. D. q. d. e.

LECTIO 16.°—DE JUDICII NATURA.

113. Quæ in præcedenti Lectione de iudicio dicta sunt, forsitan sufficere viderentur ad ideam adæquatam de ejus natura acquirendam, non ita tamen existimo: tria supersunt examinanda, antequam ad ejus accedamus expressionem, ubi minime resolverentur, et quæ, ut persuasum habeo, majoris sunt momenti, quam quod nonnullis, visum est. Quæ sint hæc tria, sequentes assertiones declarabunt.

114. Assertio I. *Judicium est actus mentis, et quidem simplex.*

Pars 1.^a est contra Malebranchium et nonnullos sectatores.

Prob. Deus, *actus purissimus*, cognoscit perfectissime suam Essentiam divinam; ut terminum necessarium et adæquatum divini ejus intellectûs, qui est ipsa divina Essentia, et in quo exprimitur Verbo substantiali, non solum *esse* infinitum, sed etiam omnes infinitos modos, quibus *extra* imitari potest secundum aliquam similitudinem; qui modi sunt omnes possibles creaturæ, quas igitur cognoscit unamquamque per simplicem intelligentiam uno actu purissimo; intellectus autem creatus, impossibile est, ut ita omnia cognoscat, neque enim est origo, neque principium intelligibilium; igitur tantummodo est in *potentia* ad ea cognoscenda successive componendo et dividendo, quod est judicare; jam vero cum intellectus componit et dividit, id est, judicat, agit transeundo de potentia cognoscendi ad actum, ergo judicium est actus.

Insuper, intellectus humanus, ut patet, et omnes norunt, non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta entitatem, seu *esse* ipsius rei, quod est primum et proprium objectum intellectus; et deinde intelligit proprietates, accidentia et habitudines circumstantia rei essentiam, sed ad hoc opus est intellectui, non solum apprehendere has proprietates, accidentia, et habitudines in se, sed etiam ut sunt ad essentiam, et exprimere in se ipso earum convenientiam cum essentia, quæ expressio non est quies, sed est actus, cujus terminus est verbum mentis *est*, vel *non est*, sine quo nulla cognitio intellectualis, quâ talis, dari potest, ergo judicium est actus. Hinc manet demonstrata 2.^a *Pars assert.*

115. Etenim evidens est omnem affirmationem, aut negationem, *est*, vel *non est*, esse unam et indivisibilem, adeo ut nec concipi aliter possit.

Præterea, omnis operatio, quæ fertur ad unicum

objectum, est una et simplex. Atqui hæc mentis operatio, seu actus mentis, iudicium, fertur ad unicum objectum, quod est convenientia, vel non-convenientia valoris objectivi idearum, quæque *est*, vel *non est*; ergo iudicium est actus simplex. Unde animadvertere oportet, quod quamvis ideæ, quæ objective discrepant inter-se, vel identificantur, sint plures, convenientia vel discrepantia non est nisi una, ideoque ideæ sunt, non *materia* ex qua componitur iudicium, sed *materia circa quam* versatur iudicium. Ast nunc quæri potest, utrum ipsa mentis apprehensio convenientiæ, vel discrepantiæ objectivi valoris idearum sit necne ipse actus iudicandi? videtur non. Sit itaque

116. *Assertio II. Actus internus, quo aliquid affirmatur, vel negatur, (hoc est, iudicium) non est ipsa apprehensio comparativa.* Est contra Lokium (1), Condilachium (2), et sensistas, atque P. Dmoswski (3), P. Liberatore (4).

Prob. 1.º Ac primo quidem, si mens non *clare ac distincte* (5) perspicit idearum convenientiam, vel discrepantiam, tunc nulli dubium esse potest, quod possit intellectus assensum, seu affirmationem, vel negationem cohibere (6), hoc est, non ferre iudicium, et nihilominus aliquid percipit, nam si nihil perciperet, non posset ullo voluntatis imperio affirmare, aut negare; etenim quod aliquo modo non percipitur, non potest esse objectum intel-

(1) *De hum. intellectu* l. 4. c. 1.

(2) *Art. de penser.* l. p. ch. 8.

(3) *Log.* l. p. á 2 parr. 1.

(4) *Log. P. l. cap. 2. art. 1.*

(5) Hæc claritas ac distinctio est effectus evidentiae, non evidentia, ut postea videbimus.

(6) Imperio scilicet voluntatis; intellectus enim non *intrinsece*, sed *extrinsece* tantum liber est in suis actibus, nempe quatenus liberæ voluntati subicitur.

lectus, nec voluntatis; et tamen affirmat, vel negat, si vult, et in hoc præcise est, quod *possit errare*, et ut de *facto* erret, quam possibilitatem videtur non negare Liberatore, siquidem ait, contrarios suæ opinionis hallucinari: dico, *quod possit errare*; ratio est, quia apprehensio, quæcumque sit, sive simplex, sive comparativa, semper est vera, semper conformis suo objecto, quia objectum ejus est id, quod exprimit, et prout exprimit; si igitur actus judicandi nihil amplius esset, quam apprehensio comparativa, nec ullum esset unquam judicium falsum, sed nec temerarium, cujus enim temeritatis reus erit, qui verum esse affirmat, quod verum percipit? Contrarium tamen infelicitate evenit. Sed quamvis mens clare ac distincte percipiat idearum convenientiam, vel discrepantiam, quod tunc ad summum accidere potest, est, ut mens non possit non assentiri, affirmare, vel negare, sed minime sequi potest, hanc affirmationem, vel negationem nihil aliud esse, quam ipsam perceptionem convenientiæ, vel discrepantiæ, quæ perceptio utique non est actus adeo perfectus, ut est judicium.

Insuper, Liberatore, et omnes, qui cum ipso sentiunt, distinguunt in sillogismo consequentiam à conclusione, ut debent; consequentia tamen non est judicium, ut omnes logici fatentur, sed est connexio, et convenientia præmissas inter et conclusionem, quæque ab intellectu apprehenditur, aliter de legitimitate, vel illegitimitate sillogismi minime judicare posset, ergo datur aliqua apprehensio comparativa, quæ non est judicium.

Præterea, esse judicia à voluntate imperata; et hæc aliquid addere apprehensioni comparativæ, nemo catholicus dubitat; talia sunt actus fidei supernaturalis, quorum convenientiam, vel repugnantiam inter ejus elementa intellectus non apprehendit: ergo judicium et apprehensio comparativa non sunt idem. Alias rationes omitto, nec nimis Lectionem protraham.

117. Incredibilis videbitur sequens interrogatio, à qua potentia elicitur iudiciū, ab intellectu, an à voluntate? Et profecto, nemini, quod ego sciant, ante Cartesium (1) in mentem venit, iudiciū non esse actum intellectus, sed voluntatis, at ipsi ejusque sectatoribus affirmare talia gratis arrisit. Contra quos sit

118. *Assertio III. Iudiciū est actus elicitus ab intellectu, non vero à voluntate, et si iudiciū est temerarium, potius quam iudiciū, est abusus liberæ voluntatis.*

Nota 1.^a Dicitur iudiciū *elicitum ab intellectu*; non enim negamus intellectum et voluntatem invicem se movere; intellectus utique *movet* voluntatem per modum *finis*, seu *specificationis*, ipsi proponendo quid sit eligendum; alioquin voluntas, cum sit cæca potentia, nihil eligeret: *certe enim*, ait S. P. Augustinus (2), *amari aliquid nisi notum non potest*. Et voluntas *movet* intellectum per modum *agentis*, sive quoad *exercitium*, quia applicat intellectum ad agendum (3); ex harum confusione ducunt originem portenta Cartesii.

Nota 2.^a Si esset certa doctrina cartesiana, corrigi deberent omnes definitiones, quæ à Theologis traduntur de virtutibus fidei, et charitatis (4); etiam et sensus naturæ communis, quo ducti omnes homines credunt intellectu *judicare de vero et falso*, et voluntate *amare bonum* pro ut ab intellectu proponitur. At rationes brevissime insi-

(1) I. P. Princi. parag. 32.

(2) *De Trim.* l. 10. c. 1.

(3) S. Thom. l. p. q. 82, à 4.

(4) Fides Theologica ita à S. Thoma definitur: «Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens *intellectum* assentire non apparentibus.» 2. 2.^æ q. 4. a. 1. Quoad hanc fidei virtutem, et Charitatem (seu Charitatem), legite S. P. Aug. *De Doctrina Christiana*. L. 3. c. 10.

nuemus. *Prob. 1.^a pars. 1.^o* Terminus actuum intellectus est ens in ipso intellectu exprimendum sub ratione *esse veri*; terminus actus voluntatis est ens in se ipso assequendum sub ratione *boni*: jam vero terminus iudicii est *actus essendi objectivus*, expressus per affirmationem, non autem prosequendus per appetitionem, quod est proprium voluntatis. Affirmatio vero est verbum mentis, verbum autem aliquid exprimat necesse est, exprimit vero, non *rem*, sed ejus *actum essendi*, hoc autem proprium intellectus objectum est; ergo iudicium ferre, non voluntatis, sed unice intellectus est.

2.^o Insuper, sunt quædam iudicia necessaria, ut cum intellectus idearum convenientiam, aut discrepantiam immediate perspicit, in quibus proinde minime assensum cohibere mens potest, et hoc quamvis sint contra ejus naturalem propensionem ad bonum; ergo aut hæc iudicia eliciuntur ab intellectu, qui est potentia necessaria, vel aliter dicere necesse est, voluntatem necessitari circa aliquod particulare, quod non est ejus objectum; hoc vero absurdum est.

3.^o Sed præterea; sunt quædam iudicia libera, quæ licet non emittantur ex immediata perceptione convenientiæ, aut discrepantiæ idearum, sunt tamen certa, quia aliquo motivo certo innituntur: atqui hujusmodi iudicia, uti sunt actus fidei supernaturalis, qui in auctoritate Dei revelantis fundamentum habent, ab intellectu eliciuntur; nam, ut ait S. Thomas cum omnibus Theologis(1), *credere est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum*; ergo sunt iudicia libera, quæ ab intellectu eliciuntur. Affluunt rationes, sed quod est de sensu naturæ probari non indiget.

119. *Expl. 2.^a pars.* Sunt quidam actus, qui videntur iudicia, tametsi libera, et quæ ab intellectu non eli-

(1) S. Thom. Sum. th. 2. 2.^o q. 2. a. 1., et q. 4. a. 2.

ciuntur, sed potius sunt contra intellectus dictamen, ac communiter vocantur temeraria: at tales actus non sunt proprie judicia, sed vehemens voluntatis propensio, ac perturbatio, et in quibus involvitur gratuitum suppositum, ex aliquo vitio ortum ducens, v. g. ex præcipitatione, pigritia, superbia, odio, præjudiciis etc.

Cartesiani confundunt assensum cum consensu; adhæSIONEM intellectus cum volitione, et cum illa quiete, quæ in animo oritur ex adsequutione alicujus finis proprii suæ ipsius capacitatis; quæ refutari non merentur, nec Lectio patitur. Videsis S. Thomam Summ. Th. 1.^a 2.^æ p. q. 15 á 1. ad 3.; et Tongiorgi, Psych. l. 3. c. 10. D. q. d. e.

LECTIO 17.^a—DE JUDICII EXPRESSIONE.—DE ENUNTIATIONE,
SEU PROPOSITIONE.

120. Jam attingimus illam Logicæ partem, quæ proprie Dialectica nuncupatur. Porro *Dialectica* (á græco *Dialelogomai*, idem ac latinum *dissero*, *discepto*, *colloquor*), est ars disserendi (1): et ideo illa logicæ pars, quæ speciales sermonis formas perscrutatur ad veritatis scientificam demonstrationem tradendam, hoc nomine decorata fuit.

Quamvis Dialectica cum Grammatica sit intime connexa, tamen ejus finis proprius ac formalis est veritatem demonstrare, tuere, ac suadere, et subigere mentem ejus, qui vel negat, vel de ipsa dubitat, utens quadam speciali, atque rigorosa sermonis concatenatione, atque ordine geo-

(1) Dicitur, Dialecticam á Zenone eleatensi inventam fuisse, ab ipsoque dialogicæ argumentationi applicatam; sed id probari minime potest. Ante Zenonem, qui vixit tempore Ciri, 3,500 anni plus minusve á mundi creatione, jam Dialectica in usu erat. Ante id enim tempus sapientissimi homines vixerunt, præsertim in populo Hebræo.

metrico, ut certiore adversarium faciat, veritatem ab ipso oppugnatam, in principio ab ipsomet admissa contentam esse, et ita ad eam admittendam ejus intellectum obligare; atque in hoc Dialectica á Grammatica distinguitur.

121. Totum igitur Dialecticæ munus est, perscrutare ac proponere aptiora media exprimendi, ac demonstrandi, tuendique veritates, quæ in judiciis præcontinentur; expressio autem judicii est propositio, de qua igitur Dialectica speciatim agit, jam in se ipsa, jam præcipue in suis variis relationibus, et debita coordinatione ad ratiocinium constituendum.

122. Cum vero propositio sit oralis judicii expressio, definiri potest: *Oratio, quæ aliquid de aliquo affirmat, aut negat*: ut V. Maria est Mater Dei.

Nota. Quæcumque de judicio dicta sunt, de propositione proportionaliter dicta intelligi debent, et vice versa.

Tria sunt elementa, quibus propositio quævis constat:

1.° *Subjectum*, i. e. terminus significans id, de quo aliquid enuntiatur.

2.° *Prædicatum*, quod et *attributum* subaudit, est terminus significans id, quod de aliquo enunciatur.

3.° *Copula*, nempe verbum *sum, es esse*, cujus munus est subjectum cum attributo conjungere, id est, declarare unum contineri in alio, vel non; sed numquam disjungit, aut declarat unum non contineri in alio, nisi præmittatur particula negans, ut v. g. *non, nemo, nullus, minime* etc. (Videsis Lect. 15.) Quidquid præter hæc tria in propositione inveniatur, referendum est, vel ad subjectum, vel ad prædicatum, seu attributum. Subjectum et prædicatum vocantur *termini* propositionis, quia ipsam terminant.

Nota. Copula, seu verbum exprimens connexionem inter subjectum et prædicatum, est semper verbum substantivum, *sum, est, esse*, et quidem præsentis tempore.

1.° *Præsentis tempore*: quippe quod præsentem actum significat, quo mens de subjecto pronuntiat prædicatum.

2.º Est semper *verbum substantivum*: nan id, quod per copulam affirmatur, est identitas objectiva inter subjectum et prædicatum; identitas autem objectiva in hoc jacet, quod res, quam una idea exprimit, sit eadem res, quam exprimit altera, et quamvis videantur esse alia plura verba, quæ copulæ munere fungi possint, omnia tamen in tantum verbo substantivo substitui queunt, in quantum eum continent, atque in eum reducuntur et in adjectivum aliquod, á quo nomen accipiunt: ex g. illud Juliani, cum, accepto libro Apolinaris, ait: *legi, intellexi, improbavi* (1), sic resolvi debet: *ego (Julianus) sum, qui fui legens; qui fui intelligens; qui fui improbens.*

Potest ergo integra propositio contineri unico tantum vocabulo, potest contineri duobus: et vice versa, potest ipsa continere plus quam tria vocabula. Exempla facillima sunt.

123. Propositio dicitur *naturalis*, si habeat primo subjectum, deinde copulam, et ultimo prædicatum, sin aliter *innaturalis*.

Est propositio signum *suppositivum* identitatís affirmatæ, vel non-identitatís, et *manifestativum* iudicii: (vid. Lect. 7.ª)

124. Propositiones considerari possunt in suis proprietatibus *absolutis*, et in suis proprietatibus *relativis*, seu mutuis.

Sub proprietatibus absolutis veniunt consideranda, 1.º subjecti *extensio*, quæ est *quantitas* propositionis, 2.º *copula*, unde oritur *qualitas* propositionis, deinde, 3.º *materia*, seu elementa omnia, quibus ipsæ conflantur propositiones.

Sub proprietatibus vero relativis, offerunt se consideranda earum *oppositio*, *conversio*, et *æquippollentia*. De

(1) Sozom. Hist. L. 5. c. 17.

quibus omnibus ordine prædicto, breviter dicemus, quod sufficiens incipientibus sit. De primo in hac, de reliquiis sequentibus Lect.

125. Ac primo quidem, ratione *extensionis subjecti*, seu *quantitatis*, propositiones dividuntur in *universales*, *particulares*, *singulares*, *indefinitas* (1). Revocentur in memoriam, quæ diximus in Lect. 10.^a de suppositione terminorum.

1.^o Propositio *universalis* est illa, *cujus subjectum suppositionem habet universalem*, ita ut prædicatum de omnibus et singulis, sub ejus extensione contentis, dicatur, et communiter afficitur signo aliquo universalitatis, ut *omnes*, *nullus* etc. Si prædicatum dicitur de omnibus *individuis* sub extensione subjecti contentis, tunc est *universalis completæ suppositionis*; si non de individuis, sed tantum de speciebus, dicitur *incompletæ suppositionis*; si vero in uno, vel altero casu patitur *exceptio*, vocatur *accommoda*: exempla; 1.^o *Omnis homo est mortalis*: 2.^o *Omne animal fuit creatum die sexta*: 3.^o *Omne animal fuit in arca Noë*: 4.^o *Omnes homines in Adam peccaverunt*. In 1.^o nulla exceptio, diciturque de omnibus *individuis*; in 2.^o dicitur de *speciebus*, sine ulla exceptione; in 3.^o dicitur etiam de *speciebus*, sed excipiuntur species piscium; in 4.^o dicitur de *individuis*, sed *excipiuntur* D. J. Christus, et B. V. Maria. Igitur 1.^a est *universalis completæ suppositionis*: 2.^a *incompletæ*; 3.^a et 4.^a sunt *accomodæ*.

Universalitas omnis potest esse vel *metaphysica* vel *physica*, vel *moralis*.

a) Est *metaphysica*, si prædicatum est de essentia subjecti, vel proprietas essentialis, vel ipsi essentiæ repugnat, ita ut contradictionem involvat, tale prædicatum non ha-

(1) Cons. S. P. Aug. Ser. 71. á 11. *de Verb. Dom.* cap. 6. et 7 et *Enchir.* c. 103. et in *Psal.* 144.; et S. Thom. 1. *Perih. Lec.* 10.

bere, vel tale aliud habere; ideoque nulla patitur exceptio, nec per miraculum; e. g. *omnis homo est rationalis: Omnes circuli radii sunt æquales etc.*

b) *Physica* est, si prædicatum dicitur de subjecto secundum leges physicas; sed cum hæ per miraculum, salva rerum essentia, mutari possint, hujusmodi propositio potest pati exceptionem, ut *omnis lapis aere demissus labitur; nullus homo ambulat super aquas, quin demergatur etc.*

c) Est *moraliter* universalis, quando consensus attributi cum subjecto in naturali hominum indole, et legibus, quibus mentes humanæ reguntur, est fundata. Potest esse *stricta* vel *minus stricta*; *stricta* si nullam admittit exceptionem; ut *omnes homines suam quæerunt felicitatem: minus stricta*, si admittit exceptionem; ut *omnes juvenes sunt inconstantes*. Vulgo tamen *moraliter universalis* dicitur quævis propositio, cujus subjectum secundum totam fere extensionem sumitur.

2.º *Propositio* particularis illa est, cujus subjectum secundum partem tantum suce extensionis sumitur, quod denotant communiter particulæ aliquis, quidam, nonnulli; ut *aliquis homo est eruditus: aliqua dona sunt contemptibilia*.

3.º *Singularis* est illa propositio, cujus subjectum est itidem singulare, et in genere suo individuum, et sic exprimitur, vel aliquo signo singularitatis, vel pronomine demonstrativo: ut *Pius IX est Christi Vicarius; Hoc collegium est Eremitarum S. Aug.: Sacramenta novæ legis sunt septem: hic liber est vobis molestus: homo, qui pedem primus in insulas Philippinas posuit, est dignus æterna memoria etc.*

Nota. Propositio, cujus subjectum est terminus collectivus, ad has reducitur: si dicitur e. g. *omnia collegia*, erit *universalis*: si dicitur *nonnulla Collegia*, erit *particularis*: si dicitur *hoc collegium*, erit *singularis*; et denique

si dicitur, *collegia* in communi absque ulla determinatione, erit *indefinita*. Nam

4.° *Propositio indefinita*, seu *communis*, illa est, quæ nulla universalitatis, particularitatis, aut singularitatis nota determinatur: ut *milites præsidis plectentes coronam de spinis* (1): *homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis* (2) etc.

126. Hæ sunt quatuor species propositionum, cum sub ratione quantitatis considerantur. Enimvero

Dico I. *Omnes propositiones ad duas reduci debent, quæ sunt universales et particulares.*

Explic. Etenim in omni propositione subjectum, vel sumitur secundum totam suam extensionem, vel secundum partem tantum: si prius, *propositio erit universalis*; si posterius, particularis.

Dico II. *Propositio singularis ad universalem est revocanda.*

Explic. *Propositio singularis* id ipsum habet, propter quod *propositio quævis* dicitur *universalis*; nam ideo *propositio* vocatur *universalis*, quia ejus *subjectum* non restringitur, sed sumitur secundum totam extensionem suam: atqui *subjectum propositionis singularis* sumitur secundum totam extensionem, quam habere potest; ergo etc.

Dico III. *Propositio indefinita in materia necessaria, id est, cum prædicatum est de essentia subjecti, vel aliquid necessario ab essentia dimanans, est metaphysice universalis; si vero est contingenter de subjecto, est moraliter universalis, nisi adjuncta aliter determinant.*

Explic. *Propositio metaphysice universalis* illa est, cujus *subjectum essentialiter* convenit cum attributo, atqui talis est *propositio indefinita in materia necessaria*, vel

(1) Math. 27—v. 27. 29.

(2) Job. 14—1.

proprietatibus ab essentia dimanantibus, ergo etc. v. gr. *radii circuli sunt æquales*: idem est ac *omnes radii*.

Si vero est in materia *contingenti*, tunc prædicatum majori numero individuorum sub extensione subjecti contentorum conveniat oportet, nisi *circumstantiæ* determinant aliter: v. g. *Hispani sunt prudentes*, id est, *major Hispanorum pars*: *Si non venissem*, ait Jêsus (1), *et locutus fuisset eis, peccatum non haberent*: id est, non sequitur: *nullum peccatum haberent*; sed *aliquod peccatum vitassent*: *milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus* (Jesu) (2), id est, *aliqui milites*: *circumstantiæ* id determinant. Potest etiam accidere, ut contextus propositionem singularem faciat: et etiam quamvis affecta sit propositio aliqua universalitatis notâ, potest non esse universalis: ut hæc: *Omnes (filii hominum) declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (3); non de singulis hominibus, sed de generibus singulorum accipienda est: et similiter hæc: *omnes filii Levi congregati sunt* (4); et hæc altera: *decimatis mentham, et rutam et omne olus* (5), id est, *omne olus* non ita accipiendum est, ut olus alienigenarum gentium decimarent etc. Denique cum dicimus: *leges physicæ non mutabuntur*, si subintelligitur de ipsa lege universali, quæ constituit rerum omnium mirabilem harmoniam, est propositio universalis absque exceptione; si vero intelligitur de ipsius effectibus partialibus (ut ita dicam), quibus videmus regulari res omnes individuales, ut plurimum certe universalis est, sed potest etiam pati plurimas exceptiones, quæ, tametsi non nimia credulitate, et sine examine ad-

(1) Joan. 15—22.

(2) Joan. 19—2.

(3) Ps. 13—3.

(4) Ex. 32.—26.

(5) Luc. 11.—42.

mitti debeant, tamen periculosius erratur, cum obstinatè aspernuntur.

Obsecro vos, si hanc Lectionem supra modum protraxi, ut mihi indulgere dignemini, et ad litteram addiscatis. D. q. d. e.

LECTIO 18.^o—DE PROPOSITIONIBUS RATIONE FORMÆ, SEU QUALITATIS ETC.

127. Sequentes nos naturalem propositionum ordinem, tractare hac in Lectione debemus de earum *qualitate essentiali* (forma), quæ sumitur ex modo, quo *copula* comparat prædicatum ad subjectum, de cujus suppositione, seu *quantitate* in præcedenti, pro nostro instituto, aliqua delibavimus.

Jam vero *qualitas* propositionum, seu *forma*, sumitur à copula (verbo); hæc autem potest esse tum affirmativa, tum, mediante aliqua particula negante, negativa, id est, potest affirmare tale prædicatum de tali subjecto, vel affirmare tale prædicatum non convenire tali subjecto; cum vero copula exprimat convenientiam, vel non-convenientiam prædicatum inter et subjectum, si revera ita est, ut ipsa exprimit, propositio erit vera, sin autem secus erit falsa. Ergo propositiones ratione qualitatis dividendæ sunt in affirmativas et negativas (*qualitas primaria*), in veras et falsas (*qualitas secundaria*). Dicemus de singulis.

128. Propositio est affirmativa cum prædicatum jungitur subjecto mediante verbo substantivo tacito, vel expresso.

Est negativa si verbum comitatur aliqua particula negativa ipsi *præposita*, vel immediate, vel implicita in ipso subjecto; ita tamen ut ipsum verbum afficiat; si vero negatio sequitur verbum, dicitur propositio *infiniti prædicati*, et facile reducitur ad negativam.

129. Propositiones affirmativæ et negativæ in attributo-

rum suorum *extensione* et *comprehensione* contrariis insistunt viis, unde notæ sunt inter Logicos sequentes regulæ, diligenter notandæ, cum ex illarum notitia pendeat ars syllogistica.

Regula I.^a *Attributum propositionis affirmativæ, sive sit universalis, sive particularis, sumitur secundum totam suam comprehensionem; non vero secundum totam suam extensionem, nisi sit adæquatio subjecti.*

Explic. Cum dicimus, v. g. *Religiosi sunt humiles*: asserimus omnes *notas* et *proprietas*, quæ veram humilitatem constituunt, habere religiosos; sed minime asserimus *omnes humiles*, seu *omnia individua*, de quibus dici potest humilitas, esse religiosos: *ratio primi* est, quia cum affirmamus prædicatum esse identicum cum subjecto, hoc ipso affirmamus, subjectum habere omnes et singulas *notas*, quæ constituunt ideam prædicato significatam: *ratio secundi* est, quia cum affirmamus prædicatum convenire subjecto, nolumus sane affirmare subjectum esse *omne id*, cui convenit prædicatum, sed solum esse unum, aut alterum ex iis, quibus convenit.

Excipiuntur ab hac regula illa prædicata, quæ sunt essentia subjecti, vel termini singulares de subjecto singulari; v. g. *homo est animal rationale*, potest dici, *omne animal rationale*: *Christus est unigenitus Dei* etc.

Regula II.^a *Attributum propositionis negativæ sumitur, vice versa, secundum totam suam extensionem, non vero secundum totam suam comprehensionem, nisi prædicatum fuerit singulare.*

Explic. Cum dicimus, v. g. *Homo non est Angelus*, asserimus, quæcumque individua per nomen Angeli significata, non esse hominem, sed minime asserimus nullam proprietatem ex iis, quas Angelus habet, non habere hominem; id est, removemus á subjecto *homo* omnia individua angelica, sed non omnes proprietates angelicas: *ratio utriusque* est, quia ut nullum individuum identificetur cum subjecto, suffi-

cit, ut subjectum careat aliqua proprietate ex iis, quæ prædicatum constituunt, sed non est necesse ut careat omnibus.

Ecce formula generalis primæ, secundæque regulæ. 1.^a Supponamus, S esse subjectum, et P prædicatum, sic intelligitur.

S est P. S idem est ac aliquod P. S est unum ex inferioribus P. S continetur in P.

2.^a S non est P. S non est ulla pars subjectiva ideæ P. S non continetur in P. S excluditur á P.

130. Unde concludi licebit, propositionem affirmativam esse nobiliorem ac præstantiorem negativâ; affirmativa enim dicit quid res sit, negativa vero solum dicit quid non sit.

131. Veniamus jam ad secundariam et necessariam propositionum qualitatem, quæ est veritas earum, vel falsitas: hîc autem tantummodo insinuabimus quando propositiones sint logice veræ, quando falsæ; nam de veritate tum quoad res, tum quoad intellectum, pertractabimus, Deo favente, breviter in Critica, speciatim vero in Ontologia.

Jam, veritas est *adæquatio intellectus et rei*: falsitas autem *difformitas intellectus ab objecto*. Propositio igitur est vera, *si rem enuntiat sicuti est in se*; falsa autem *si rem non enuntiat sicuti in se est*. Duobus modis hoc accidere potest: primo, si est veritas in intellectu, et sic fideliter enuntiatur, erit vera propositio; si, quamvis sit veritas in intellectu, non ita fideliter enuntiatur, erit falsa propositio, et qui impudenter ita se gerit, mentitur. Secundo modo, quando non est veritas in intellectu, et fideliter (sic ut sentitur) judicium enuntiatur, propositio erit falsa, sed qui sic se gerit, non mentitur *formaliter*, sed tantum *materialiter*; sed non ex hoc á peccato eximetur, si judicium corrigere in sua potestate fuit: si judicium est falsum, et ideo in intellectu est falsitas, et non fideliter enuntiatur, sed aliter, potest evenire per *accidens*, ut propositio sit vera, at qui ita se gerit, non mentitur

materialiter, sed mentitur *formaliter*, et male se gerit, peccatum admittit.

132. Itaque oportet quam quod maxime investigare genuinum propositionis sensum, et non esse præcipites, nec in loquendo, nec in iudicando de aliorum verbis. Aliquando propositio sumi potest *materialiter*; aliquando, et est sæpius, *formaliter*: *materialiter* accipitur cum sumitur pro se ipsa; *formaliter* vero cum accipitur pro rebus significatis: idque multis accidit modis. Itaque

Dividitur propositionis sensus: 1.º in *litteralem* et *mysticum*, seu spirituales. Litteralis, seu *obvius* potest esse vel *proprius*, vel *metaphoricus*: litteralis *proprius* ille est, quem præ se ferunt verba propositionis ex primaria sua institutione, uti v. gr. si vox *leo* sumatur pro bellua rugienti; litteralis *metaphoricus* dicitur, cum primaria verborum significatio transfertur ad aliam, propter aliquam similitudinem; uti v. gr. si ipsa vox *leo* pro viro forti accipiatur; vox *agnus* pro viro mansueto etc. *Mysticus*, seu *spiritualis*, in Scriptura Sacra præsertim usurpatus, ille est, quem non verba immediate, sed quem exprimunt ipsæ res litteraliter significatæ per verba; v. gr. *Jerusalem*, quæ litteraliter sumpta, significat urbem Palestinæ, sæpissime in Sacris Scripturis spiritualiter et mystice accepta denotat Ecclesiam Christi, vel animam justæ. Hic spiritualis sensus subdividitur in *moralem*, *allegoricum*, et *anagogicum*; sensus vero litteralis sæpissime et communissime docet res morales (1).

2.º Dividitur sensus in *compositum* et *divisum*: *compositus* est ille, quo conjungitur unus actus cum actu opposito; *divisus* vero est ille, quo unus actus dividitur, aut separatur ab actu opposito, et conjungitur tantum cum potentia ad actum; v. gr.: *dormiens potest vigilare*.

(1) Cons. Calmet; A' Lapide, aliosque sacros Expositores Scripturæ.

3.° Potest etiam esse *collectivus* et *distributivus*, secundum quod prædicatum conveniat, vel non, inferioribus subjecti simul sumptis; ut *sacramenta sunt septem*, aut seorsim sumptis; ut *animæ Beatorum quoad aliquid sunt imperfectæ*.

Multa alia, ut persentitis, de his dici possent, sed jam longiorem sermonem fecimus, et aliunde in *Appendice* de arte critica et hermeneutica sermo, cum his aliquantulum connexus, iterum occurret: interim valete. D. q. d. E.

LECTIO 19.^a — DE VARIIS PROPOSITIONUM SPECIEBUS
RATIONE MATERIÆ.

133. Propositiones, sive sint negativæ, sive affirmativæ; sive sint universales, sive particulares, ratione elementorum, quibus constant, seu *materiæ*, varias sortiuntur species, de quibus breviter et ordinate agemus.

Ac primo, dividuntur in *simplices*, *complexas*, et *compositas*. Complexæ subdividuntur in *proprie complexas*, et *modales*. Compositæ in *apertè* et *occultè compositas*. Quæ omnes alias subdivisiones habent, ut singillatim videbimus.

134. §. I. Propositio *simplex* illa est, quæ uno tantum constat subjecto unoque prædicato, ut *Jesus-Christus redemit nos*.

135. §. II. Propositiones *complexæ* sunt vere propositiones simplices, quamvis nihilominus speciem compositarum præseferant: igitur sunt illæ, quæ præter subjectum et prædicatum, habent aliquem terminum incidentem (n. 63. 3.°). Complexio autem cadere potest vel in *terminos*, vel in *copulam*. Si cadit in *terminos*, id est, in subjectum vel prædicatum, vel in utrumque; proprie dicuntur et sunt *complexæ*; si vero cadit in copulam propositio dicitur *modalis*.

1.° Propositio itaque complexa est propositio simplex,

cujus subjectum, vel attributum, vel utrumque est terminus complexus, id est, propositionem habet incidentem, vel nomen adjectivum propositioni incidenti æquivalens: v. g. *Deus omnipotens creavit mundum perituum*. Duæ igitur sunt propositionis complexæ partes, una *principalis*, altera *incidens* nuncupatur: v. g. in allato exemplo, principalis est: *Deus creavit mundum*; incidens: *qui est omnipotens*: et *qui est perituum*. Incidentes aliquando sunt tantum *explicativæ*, et apponuntur ad majorem claritatem, aut ornatum, et tunc demi possunt, quin principales evadant falsæ; aliquando vero sunt *determinantes*, et vel subjectum, vel attributum restringunt ac coarctant, et tunc communiter, si demantur, principalis erit falsa, v. g. in hoc exemplo: omnes, *qui pie vixerint*, salvabuntur.

2.° Propositiones complexæ sunt *modales*, si complexio enuntiat *modum*, quo prædicatum inest, vel non inest subjecto, et in hoc ab absolutis distinguuntur: e. g. *Deus est NECESSARIO justus*: CONTINGIT *Petrum ambulare*: POSSUNT *omnes homines vitam æternam consequi*: IMPOSSIBILE est *Deum non reddere promissa* etc. Omnes possunt reddi per infinitivum, et tunc *absoluta* vocatur *dictum*: v. g. *Deum justum esse*, est dictum; *necessarium est*, est complexio, quæ semper est singularis.

Quatuor sunt modi, ut ex exemplis apparet: 1.° *necessarius*: 2.° *contingens*: 3.° *possibilis*: 4.° *impossibilis*. Ut hæc propositiones sint veræ, non sufficit prædicatum convenire, vel non convenire subjecto, sed insuper debet convenire *eo modo*, quo asseritur. Propositiones modales *crux logicorum* appellatæ sunt; hinc illud in scholis; *de modali non gestat asinus*: et profecto nonnullas admittunt subtilitates, quas persequi non convenit (1).

(1) Cons. S. Thom. in lib. 1. Perih. et alibi; et Alb. Mag. Perih. lib. 2. trac. 2. c. 1. et Opusc. 48 inter. S. Thom.: Tract. de enuntiat. c. XI. et Opus. 40.

136. §. III. Propositiones *compositæ* sunt illæ, quarum *subjectum*, *vel attributum*, *vel utrumque simul est multiplex* v. g. *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent; sed magis gratiarum actio* (1).

Præmonere autem oportet cum D. Thoma (2): *enuntiationem esse judicandam unam non ex unitate nominis, sed ex unitate significati, etiamsi sint plura nomina, quæ unum significant*: D. Thom. hæc sint regula, tum ad simplicem propositionem dijudicandam, tum ad compositam.

137. Propositiones *compositæ* aliæ sunt *apertè* compositæ, aliæ sunt *occultè* compositæ, hæc etiam *exponibiles* vocantur; omnes ab invicem discriminantur ratione particularum, quibus earum membra conjunguntur.

Hæc autem particulæ ad undecim revocantur; hoc modo: *quatuor* in categoricis, *tres* in *hypotheticis*, et *quatuor* in *exponibilibus*: primæ *quatuor* sunt *copulativa*, *adversativa*, *relativa*, et *causalis*: *tres* hypotheticæ sunt: *condicionalis*, *disjunctiva* et *conjunctiva*: denique *quatuor* exponibiles sunt: *exclusiva*, *exceptiva* (*inceptiva*, et *desitiva* quæ affines sunt) *comparativa* et *reduplicativa*, (et *specificativa*). De singulis quantum sufficiat tractabimus.

138. Sed, eo quod jam nomen indicavimus, animadvertere oportet, propositionem *categoricam* esse illam sive simplicem, sive compositam, *quæ attributum de subjecto affirmat, aut negat absolutè et sine ambagibus*, ut ita dicam: *hypotheticam* vero esse illam, *quæ solum exprimit connexionem et dependentiam unius ab altero, quin unum, aut alterum affirmet*; hanc autem dependentiam nec affirmat, nec negat propositio hypothetica ad modum

(1) Ad Ephes. c. 5—3 et 4.

(2) Ubi supra.

deductionis logicæ, ut ex principiis intelligibilibus deducuntur et affirmantur aliæ veritates, sed ad modum *esse contingentis*: perperam aliter intelligerentur, ut ex ipsius definitione patebit. Jam ad singulas descendamus.

139. I.^a *Propositio copulativa* illa est, quæ plura subjecta, vel prædicata connectit particulis copulantibus, et, atque, nec etc. v. g.

Mors et vita pendent á Deo: nec scientia, nec divitiæ faciunt hominem beatum.

Nota. 1.^a Resolvuntur in simplices, et ideo necesse est ad earum veritatem, ut sint veræ omnes simplices, quas continent: quare hæc: *fides et philosophia sunt necessariae ad salutem*, est falsa; vide resolutam: *fides est necessaria ad salutem; philosophia est necessaria ad salutem*, ecce falsitas.

Nota 2.^a Aliquando particula *et* habet vim comparandi; ut v. g. *ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem* (1).

II.^a *Propositio adversativa*, seu *discretiva*, illa est, quæ plura subjecta, vel prædicata conjungit particulis adversantibus; *sed, tamen, non, etc.*, ut illud: *non formosus erat, sed erat facundus Ulysses: vos mundi estis, sed non omnes.*

Nota. Ut sint veræ, ejus partes debent esse veræ, et quamdam inter sese veluti oppositionem habere: quis hanc suffert? *Vos estis magni philosophi, sed præclare disputatis.*

III.^a *Relativa* illa est, quæ aliquam comparisonem, vel relationem complectitur, seu cujus una pars refertur ad aliam, particulis, *ibi, ubi; tantum, quantum; talis* etc. v. g. *qualis vita, finis ita.*

NOTA. Ad ejus veritatem necesse est, ut existat relatio,

(1) Prov. 25.—23.

quæ exprimitur: hæc v. g. *tantum homo valet, quantum habet*, est falsa.

IV.^a Causalis illa est, *quæ exprimit rationem et causam, cur prædicatum conveniat subjecto*, his particulis; *quia, eo quod, ideo, quoniam, etenim*, et similibus, et juxta diversitatem causæ diversè denominabitur propositio: potest itaque designare causam determinantem, finalem, efficientem, materialem etc.: v. g. *quia fecisti hanc rem... multiplicabo semen tuum* (Abrahæ) *sicut stellas cæli* (1); *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum* (2).

Nota. Hæ propositiones *duo* affirmant, et ex his *unum* statuunt tanquam causam alterius; itaque ad earum veritatem *duo* requiruntur: 1.^o ut utraque pars sit vera, quia utraque affirmatur: 2.^o ut quod in una parte dicitur, sit verè causa alterius. Verumtamen potest accidere, ut neutra pars affirmetur, et si solum modo nexus: ut in hac: *profiterentes ex corde religionem christianam erimus felices*. At hoc in casu ad conditionales reducuntur. Hæ sunt primæ quatuor species. Veniamus nunc ad hypotheticas, quæ etiam sunt apertè compositæ *tres* sunt earum species:

140. I.^a *Conditionalis*, seu hypothetica propriè dicta, ea est, *quæ attributum de subjecto affirmat, aut negat sub quadam conditione* per particulas *si, modo, dummodo* etc.: v. g. *si bene egisti præmium recipies*; pars, quæ particulam conditionalem includit, vocatur *conditio*, seu *hypothesis*, vel *antecedens*; altera *conditionatum*, vel *consequens*, non quod sequatur á conditione, ut sequuntur veritates in conclusionibus syllogisticis, sed quia *suum esse* pendet ab *esse conditionis*. Quod in his propositionibus affirmatur, aut negatur nec est *conditio*, nec *conditionatum*,

(1) Gen. 22—16.

(2) S. Matth. 5—3.

sed tantum nexus inter utrumque, et ideo unica affirmatio, aut negatio per ipsam exprimitur; potest itaque, tum antecedens, tum conditionatum esse negativum, propositio vero affirmativa, et vice versa, ideoque erit affirmativa, si affirmat connexionem inter conditionem et conditionatum, erit negativa, si illam negat: *Si non credis in Jesum Christum, non habebis vitam æternam*: est affirmativa. *Etsi sumus pauperes, non tamen sumus miseri*: est negativa.

Nota. Ad ejus veritatem *semper et solum* requiritur, ut *in affirmativis adsit vera connexio inter ipsius membra*: et *in negativa verè non adsit*, quapropter nihil obstat ad ejus veritatem, ut sint, vel non vera membra seorsim et in se spectata: v. g. *Si estis Angeli, hinc in Romam ire poteritis, quin per mediam distantiam transeatis*; est vera: *Si David fuit Rex, fuit justus*, est falsa. Hæ propositiones nonnullas præseferunt sinuositates, quas persequi non licet. Unum tantum animadvertam, et est, quod particulæ conditionales non semper conditionem exprimunt, sed aliquando sunt nota juramenti, et propositionem affirmativam vertunt in negativam. v. g. ait Psal. (1): *quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, id est, non introibunt: et (2) *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum*, id est, non dabitur. Aliquando propositionem negantem vertit particula in affirmantem: ut (3) *Juravit Dominus... SI NON, ut putavit, ita erit*; id est, erit *ut ipse putavit*.

Ad conditionalem reducuntur *illativæ*, seu *rationales*: v. g. *Christus surrexit, ergo et nos resurrecturi sumus*.

II.^a *Disjunctiva* propositio illa est, *quæ plures terminos, vel etiam enuntiationes quasi disjungens connectit*,

(1) Ps. 84—11.

(2) Marc. 8—12.

(3) Isai. 14—24.

particulis *aut*, *vel*, *sive*, etc. v. g.: *Omnis homo vel salutem æternam consequetur, vel in æternum peribit.*

Nota. Ad hujusmodi propositionum veritatem requiritur, ut inter earum *oppositas* partēs nihil sit medii, si particulæ sumuntur *præcissive*; sin autem secus, subintelligitur *saltem*, et tunc quamvis absolute detur medium, *excluditur* tamen, id est, subintelligitur exclusum: v. g. *vel Jacobus, vel Paulus fidem Christi hispanis annuntiarunt.*

III.^a *Propositio conjunctiva*, potius *incompossibile*, est, *quæ negat duas enuntiationes posse simul esse veras*: v. g. *Non potestis Deo servire et mammonæ* (1).

Nota. 1.^a Ad harum veritatem necesse est, *ut membra sint impossibilia*: unde falsa est hæc: *Nullus homo est simul doctus et pius.*

Nota. 2.^a Hæ propositiones ad conditionalem facillimè reduci possunt.

141. Nunc de *occultè* compositis, quæ etiam vocantur *exponibiles*, eo quod compositionem habeant prope *latentem*, et ideo expositione indigent. Propositiones simplices, in quas resolvuntur, vocantur *exponentes*.

I.^a *Exclusiva*, est *propositio, quæ aliquid affirmat, vel negat de subjecto, exclusis pluribus, iis particulis solum, tantum etc.*, quæ possunt tum subjectum, tum prædicatum afficere; v. g. *Solus Deus est æternus: Personæ divinæ sunt tantummodo tres*; prima vocatur *exclusi subjecti*, altera *exclusi prædicati* (2).

Nota. 1.^o Exponuntur per duas simplices copulatas, quarum altera est affirmativa, altera vero negativa.

Nota. 2.^o Ad ejus veritatem requiritur, ut utraque exponens sit vera:

(1) Cons. Euthy in. Ps. 88., Math. 6.—24.

(2) Cons. S. P. Aug. *L. 1. de Trin.* c. 7, et S. Thom. 1. P. Q. 31. á 3.

II.^a *Propositio exceptiva* est, quæ subjectum restringit per particulas, *præter, nisi* etc. v. g. *Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam* (1); et: *omnes dispersi sunt... præter Apostoles* (2).

Nota 1.^a Hæ propositiones exponuntur eodem modo ac exclusivæ, et ad earum veritatem idem requiritur.

Nota 2.^a His affines sunt *inceptivæ* et *desitivæ*, quæ indicant quando aliquid incepit vel desinit esse: v. g. *A die, quo novi te, dilexi te, ió bone Jesu! et mundo vale dixi.*

III.^a *Comparativa* est illa propositio, quæ non solum asserit prædicatum convenire, vel non convenire subjecto, sed etiam ipsi æque, vel magis, vel minus convenire, quam alteri: v. g. *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* (3).

Nota 1.^a Aliquando comparativum ponitur loco positivi: ut in illo Apostoli (4): *Melius est nubere, quam uri*: ubi nulla comparatio institui potest, quia *uri* semper est malum (5) Aliquando etiam positivum pro comparativo sumitur, ut in Psalmo (6): *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, id est; *melius est confidere* etc.

Nota 2.^a Hæ propositiones tria supponunt judicia, in quæ resolvi possunt; in uno affirmatur positivum de re excedente; in altero affirmatur idem positivum de re excessa; in tertio affirmatur excessus: v. g. 1.^o *filii hujus sæculi sunt prudentes*; 2.^o *filii lucis sunt prudentes*; sed 3.^o *prudentia filiorum sæculi superat prudentiam filiorum lucis.*

(1) 2. Reg. 12—3.

(2) Act. 8—1.

(3) Luc. 16—8.

(4) 1. Cor. 7—9.

(5) S. Hieron. in Apol. adver. Jovinianum, ad verb. cit.

(6) 117—8.

Nota 3.^a Facillimè est cognoscere, quando comparativa est vera, quando falsa, ex simplicibus, in quas resolvitur.

IV.^a *Propositio reduplicativa et specificativa* in eo conveniunt, quod *continent particulam aliquam geminantem*: ut sunt *quatenus, ut sic, prout, in quantum* etc.: differunt autem in eo, quod *reduplicativa notat* in subjecto id, quod est causa prædicati: ut *homo, quatenus intelligens, est liber*: *specificativa vero notat* solum illud subjecti *constitutivum*, secundum quod illi convenit prædicatum: ut v. g. *Christus passus est ut homo, vel secundum humanam naturam*.

Nota 1.^a Reduplicativa exponitur per causalem; specificativa vero per copulativam.

Nota 2.^a Quæ necessaria sunt ad veritatem causalis et copulativæ, ad reduplicativam et specificativam sunt itidem necessaria.

Nota 3.^a Omnia, quæ in hac Lectione dicta sunt, melius intelligetis, si in memoriam revocatis, quæ in Lectionibus 9.^a et 10.^a explicata sunt: interim me Domino commendate. D. q. d. e.

LECTIO 20.^a—DE PROPRIETATIBUS RELATIVIS PROPOSITIONUM ETC.

142. Hactenus propositiones in se ipsis perscrutati sumus, et vidimus veluti exurgere varias earum species; hora es jam ut, species, quæ ex earum mutua comparatione suboriuntur, exquiramus; enimvero res non possunt comparari, nisi inter eas aliquod adsit relationis fundamentum, quod fundamentum in propositionibus intellectus invenit præcipue in earum *oppositione, conversione et æquipollentia*: de quibus possibili brevitate jamjam agimus.

143. *Oppositio*, quoad propositiones attinet, est *duarum propositionum mutua repugnantia, quæ ex earum-*

dem de eodem, et sub eodem respectu, affirmatione et negatione procedit. Unde sequitur, characterem proprium oppositionis esse, quod binæ propositiones oppositæ simul veræ esse non possint: etenim, idem non potest simul esse et non esse. Ad veram igitur oppositionem hæ requiruntur conditiones: 1.^a ut habeant idem subjectum: 2.^a ut habeant idem prædicatum: 3.^a ut una sit affirmativa, et altera negativa: Sed quoniam possunt diversam habere quantitatem, id est, esse una universalis, et altera particularis, vel esse ambæ universales, vel ambæ particulares, hinc est, quod enumerentur variæ oppositionum species, aliæ quidem propriæ, aliæ vero impropiæ.

144. Propriè oppositæ sunt propositiones, si differunt: 1.^o quantitate simul et qualitate: ut, omnes justii pertinent ad Ecclesiæ animam: aliquis justus non pertinet ad animam Ecclesiæ: hæ sunt, et vocantur contradictoriæ: sunt enim contradictoriæ illæ, quæ tantum affirmant, vel negant, quantum sufficit, ut alteram falsam efficiant. 2.^o Sunt etiam propriè oppositæ, etsi non differant nisi qualitate, sed cum necessaria conditione, ut sint ambæ universales: ut, omnes, qui extra Ecclesiam Catholicam Romanam ultimum diem claudunt, in æternum peribunt: nulli, qui extra Romanam Ecclesiam ultimum diem claudunt, in æternum peribunt: hæ sunt, et vocantur contrariæ; consistunt in extremis; negant enim, vel affirmant, non quantum sufficiat ad labefactandam veritatem oppositæ, sed quantum negari vel affirmari potest: et ideo non contradictionem, sed contrarietatem important; etenim possunt medium admittere, et in hoc veritas inveniri (1): vocantur etiam é diametro oppositæ: ratio facillima est.

(1) Cons. S. Thom. Met. l. 4. c. 3.; et Alb. Mag. Periher. l. I. Tract. 5. c. 3.

Nota bene, quod propositiones singulares, et omnes illæ, quarum *prædicatum est essentia subjecti*, quamvis non differant, nisi *qualitate*, non contrariæ, sed contradictoriæ sunt: v. g. *Pius nonus est Christi vicarius: Pius nonus non est Christi vicarius*: sunt contradictoriæ; non enim medium admittunt; similiter hæc: *homo est animal rationale: homo non est animal rationale* etc.

145. Præter has species admittebant Peripatetici duas alias, *subcontrarias*, videlicet, et *subalternas*: quæ quidem nullam oppositionem involvunt; verumenimvero exponamus eas, quia non nihil utilitatis sunt in acuta argumentatione.


146. Vocabant ipsi *subcontrarias* propositiones particulares, quarum, cum nulla sit de materia necessaria, una affirmativa est, et altera negativa: v. g. *aliquis christianus vitam æternam possidebit: aliquis Christianus vitam æternam non possidebit*, etc. nulla oppositio, quia *Christianus*, subjectum unius, non est *aliquis christianus*, subjectum alterius.

Vocabant itidem *subalternas* eas, quæ differunt *quantitate* tantum, id est, universales et particulares sub ipsis contentas; v. gr. *Nullus protestans vitam possidebit æternam: aliquis protestans non possidebit vitam æternam*: item: *omnes, qui pie in Christo vivere volunt, persecutionem patientur: aliquis, qui pie in Christo vivere velit persecutionem patietur*. In his autem non solum non est oppositio, sed magis magisque roborantur.

147. Memorix juvandæ causa omnes propositiones, quoad *quantitatem, qualitatemque* opportunissime litteris repræsentabant, quod quidem servari debet: littera A repræsentat universales affirmativas: littera E universales negativas: I particulares affirmativas: et denique O particulares negativas: Unde sequens schema:

Asserit A, negat E; verum generaliter ambo;
Asserit I negat O; sed particulariter ambo.

Atque etiam ad earum oppositionem repræsentandam sequenti utebantur:



Attamen notetur exceptio supra (144) facta in *nota*.

148. Ecce nunc principia tenenda quoad earum veritatem, aut falsitatem, ex his oppositionibus ortam.

I.^m *Propositiones contradictoriæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt.*

a) Non possunt esse simul veræ; nam vel prædicatum universalis convenit omnibus inferioribus subjecti in affirmativa, vel nulli convenit in negativa; si ita est, et ita per ipsas exprimitur, erunt veræ, ergo quæcumque alia propositio, quæ hoc neget, erit falsa: atqui negant particulares contradictoriæ, ergo erunt falsæ.

Ergo A et O non possunt esse simul veræ; idem dicendum de E. et I.

b) Non possunt esse simul falsæ; nam si falsum est, ex gr., omnibus subjecti inferioribus prædicatum convenire, hoc ipso verum erit, alicui eorum non convenire; et similiter, si falsum est, nulli ex inferioribus subjecti non convenire, hoc ipso verum erit, alicui convenire; ergo propositiones A et O non possunt esse simul falsæ; idem E et I.

Ratio generalis est, quia *impossibile est idem esse simul et non esse.*

Nota. Ergo ex veritate unius contradictoriæ absolute

infertur falsitas alterius, et vice versa, ex falsitate unius veritas alterius.

II.^m Propositiones contrariæ (A. et E.)

a) *Non possunt esse simul veræ.* Nam si verum est, prædicatum esse omnibus inferioribus subjecti tribuendum, non potest simul esse verum, quod omnibus sit negandum.

b) *Possunt tamen esse simul falsæ.* Nam potest contingere, ut prædicatum nec omnibus inferioribus subjecti sit tribuendum, nec omnibus sit negandum, sed aliquibus tribuendum, aliquibus negandum, ut: *omnes Apostoli Hispaniam peragrarunt; nullus Apostolus Hispaniam peragravit.* Ambæ falsæ; quia aliqui non peragrarunt, aliqui vero peragrarunt in Hispaniam.

Hinc *ex veritate unius infertur falsitas alterius, sed non vice versa, ex falsitate unius non infertur veritas alterius* (1).

III.^m *Subcontrarias in materia necessariæ*, vel si sunt *singulares*, jam diximus esse contradictorias, ergo ipsis applicari debent, quæ de contradictoriis dicta sunt supra. In materia *contingenti*, *possunt esse simul veræ, sed non possunt esse simul falsæ*: ratio primi est, quia cum subjectum unius non sit subjectum alterius, quid obstat ut prædicatum conveniat uni —I— et non conveniat alteri —O.—?

Ratio, quare non possint esse simul falsæ, est, quia efficerent, ex dictis, veras suas contradictorias, et in hoc casu habebimus quatuor contradictorias simul veras, et quod magis adhuc est, cum ipsæ contineantur in veritate suarum subalternarum, erunt ipsemet simul veræ et falsæ; ergo *ex falsitate unius infertur veritas alterius, sed ex veritate unius nihil inferri potest.*

(1) Cons S. P. Aug. Libr. 6 cont. Julia. c. 3. ubi hæc doctrina Julianum refellit.

IV.^m *Propositiones subalternæ possunt simul esse veræ, et possunt esse simul falsæ*; nan una in altera includitur. Enimvero *nota*: si universalis est vera, vera erit particularis; attamen, si est falsa universalis, nihil infertur de particulari. Si particularis est falsa, falsa erit universalis; attamen, si particularis est vera, nihil infertur de universali. Hæc omnia melius intelligentur opportunis Magistri exemplis.

Nota 1.^a Accurata horum omnium intelligentia maximi momenti est in rebus Theologicis, ad inveniendas propositiones *veras, vel falsas, vel de fide, vel hæreticas*, ex infalibilis Ecclesiæ Romanæ definitionibus.

Nota 2.^a Ad inveniendam contradictoriam datæ propositionis, has regulas *generaliter* teneto.

I.^a Si propositio est singularis: vel est *affirmativa*, et tunc contradicitur per negationem verbo præpositam: v. g. *Christus Jesus veri nominis noster mediator est*: est de fide; ergo: *Christus Jesus veri nominis mediator non est*; erit contradictoria et hæretica: vel est *negans*, et contradicitur tollendo negationem: v. g. *Beata Virgo Maria non est proprie mater Dei, nec vocari debet*; quæ est hæretica Nestorii propositio: ergo; *Beata virgo Maria verè et propriè Mater Dei vocatur et est*; erit contradictoria et de fide. Si est *collectiva* eandem regulam teneto: v. g. *Sacramenta à J. C. D. Nostro instituta, nec sunt plura, nec pauciora, quam septem: et sunt, videlicet, Baptismus etc.* est de fide; ergo dicere, vel *non esse septem, vel esse plura, vel esse pauciora*; vel *Baptismum, vel Eucharistiam, etc. non esse sacramenta*, erit contradictorium et hæreticum.

II.^a Si propositio est *universalis* et in materia *necessaria, vel de fide*, contradicitur per particularem negantem, si est affirmativa: v. g. *Omnes actus liberi infidelium sunt peccata*; est ab Ecclesia damnata ut hæretica: ergo hæc: *aliqui actus liberi infidelium non sunt peccata*; erit contradictoria et de fide: si vero est *negativa*, contradicitur

per particularem affirmantem; v. g. *gratia supernaturalis hominibus ad salutem operandam non est necessaria*; est hæretica; ergo, *aliqua gratia supernaturalis hominibus ad salutem operandam est necessaria*; erit contradictoria et de fide. *Nota*, non semper ab Ecclesia ut hæreticæ damnantur propositiones, sed aliis notis inuriit, et tunc contradictoriæ erunt *picæ, remotæ ab hæresi*, etc. Pertinet hoc ad sacram Theologiam.

Si propositio est *universalis*, sed in *materia physice tantum necessaria*, easdem regulas teneto, sed addite præcisè; *servatis naturæ legibus*. Si est in *materia moraliter tantum necessaria*, non facile determinatur contradictoria, semper enim potest admittere medium.

III.^a Si propositio est *particularis*, ejus contradictoria erit *universalis mutata qualitate*; at considerate dicta in regula II.^a de materia necessaria et physica. Tamen non semper rigore determinari potest; *aliqua Dei præcepta sunt impossibilia*, est hæretica; sua contradictoria rigore non est hæc: *nullum Dei præceptum est impossibile*, quamvis sit de fide, est enim aliunde non vero ex necessaria deductione: attamen regula *generalis* est prædicta: *aliqua purgatorii pœna est sensûs*; de fide: *nulla purgatorii pœna est sensûs*; hæretica et contradictoria; *aliquis religiosus non damnabitur: nullus religiosus damnabitur*; contradictoria, et falsa.

IV.^a Quantum ad indefinitas attinet, nihil addendum, nisi quod videatur attente in qua materia versentur, et ex dictis satis colligi licebit ad contradictorias inveniendas.

V.^a Si vero est composita propositio, vel resolvite in simplices, quas continet, et istis applicate dicta; vel (quod non semper sufficit) anteponite omni ipsi negationem, sive sit affirmativa, sive negativa; v. g. *Petrus et Paulus Romæ mortui sunt*; ita *nec Petrus, nec Paulus Romæ mortui sunt*: vel *Petrus Romæ mortuus non est, Paulus Romæ mortuus non est*.

Insuper animadvertite, quod ad veram oppositionem requiritur, ut *affirmetur et negetur idem de eodem, et secundum idem*; ex hujus necessariæ conditionis defectu nulla oppositio est in his propositionibus: *Christus est minor patre; Christus non est minor patre*; in prima enim sumitur *Christus*, ut est *homo*, at in secunda sumitur, ut est *Deus*. Pro. nunc satis. D. q. d. e.

LECTIO 21.^a—DE TRANSITU UNIUS PROPOSITIONIS AD
ALIAM ETC.

149. Ad absolvendam doctrinam de propositionibus, quin limites nobis propositos prætergrediamur, restat aliqua innuere de transitu unius propositionis ad aliam.

Jam vero duplici modo, ut notat Gallupius (1), transit mens immediate ab una propositione ad aliam; scilicet, vel per modum immediatæ *illationis*, vel per modum *quæstionis*. Breviter de singulis.

Illationes immediatæ ad tres classes reducuntur (2). *Prima* classis est per *æquipollentiam*, seu *æquivalentiam* propositionum, et *consecutiones* immediatas, quæ de ipsa æquipollentiæ doctrina oriuntur: *secunda* classis est per consecutiones immediatas de doctrina *conversionis* propositionum: *tertia* classis spectat varios *illationum* modos, præcipue ex doctrina de oppositione propositionum, quorum, præter dictos, aliquos indicabimus immediate à duobus sequentibus numeris.

150. De æquipollentia, seu æquivalentia et conversione propositionum non eruditionis gratia tantum, quemadmodum de antiquitate populorum Ægyptii v. g., aut Sinen-
sis, vel Indici, aut de humo effosis vetustatis monumen-

(1) Met. vol. 2. Lez. 19.

(2) Cons. Card. Ptolomæum. Elem. phil. l. 3.

tis pertractatur ; sed plane necessaria Dialectico est de his accurata notio, aliter ac senserunt nonnulli empirici philosophi, ingrati erga scholasticos (1).

Aquipollentia est: *substitutio duarum propositionum, cum eadem in utraque significatione et amplitudine*. Licere in disputatione hanc substitutionem, nemo dubitabit, si scit matheseos problemata, ubi quantitas quantitati æquivalenti, optimo effectū, frequenter substituitur.

Hæc autem substitutio facillima est in propositionibus simplicibus. Etenim

1.º Propositiones contradictoriæ æquivalentes fiunt particula negante, *non*, præposita subjecto cujuscumque earum: v. g. 1.ª *Omnis homo est mundus á sorde*: 2.ª *aliquis homo non est mundus á sorde*: hæ contradictoriæ æquipollentes fiunt; sic: *non omnis homo est mundus á sorde*, significat idem ac 2.ª vel sic: *non aliquis homo non est mundus á sorde*, idem est ac 1.ª etc. Exempla facillima sunt.

2.º *Contrariæ* et *subcontrariæ* fiunt æquipollentes particula negante postposita subjecto cujuscumque earum: v. g. 1.ª *Nullus Angelus ratiocinatur*; 2.ª *omnis Angelus ratiocinatur*: æquipollentes fiunt, sic: *nullus Angelus non ratiocinatur*: idem est ac: *omnis Angelus ratiocinatur*, 2.ª: vel sic: *omnis Angelus non ratiocinatur*: idem ac: *nullus Angelus ratiocinatur*, 1.ª

3.º Subalternæ fiunt æquipollentes negatione *anteposita* et *postposita* subjecto: exempla facillima jam sunt.

Hæc quæ diximus de æquipollentia propositionum, applicari quoque possunt *adverbiis temporis*, et *loci*: temporis v. g. *nunquam*=*non aliquando*: *non semper*=*aliquando non*: *semper*=*numquam non* etc.

Quoad propositiones compositas easdem regulas teneto, sed in earum applicatione sobrietatem et reflexionem non

(1) Cons. S. P. Aug. lib. 6. Cont. Juli. c. 19.

mediocrem adhibite. Regulæ æquipollentiæ sequenti versiculo comprehenduntur.

Præ contradic: *post* contra: *præ* *postque* subalter.

151. De conversione propositionum.

Conversio propositionum est, *commutatio earum terminorum, ita ut subjectum in prædicatum et prædicatum in subjectum mutetur, incolumi tamen veritate.* Hanc conversionem licere luce meridiana clarius patet.

In omni conversione sequentem servate canonem: *Numquam termini amplitudinem augeant: minui nihil interest.* Jam vero tripliciter fieri potest conversio: videlicet, *simpliciter*: per *accidens*: per *contrapositionem*. Simpliciter est, cum termini non minuunt amplitudinem. Videte quomodo supponat prædicatum in propositionibus (Lectione 18.) et hæc facile comprehendetis. Itaque ergo *simpliciter* convertuntur: 1.º *particulares affirmativæ* 2.º *universales negativæ*. Ratio est, quia cum *prædicatum affirmatarum* suppositionem habeat particularem, in subjectum itidem particularem converti potest, et subjectum in prædicatum, quin quantitatem augeat: et cum *prædicatum negativarum* suppositionem universalem habeat, in universale subjectum, quin extensionem augeat, mutari poterit, et subjectum universale in prædicatum item universale: v. g. *aliquis homo Deum in cælis videt* ergo, *aliquis, qui Deum in cælis videt, est homo*: et similiter, *nullus electus, et prædestinatus damnabitur*; ergo, *quicumque damnantur nec sunt electi, nec prædestinati*.

Per *accidens* est, cum termini minuunt amplitudinem. Hoc modo convertuntur 1.º *universales affirmativæ*, et iterum 2.º *universales negativæ*. Ratio est, quia prædicatum universalis affirmativæ, cum supponat particulariter, necesse est, ut amplitudinem non augeat, in particularem subjectum ipsum converti; sed subjectum, quod est universale, ut supponitur, nihil obstat, ut fiat prædica-

tum particulare; utpote prædicatum affirmativæ; negativa etiam universalis, nihil obstat, ut mutetur, minuendo ejus prædicati amplitudinem, et efficiatur particularis: v. g. *Omnis homo est creatus á Deo*, ergo, *aliquid creatum á Deo est homo*. *Nullus purus homo mortali vivens vita vidit Deum*; ergo *aliquis, qui vita vivens mortali vidit Deum, non erat purus homo*, etc.

Denique si conversio fiat mutatis terminis finitis in infinitos, multiplicata particula *non*, tunc erit conversio per *contrapositionem*: v. g. *aliquis homo non est justus*: = *aliquid non justum non est non homo*. *Omnis homo est vivens*; = *aliquid non vivens est non homo*. Peregrina conversio, et nullius usûs, tamen ita converti possunt *universalis affirmativa*, et *particularis negativa*; quæ ultima aliter converti non potest, ut patet, quin termini augeantur, id quod vetat veritatis jus.

Exceptio hîc præcipua est circa universalem affirmativam, si prædicatum est essentia subjecti, vel proprietas essentialis; tunc enim eandem amplitudinem habet, ut millies repetitum est, ac subjectum, et ideo, hoc in casu, converti potest *simpliciter*, v. g.: *omnis homo est animal rationale* = *omne animal rationale est homo* etc.

Scholastici hanc doctrinam his versibus comprehendunt:

fEcl simpliciter convertitur, EvA per accid.

AstO per contra: sic fit conversio tota.

152. Tertia *illationis immediatae* classis varios habet modos; præcipuos indicabimus.

1.° Primus, qui se offert, est, qui fundatur in doctrina de oppositione propositionum supra exposita, cujus præcipua illatio est in *contradictoriis*, in hac innitens regula: *Ex veritate unius contradictoriæ infertur falsitas alterius, et vice versa*.

2.° Deinde illationes ab uno prædicato ad aliud: en communiore.

a) Valet illatio affirmativa ab inferiori termino ad superiorem, negativa non valet. Sermo est de terminis primæ intentionis.

Secundum hoc, hæc v. g. sunt legitimæ: *Petrus est homo*, ergo animal: *planta est corpus*, ergo substantia. Non vero istæ: *leo non est homo*, ergo non est animal etc.

b) E converso, à superiori ad inferiorem negativa illatio velet: v. g. *non est animal*, ergo *non est homo*:

3.° Insuper, illationes ab una suppositione ad aliam.

A suppositione distributiva ad disjunctivam et singularem valet illatio: v. g. *omnis homo es mortalis*, ergo *aliquis homo est mortalis*, igitur *ego sum mortalis* etc.

4.° Cum subjectum propositionis est terminus universalis atente considerandum est, utrum *completè* distributive sumatur, an vero *incompletè*, et an *accommodè*, an vero *simplicitèr*, priusquam propositionem illativam eruamus (Let. 10. n. 68). v. g.: *Omnis homo est factus die sexta*, ergo *tu factus est die sexta?* *Omnis animal fuit in arca Noë*, ergo *meus canis fuit in arca Noë?* ergo *pisces fuerunt in arca Noë?* pessimæ illationes. Vide quomodo supponat terminus *omnis*.

Sunt etiam quidam termini collectivi pro subjecto propositionis, tunc videndum est, antequam ad illationem progrediamur, utrum prædicatum sit de natura, aut essentia subjecti; si ita est, potest dici de unoquoque subjecto inferiori: v. g. *omnes res creatæ sunt contingentes*, ergo *hic planeta, in quo vivimus, est contingens*; et vice versa, de unoquoque ad omnes simul valet etiam illatio: v. g. *singulæ mundi partes sunt contingentes*, ergo *omnes*. Si vero prædicatum non sit de natura subjecti, tunc non valet illatio, nec à minori ad majus, nec de majori ad minus: v. g. *Sacramenta sunt septem*, ergo *baptismus sunt septem?* *Centum anni sunt sæculum*, ergo *singuli anni sunt sæculum?* *Unusquisque vestrum non potest illam mensam por-*

tare, ergo nec omnes? Unusquisque testium non repugnat falli vel fallere; ergo omnes? pessimæ illationes.

5 Denique sunt quædam illationes de possibilitate ad actum, et vice versa, quas præcipuas indicabimus.

1.^a Ab *esse* ad *posse* valet illatio: nihil enim *est*, quod *esse* non *possit*.

2.^a Vice versa á *posse* ad *esse* non valet illatio: multa sunt, quorum existentia repugnantiam absolute non implicat, et quæ tamen nec existunt, nec forsitan extiturae sunt.

3.^a A *non posse* ad *non esse* valet illatio; etenim quod implicat, non est *esse*; sed est nihil. *Nota* igitur in qualibet quæstione á possibilitate incipitur, vel ut clara præsupponitur.

4.^a A *non esse* ad *non posse* non valet illatio: ratio ut in 2.^a.

5.^a A *potentia agendi* ad *actum*, in agentibus liberis non valet illatio; in necessariis, si ad agendum sint *proxime expedita*, valet illatio.

6.^a A simultanea possibilitate, non sequitur possibilitas simultaneitatis, seu coexistentiæ: *hæc papyrus potest esse alba, et potest esse nigra*, ergo potest simul esse alba et nigra? mala consequentia. Similiter á simultanea existentia, vel á successione non sequitur dependentia unius ab altero, vel á tertio ut causa communi; mala erat illatio: *post hoc, ergo propter hoc*.

153. Transitus alter ab una propositione ad aliam est per modum *quæstionis*; cum enim dicimus v. g. *Omnis spiritus est simplex*; immediata illatione occurrit: ergo *aliquid simplex est spiritus*. At fames, desideriumque sciendi pulsant, utrum prima propositio possit ex rerum natura converti simpliciter et dicere: ergo *omne simplex est spiritus?* (quæstio aliunde revera non parum agitata occasione accepta ab anima brutorum). Hoc evenit nimia frequentia; tanta, ut aliquando usque ad ridiculas propositiones investigandas nonnulli descenderint. Sed de hac

doctrina in sequentibus Lectionibus ideam completam acquiretis.

APPENDIX.

154. De variis et specialibus propositionum nominibus præsertim apud Geometras.

1. Propositio potest esse *cathegorica*, vel *hypothetica*, (videsis Lect. 18 n. 138.)

2. *Theorica*, vel *practica*.

Theorica est, quæ simpliciter aliquid enuntiat non relatam ad opus: ut *ignorantia est audax*.

Practica est, quæ enuntiat aliquid relatam ad opus: ut *Deus est filiali amore prosequendus*. Si tamen proprio sensu accipiantur, propositiones practicæ sunt, quæ efficiunt id, quod significant, ut *formæ Sacramentorum*.

3. *Axioma*, est propositio theoretica per se nota, ideoque indemonstrabilis: ut *totum majus est sua parte: quæ sunt eadem in uno tertio, sunt eadem inter se*.

4. *Postulatum* apud Geometras; idem ac *principium practicum* in reliquis scientiis, est propositio practica per se nota, ideoque indemonstrabilis; ut *à puncto ad punctum rectam duci potest: homo sui compos inter duo bona apprehensa potest quodcumque eligere: parentes sunt honorandi*, etc.

5. *Theorema*, est propositio speculativa demonstrabilis ope ratiocinii; ut *summa angulorum trianguli æquat duos angulos rectos*.

6. *Problema*, est propositio practica demonstrabilis: ut *rectam dividere in duas æquales partes*.

7. *Lemma*, seu *porisma*, aut *assumptio*, est propositio, quæ sumitur ab aliis scientiis, in quibus supponitur probata. Frequens est ejus usus et necessitas.

8. *Corollarium*, est propositio, quæ immediate sequitur ex aliis jam probatis, aut etiam ab axiomatibus, definitionibus etc.

9. *Scholion* denique, seu *Adnotatio*, est propositio,

quæ adhibetur ad majorem claritatem, præcisionem, etc., ab historia, ab auctoritate, ab exemplo etc. adsumpta. Hactenus dicta meditamini. D. q. d. e.

LECTIO 22.^a—DE RATIOCINIO, DE EJUS NOTIONE,
NATURA ET DIVISIONE.

155. Quæ hactenus dicta sunt, veluti necessaria introductio ac præparatio ad *Dialecticam* considerari debent; hujus enim proprium objectum est *ratiocinium*, finis, ad quem ordinantur quæcumque in ipsa traduntur. Quid autem est ratiocinium? videamus.

Cum binas ideas inter sese comparantes, illico apprehendimus objectivam earum identitatem, aut diversitatem, novum actum elicit mens, qui judicium immediatum appellatur, quo affirmamus, vel negamus objecta, talibus ideis repræsentata, inter se convenire, vel non; verum haud semper hoc evenit: imo frequenter mens hæret anceps de idearum, quas comparat, convenientia, aut discrepantia: v. g. comparans mens ideam *animæ humanæ*, et ideam *immortalitatis*, non illico videt unam in alia contineri, vel objective et sub hoc respectu inter se convenire: tunc menti, ut á suspensione et cunctatione sese liberet, et veritatem assequatur, non alia suppetit via, nisi aliam notio-riorem assumere ideam, et novam instituere duplicem comparisonem idearum illarum, quarum convenientiam, vel discrepantiam quærit, seorsim cum ista *tertia* de novo assumpta; v. g. in casu posito, assumit ideam *spiritûs*, quæ magis nota supponitur, et debet esse; tuncque comparat mens cum *hac idea spiritûs* ideam *animæ humanæ*, et videns quod sub respectu proposito identificentur objective, judicium elicit, quo affirmat: *animam humanam esse spiritum*; et deinde comparat cum *eadem idea spiritûs* ideam *immortalitatis*, et videns, has ideas sub respectu, quo comparantur, objective convenire, aliud elicit judicium,

quo affirmat: *spiritum esse immortalem*; apprehendensque illas in *tertia et sub eodem respectu identificari*, sponte elicit novum *actum*, quo judicat, ipsas convenire inter se, dicens; igitur *anima humana est immortalis*.

Si vero contigisset, nullam ex duabus convenire cum tertia adsumpta, nihil mens proficeret, et in eadem ambiguitate anceps versaretur, donec aliam, vel aliam adsumeret, quacum convenient, vel saltem una conveniat, et altera ab ipsa excludatur. Si vero una convenit cum tertia assumpta, alia autem non convenit, jam habet mens quod sufficit ad quæstionem solvendam: nam si v. g. quærimus, utrum *homo potens sit independens*: adsumo ideam *causæ primæ*, á qua omnia necesse est, ut dependeant et regantur; comparo ergo has ideas, et video *causæ primæ unice competere independentiam*, et aliunde video, hominem quantumvis potentem *non esse causam primam*, unde infero: *hominem potentem non esse independentem*; nam si 1.^a idea identificatur cum 3.^a, objective idem sunt sub illo respectu; 2.^a vero si á 3.^a excluditur et sub eodem respectu, evidens est excludi etiam á 1.^a quæ, facta substitutione, est ipsa 3.^a

En formula generalis omnium possibilium idearum comparationum:

1.^a A est B; C est A; ergo, substitutione facta.

C est B.

2.^a A est B; D non est A: ergo, substitutione facta, D non est B.

3.^a A non est M; P non est A: ergo... *Nihil*.

Ratio generalis, seu principium fundamentale horum judiciorum est principium contradictionis: *impossibile est idem simul esse et non esse*.

a) Principium autem proximum 1.^æ formulæ est hoc: *quæ sunt eadem uni tertio, sub quocumque respectu, sunt eadem inter se, sub ipsa eodem respectu*: quodque vocatur principium *identitatis comparatæ*.

b) Principium 2.^o formulæ est hoc: *Si ex duobus unum est identicum uno tertio, sub quocumque respectu, alterum vero non est, non sunt eadem inter se, sub illo ipso respectu*: hoc principium vocatur principium *discrepantiæ comparatæ*

Formula 3.^a proprie non habet principium; at accipe hoc axioma; *quæ sunt diversa ab uno tertio, possunt esse diversa, vel non esse inter se.*

Vellem maximoperè, ut aciem defigatis illis verbis: *sub respectu: sub eodem respectu* etc., rationem videbitis millies, sed exemplum communius habetis in trita objectione adversus SS. Trinitatis *Mysterium*.

156. Ex dictis jam *ratiocinium* definire possumus, itaque *ratiocinium* est: *illa mentis operatio, per quam, instituta duarum idearum comparatione cum tertiâ, illarum inter se identitatem, vel discrepantiam cognoscit*; seu brevius est: *actus mentis, quo iudicium minus notum ex magis notis deducimus*. Descendamus ad ejus *analysim*.

a) *Ratiocinium* est *actus mentis simplex*, quia unica et indivisa est animi operatio, qua infert consequens ex antecedenti, supponit quidem duo saltem iudicia prævia, verum ex ipsis non componitur, sicut iudicium plures ideas requirit, sed ex iis non constat; est insuper ex natura sua semper *affirmativum*, et *positivum*, etsi objective distingüatur in *affirmativum* et *negativum*.

b) Est *affirmativum* cum innititur *principio identitatis*, habetque proinde consequens *affirmativum*.

c) Est *negativum* quando innititur *principio discrepantiæ*, ideoque habet consequens *negativum*. Exempla omitto, utpote facillima (1).

d) Necessario invenirè debent in *ratiocinio tres ideæ, triaque iudicia*;

(1) Doctus Magister curabit studiosos Juvenes variis exemplis illustrare.

1.° *Tres ideæ*: duæ nempe, quarum convenientia, vel discrepantia quæritur, quæque simul enuntiatae vocantur *quæstio*; v. g. in exemplo supra allato: utrum *anima humana* (1.°) sit *immortalis* (2.°)? Deinde tertia notior cum qua aliæ duæ comparantur (*spiritus* (3.°)).

2.° *Tria judicia*: *primum*, quo affirmatur vel negatur convenientia, vel discrepantia unius quæstionis ideæ cum tertia: *secundum*, quo idem efficitur comparando alteram ideam quæstionis cum eadem tertia; *tertium* denique, quo affirmatur, vel negatur convenientia inter ipsas quæstionis ideas, quodque est effectus duorum antecedentium. Necessitas hujusmodi operationum provenit ex intellectus limitatione, quia non primo intuitu videt, quæ videre potest, quodque commendat ejus imbecillitatem et infirmitatem.

e) Tres illæ ideæ, quæ inveniuntur in omni ratiocinio, sua peculiaria nomina habent. Vocantur *extremæ* illæ, quæ cum tertia comparantur, et ista tertia vocatur *idea media*.

Extremæ ab invicem distinguuntur nomine *majoris* et *minoris*: vocatur *major* illa, quæ, cum majorem habeat amplitudinem, seu extensionem, est prædicatum in tertio judicio, seu est illa, quæ *genus* repræsentat: *minor* est, quæ est subjectum in tertio judicio, seu quæ *individua* repræsentat: secundum hoc, *idea media*, seu quæ assumitur, ut terminum comparationis, repræsentat *speciem*: ratio generalis est; quia quæcumque conveniunt in specie, conveniunt inter se, et quæcumque differunt in specie, differunt inter se: v. g. *Omnis virtus est laudanda; prudentia est virtus; ergo est laudanda*: planum est 1.° *laudanda* latius patere ex tribus ideis, *esse prædicatum* in tertio judicio, et *esse genus*: 2.° *virtutem esse mediam*, et *speciem* repræsentare, 3.° *prudentiam* minus omnium patere, *esse subjectum* in consequente, et *esse individuum* contentum in specie *virtutis*.

f) Tria judicia, quæ ratiocinium constituunt habent etiam nomina propria: videlicet: illud, quo, comparata idea extrema majori cum idea media, seu genere cum specie, affirmatur, vel negatur earum convenientia, vocatur *majus*, vel *principium*, vel etiam *continens*: alterum, in quo id ipsum efficitur cum idea extrema minori et idea media, seu quo comparatur individuum cum specie, vocatur *minus*, *contentum*, vel etiam *adsumptum*; et unum et alterum, simul, atque collective sumpta, vocantur *antece-*
dens, seu *præmissum*: illud autem iudicium, quod exinde oritur et elicitur affirmando, vel negando convenientiam inter ideas extremas, quæ quæstionem includebant, vocatur *consequens*, *conclusio*, *mediatum*, *deductum*.

Accuratè distinguenda est in omni ratiocinio *materia à formâ*.

1. *Materia* ratiocinii vocantur illa elementa, ex quibus constat. *Materia* alia est *proxima*, alia *remota*: proxima sunt illa tria judicia, seu antecedens simul cum consequente, de quibus supra; remota sunt illæ tres ideæ, seu ideæ *generis*, *speciei*, et *individui*.

2. *Forma* est illa connexio, seu concatenatio, quæ in omni legitimo ratiocinio adesse debet inter antecedens et consequens; scilicet, ratio propter quam posito antecedente ponitur et consequens, quæ quidem objectiva est, non subjectiva, quippe quæ est relatio dimanans ex relationibus objectivis, seu valoris objectivi extremarum idearum cum tertia: vocatur communiter *consequentia*. Hæc nullum continet iudicium.

g) Ratione materiæ et formæ suboriuntur aliæ ratiocinii divisiones.

1.° Ratione formæ potest esse ratiocinium *inductivum*, vel *deductivum*.

a) Est *inductivum*, seu *syillogisticum*, cum mens, mediante una idea notiori, ab individuo ad speciem cognoscendam, et ab specie ad genus, seu à partibus ad totum se

attollit. Ratio, seu principium hujuscemodi ratiocinii inductivi est hoc: *quodcumque convenit speciei, convenit generi: et quodcumque convenit individuis convenit speciei*. Idem dicendum si fuerit negativum, sed ratione inversa.

b) Est *deductivum*, (communiter solo nomine *deductionis* designatur) cum mens descendit á cognitione generis ad cognoscendas species in ipso contentas, et ex iis ad individua; seu á cognitione *totius* pervenit ad cognitionem *totalitatis*. Hujusce ratio, seu principium est hoc: *quæcumque conveniunt generi, conveniunt speciebus, et quæcumque conveniunt speciei, conveniunt etiam individuis*. Idem si fuerit negativum; quæcumque enim negantur de genere, neganda sunt de specie et de individuis, et quæ negantur de individuis, neganda sunt de specie, et quæ negantur de specie neganda sunt de genere (1). Loquimur, ut patet, de essentialibus, et de iis, quæ ab essentia necessario dimanant, minime de accidentalibus.

2.º Ratione materiæ dividitur ratiocinium:

a) In *cathegoricum et hypotheticum*, secundum quod judicia, quæ præcedunt consequens, sint cathegorica, vel hypothetica.

b) In *purum, theoreticum, seu rationale*, si duo judicia, quæ constituunt antecedens, sint analytica, seu á priori.

c) In *empiricum, seu experimentale*, si illa judicia sint tantum á posteriori, seu ab experientia.

d) In *mixtum*, si unum iudicium sit analyticum, et alterum syntheticum. Ecce exempla. Purum v. g. *Intrinseca rerum possibilitas radicaliter sumpta est æterna et immutabilis: quodcumque autem est æternum et immutabile, est necessarium, infinitum, est Deus; igitur interna rerum possibilitas radicaliter sumpta, est necessaria, infinita, ipse Deus est.*

(1) Hæc principia veteres sic enuntiabant: *Dictum de omni*; affirm. *dictum de nullo*; neg.

Empiricum: *Omne corpus est grave, aër est corpus; igitur est grave.* Mixtum: *Quaecumque causa efficiens debet necessario præcontinere omnes effectûs perfectiones aliquo modo; atqui Deus est causa efficiens omnium rerum creatarum; ergo aliquo modo præcontinet necessario omnes perfectiones universarum creatarum rerum.*

e) Postremo dividitur, in *certum, probabile, et sophisticum*; at de his postea.

Satis pro nunc de ratiocinio, deveniamus ad ejus expressionem, quæ *Argumentatio* nuncupatur, de cujus natura fere nihil ad dicta addendum remanet. D. q. d. e.

LECTIO 23.^a—DE ARGUMENTATIONE; ET DE SYLLOGISMO IN GENERE.

151. Argumentatio nihil aliud est, quam ratiocinium verbis expressum, quæ igitur de illo dicta sunt, de hac dicta intelligi debent. Argumentatio definiri potest: *Oratio, quæ ex aliis propositionibus unam infert, propter connexionem, quam habet cum præcedentibus*: series argumentationum constituit *discursum*. Variæ sunt Argumentationum species: videlicet, *Syllogismus, Enthymema, Epicherema, Polysyllogismus, Dilemma, Sorites* (quæ ultimæ quinque de primi specie participant), *Analogia, Deductio*, et quodam lato sensu, *Hypothesis, Exemplum et Parabola*: inter has eminent *Syllogismus*, ad quem cæteræ facile reducuntur; de ipso primo, deinde de reliquis dicemus. De ejus summa utilitate nihil dicam, solum empiricis et abjectis philosophis despectui esse potest.

152. Syllogismus est: *argumentatio tribus constans propositionibus, ita inter se connexis, ut duabus positis, tertia necessario sequatur.*

Sicut in omni ratiocinio sunt tria judicia, ita in omni syllogismo, qui est ratiocinii completa expressio, sunt tres propositiones, quæ conflantur ex tribus distinctis terminis

bis repetitis, respondentibus tribus ratiocinii ideis, de quibus supra; iisdemque nominibus insigniuntur, proinde duo *termini*, qui exprimunt ideas, quæ cum tertia, seu media comparantur, vocantur *extremi*; *extremum majus* illud, quod exprimit ideam generis, seu quod majorem extensionem habet: *minus extremum* vocatur illud, quod exprimit individuum, seu minorem extensionem habet; et *terminus medius* vocatur ille, qui exprimit speciem, seu qui exprimit ideam, quacum comparantur extremæ; qui si fuerit singularis, syllogismus vocatur *expositorius*. Item propositiones, quæ judicia exprimunt, sua nomina habent, vocatur propositio *major*, quæ continet extremum majus cum termino medio; vocatur *minor* illa, quæ continet extremum minus cum eodem termino medio; propositio, quæ ex his educitur, vocatur *consequens*, seu *conclusio*, quæque necessario constare debet ex duobus *extremis*, quæ ante argumentationem quæstionem includebant: *major* propositio et *minor* collective sumptæ vocantur *antecedens*, seu *præmissæ*, quia præmittuntur solutioni quæstionis. Propositiones et termini, de quibus immediate diximus, sunt *materia* argumentationis syllogisticæ, propositiones sunt ejus *materia proxima*, termini *materia remota*.

153. *Ratione* materiæ dividitur syllogismus:

1.º In *demonstrativum*, si constat ex præmissis necessariis, et tunc generat *scientiam*; in *probabile*, si constat ex præmissis, saltem una, contingentibus, quæ possunt esse veræ, vel falsæ, et tunc generat *opinionem*; in *sophisticum*, si non servat argumentationis leges, et tunc generat *deceptionem*.

2.º Est *expositorius*, seu singularis, si medius terminus est singularis; v. g. *Christus redemit nos; qui redemit nos amari debet; ergo Christus amari debet*.

3.º Dividitur in *simplicem*, seu *cathegorium*, *complexum* et *compositum*. Est simplex, si ejus propositiones sunt ca-

theticæ; v. g. *Omnes catholici Papam venerantur; sed Hispani sunt catholici; ergo Hispani Papam venerantur.* Est complexus, si habet aliquam præmissam complexam; v. g. *Christus redemptor mundi est filius unigenitus Dei; Sed Christus redemptor mundi est Filius etiam unigenitus B. V. Mariæ; ergo Filius B. V. Mariæ est ipse Filius unigenitus Dei.* Est compositus, si omnes, vel aliqua ex ejus propositionibus est composita: ex. g. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum; sed thesaurus tuus est in cælo; ergo cor tuum est in cælo.* Id. *Si Deus est justus punietur impius: sed Deus est justus; ergo, punietur impius.* Compositus itidem subdividitur in *hipotheticum, copulativum* etc. *justa species propositionum, quibus constat.*

Est etiam et ipsi syllogismo *qualitas, et forma.*

154. *Qualitas* syllogismi sumitur á qualitate conclusionis, quæ est *affirmativa*, si præmissæ ambæ sint affirmativæ, est *negativa*, si una ex præmissis sit negativa.

155. *Forma* est (omisso sensu ab aliquibus antiquis usurpato) *connexio, quæ ex ipsius partium, sive propositionum et terminorum dispositione, quæ ad legitime concludendum idonea sit, exurgit.* Nunquam confundi debent consequens, et consequentia: *consequens* est propositio, quæ ex duobus præmissis infertur; *consequentia* vero est *connexio* illam inter et istas: *consequens*, utpote expressio judicii, potest esse verum, vel falsum; *consequentia* minime, igitur solum potest esse *legitima* vel *vitiosa*: *consequens*, utpote propositio, potest habere duos vel plures sensus, et ideo distingui debet hoc in casu concedendo verum, negando falsum; consequentia nunquam; vel enim adest, vel non; denique potest esse *consequens* verum et *consequentia* simul *illegitima*, et vice versa, potest adesse legitima consequentia et esse falsum consequens; ideoque accurate distingui debet *veritas* materiæ, á *veritate formæ*; *veritas* materiæ est ipsa *veritas* propositionum, *veritas*

formæ est earum legitima connexio et concatenatio; potest una adesse, et altera deesse, et vice versa; v. g. *Aliquis Apostolus fuit traditor; Judas fuit Apostolus; ergo fuit traditor?* hic syllogismus ratione materiæ est verus, veræ quidem sunt omnes propositiones; attamen ratione formæ, est vitiosus; ex eo quod *aliquis Apostolus* fuisset traditor, non sequitur fuisse Judam; eadem ratione sequeretur fuisse Petrum, vel Jacobum etc.: *Omnes homines resurgent novissimo diè; sed simius est homo; ergo resurget simius novissimo die;* hic ratione formæ est legitimus, sed est falsus ratione materiæ: in primo nulla consequentia; in isto secundo legitima consequentia adest, fac propositionem minorem veram, et necessario sequeretur conclusio; id est, *simium resurrecturum esse novissimo die.*

156. Igitur quotiescumque educitur consequens falsum, retrogredi necesse est, accurate perpendendo præmissas, et earum sensum, atque in quo sensu comparentur termini; deinde, si in ipsis non invenitur vitium, attentè perspicienda est earum connexio, quia vel in materia, vel in forma adesse vitium certum est: quoniam 1.º *ex vero antecedente nunquam legitime sequitur falsum consequens*, ergo 2.º *si falsum est consequens, vel necessario falsa est una saltem ex præmissis, vel non adest consequentia*: 3.º etsi aliquando videatur *sequi* ex falso antecedente verum consequens, aut vice versa, ex vero antecedente falsum consequens, erit hoc per accidens, nunquam per legitimam consequentiam.

157. Principium fundamentale, cui innititur scientificus valor syllogismi, est principium contradictionis, ut supra dictum est de ratiocinio (1): principia immediata sunt quæ ibidem Lectione præcedenti memorabimus (2): si dico: v. g. *Deus distinctè cognoscit omnia præterita, præsentia et*

(1) Cons. S. P. Aug. L. 1. cont. Crese. gram. c. 20.

(2) Núm. 155. a) b).

futura, sive necessaria, sive contingentia et libera; atque omnes meas actiones sub iis continentur; ergo Deus eas distincte cognoscit: cum primam affirmavi propositionem, jam omnia cætera affirmavi, si in prima continentur; si nunc video quod verè continentur, vel principium contradictionis expugno, vel ea admittere necesse est: idem si est negativum: si dico: nullus homo, absque speciali Dei revelatione, certus esse potest de sua prædestinatione; jam negavi de me, dummodo sim homo, ergo si hoc affirmo et dico: ego sunt homo; vel in contradictionem incido, vel de me negare notitiam de propria prædestinatione cogor. Ecce formulæ.

A est B;	A non est B;
C est A; ergo	C est A; ergo
C est B;	C non est B.

158. Regula igitur generalis ad dignoscendam syllogismi legitimitatem hæc est: *Una ex præmissis contineat conclusionem, altera declaret conclusionem in ea contineri.* Illa præmissa, quæ conclusionem continet, vocatur *principium*: altera *assumptio* (1) v. g. *Pro omnibus omnino hominibus Jesuschristus passus est*, in ipsa jam ista, quæ est conclusio, continentur; *pro me passus est*; solum sufficit declarare, *me esse hominem*; quod quidem efficit altera; *sed ego sum homo*: hæc est *assumptio*, illa *principium*; semper tamen præ oculis habendus est sensus terminorum, ut fiat comparatio *eorundem extremorum cum eodem medio.*

159. At cum hæc regula nimis generalis sit, sequentes ex Aristotele ab omnibus Philosophis traduntur. Octo sunt, quatuor terminos respiciunt, cæteræ quatuor propositiones. Hisce versiculis continentur, qui memoria utique retineri debent, et iterum iterumque meditandi, ut quem-

(1) Cons. S. P. Aug. L. 2. Doct. Christ. cap. 33.

dam habitum eas accurate aplicandi animus acquirat: sunt etenim summæ utilitatis. Ecce regulæ.

- | | | | |
|----------------------------------|---|---|--|
| Quæ terminos
respiciunt. | } | 1 | Tum re, tum sensu, triplex modo terminus esto. |
| | | 2 | Latiùs hos quam præmissæ conclusio non vult. |
| | | 3 | Numquam contineat medium conclusio oportet. |
| | | 4 | Aut semel, aut iterum, medius generaliter esto. |
| Quæ respiciunt
propositiones. | } | 1 | Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem. |
| | | 2 | Utraque si præmissa neget nihil inde sequetur. |
| | | 3 | Pejorem semper sequitur conclusio partem. |
| | | 4 | Nihil sequitur geminis ex particularibus unquam. |

Cum hæc autem Lectio nobis sufficiens videatur, remittimus ad sequentem harum regularum explicationem; unum tantum animadvertam, has regulas, etsi syllogismo simplici directe applicentur, omnibus tamen, tum syllogismis compositis, tum cæteris argumentationum speciebus, applicari omnino debere, simul cum illis, quæ uniuscujusque sunt propriæ. D. q. d. e.

LECTIO 24.^o—DE SYLLOGISMO SIMPLICI.—EXPLICATIO
REGULARUM. DE SYLLOGISMI FIGURIS ET MODIS.

160. Syllogismus simplex, ut supra dictum est, ille est qui tribus simplicibus propositionibus constat: v. g. *Omnia sacramenta Jesus-Christus instituit: sed confirmatio est Sacramentum: ergo confirmationem Christus instituit.* Hæc facillima sunt, veniamus ad explicationem regularum.

1.^a *Tum re, tum sensu* etc. Hæc regula vix declaratione indiget post ea, quæ supra de ratiocinio dicta sunt. Si enim termini sunt plures quam tres, vel non fiet comparatio *duorum eorundem* extremorum cum *eodem medio*, vel non erit in conclusione id, quod ex ejusmodi comparatione deduci debuit. Ut autem hoc vitio syllogismus laboret, sufficit, ut quicumque terminus in qualibet propositione non eandem suppositionem habeat (Vid Lect. 10.^o)

v. g. *Genus humanum est idea universalis*
Adam fuit parens generis humani : ergo
Adam fuit parens ideæ universalis. Alia exempla
omissa facio.

2.^a *Regula vetat ne aliquod extremum in conclusione*
latius sumatur, quam sumptum fuerit in præmissis. Ratio
per se patet, etenim ex principiis syllogismi tantum sequitur,
extrema in ter se convenire, vel non convenire, ea
præcisè amplitudine et sensu quibus conveniunt, vel non
conveniunt objectivè cum termino medio; ergo si ipsis
in conclusione majorem amplitudinem tribuimus, hunc
excessum (ut ita dicam) cum comparatus non fuerit nec
affirmare, nec negare possumus: hinc vitiosus est, v. g.
hic syllogismus:

Omnis potestas civilis à Deo est: atqui

Potestas ecclesiastica non est civilis; ergo

Potestas ecclesiastica non est à Deo: etenim ly à
Deo in præmissis restrictum fuit ad potestatem civilem
per propositionem affirmativam, in conclusione vero *uni-*
versaliter negatur, cum sit prædicatum propositionis ne-
gativæ. Similiter hîc:

Omnes electi sunt homines:

Omnes electi salvantur; ergo

Omnes homines salvantur, cætera omitto.

3.^a *Medius terminus reperiri non debet in conclusione;*
et hoc per se patet; etenim in conclusione affirmari debet
identitas, vel discrepantia extremorum inter se, hoc utique
erat quæstio, non autem medii termini, quocum extrema
comparantur, hoc enim fit in præmissis, igitur medius
terminus in conclusione non potest habere locum, alioquin
nihil aliud esset conclusio nisi repetitio alicujus præmissæ.

Ecce peccatum: *Omnis leo est vorax: atqui*

Leo est animal; ergo

aliquod animal est Leo.

4.^a Quarta regula præscribit, ut *terminus medius saltem in una ex præmissis sumatur distributive*, et quidem distributione *completa*, nisi fuerit singularis, vel nisi extrema sint de ejus essentia, tunc enim universaliter re vera supponit. Ratio regulæ clarissima est, si enim universaliter non sumeretur ille terminus medius, posset in una præmissa comparari cum extremo secundum partem suæ extensionis, et in altera secundum alteram residuam partem, non igitur compararentur extrema *eodem medio*, et syllogismus haberet quatuor terminos contra 1.^{am} regulam: v. g.

Aliquis Christianus damnatur,

Aliquis Christianus est prædestinatus: ergo

Aliquis prædestinatus dannatur. Horribile dictu.

Item. *Omne animal terrestre fuit conditum die sexta, atqui*

Canis meus est animal terrestre; ergo

Canis meus fuit conditus die sexta.

Regulæ, quæ propositiones respiciunt, ita

1.^a et 2.^a Sunt plane evidentes, revoca in mentem ratiocinii principia. Si enim ambæ præmissæ sunt affirmantes, est quia bina extrema cum medio identica sunt, ergo, ex identitatis principio, inter se identica in conclusione affirmari debent.

Si vero utraque neget, nihil in quæstione proficimus; ignoratur utrum inter se convenient, necne, utrumque enim accidere potest. Rocolite superius dicta, n. 155.

Exempla superessent.

Sed observandum est, duas præmissas non posse dici formaliter negativas, si in alterutra propositionum particula negativa afficiat subjectum, vel attributum, non autem copulam ipsam; ut enim præmissa vere negativa sit, requiritur, ut disjungat medium terminum á majori, vel minori extremo. Hinc si dico: *qui non studet non erit doctus: atqui Titius non studet; ergo Titius non erit doctus*, legitimus est syllogismus: nam in minori particula non

cadit in solum attributum, minime vero in copulam, et medius terminus *qui non studet*; jungitur cum minori extremo *Titius*, si quidem *Titius* est ille, qui non studet; hæc igitur propositio quamvis videatur negativa, *sensum* habet proprie affirmativum. Omitto cætera.

3.^o *Pejorem semper sequitur* etc. id est, si una præmissarum est negans, conclusio debet esse negans, et si una sit particularis, conclusio debet esse particularis.

Pars 1.^a hujus regulæ per se evidens est: ubi enim una præmissarum est affirmans, et altera negans, pronuntia-tur unum extremum convenire, et alterum extremum non convenire cum medio termino; ergo separanda sunt in conclusione per negationem; ergo etc. vide. principium discrepantiæ. Lect. 21.)

Pars 2.^a non minus certa est; videlicet, conclusio debet esse particularis, si una præmissarum est particularis. Nam si conclusio universalis esset, vel affirmans foret, vel negans: atqui neutrum dici potest. 1.^o Non potest esse universalis affirmans: tunc enim utraque præmissa esset affirmans, ut patet ex prima parte hujus regulæ; ac proinde unicus esset in præmissis terminus universalis, subjectum nempe propositionis universalis: atqui tamen duo reperiri deberent termini universales in præmissis, videlicet, medius terminus, ut præscribit Regula 4.^a versante circa terminos, et illud extremum, quod universaliter sumeretur in conclusione tanquam subjectum propositionis universalis, uti vult Regula 2.^a circa eosdem terminos versans; ergo, etc. 2.^o Neque potest esse universalis negans: nam tunc duo extrema essent universalialia in conclusione; tres igitur esse deberent termini universales in præmissis, nimirum, medius terminus ex Regula 4.^a supra dicta, et duo extrema ex Regula 2.^a supra enuntiata. Atqui tres termini universales esse non possunt in duabus præmissis, quarum una est particularis, nam ex Regula 1.^a de iis, quæ agunt de propositionibus, una necessario esset

affirmans, ac proinde ejus attributum esset particulare; item subjectum propositionis particularis esset particulare, ergo duo tantum essent termini universales, scilicet, subjectum præmissæ universalis et attributum negantis; ergo, etc. Unde illegitimus est sequens syllogismus: *Omnis virtus est honesta: atqui aliqua ira est virtus; ergo omnis ira est honesta.*

4.^o *Nihil sequitur geminis, etc.*, id est, ex duabus præmissis particularibus nihil legitime concludi potest. Vel enim ambæ sunt affirmantes; vel ambæ negantes; vel altera affirmans, et altera negans. 1.^o Si ambæ sunt affirmantes, tunc omnes termini præmissarum sunt particulares, attributa quidem propter affirmationem utriusque; subjecta vero quoniam utraque est particularis; bis ergo medius terminus particulariter sumeretur, quod est contra regulam 4.^{am} terminorum. 2.^o Si ambæ sunt negantes, nihil erui potest, ut patet ex Regula 1.^a propositionum. 3.^o Si una est affirmans et altera negans, tunc ex Regula 3.^a propositionum conclusio deberet esse negans, ideoque ipsius attributum, scilicet, majus extremum universaliter sumeretur; duo igitur esse deberent termini universales impræmissis, nempe majus extremum ex Regula 2.^a terminorum, et medius terminus ex Regula 4.^a eorundem; atqui in duabus præmissis particularibus, quarum una est affirmans et altera negans, unicus terminus est universalis, attributum nempe propositionis negantis; ergo etc. Sic non valet iste syllogismus: *aliquis atheus fuit Philosophus; atqui aliquis Philosophus non fuit impius; ergo aliquis atheus non fuit impius.* Unde commune est dicere: *ex particulari nihil probatur.*

Si hæc bene intelligantur simul cum ea, quæ dicta sunt in Lectionibus 9.^a 10.^a et 18.^o, facile enodantur nonnullæ difficultates, seu veluti *anomalice*, quas aliqui syllogismi offerunt.

161. Nunc pauca insinuabimus de figuris et modis sy-

llogismorum, ne jejuni relinquamini circa materiam, cujus utilitatem nemo, qui logici nomen mereatur, ignorat, et quæ veluti *ratiocinii algebra* considerari potest. Quid enim nobis cum Lockio, et caterva sensistarum?...

Artificium syllogismi continetur, ut dictum est, in comparatione extremorum cum medio, ut eorum inter se identitas vel diversitas intelligatur; sed ex ejus natura non determinatur, quem locum in præmissis occupare debeat medius terminus, utrum subjecti, an prædicati: et ecce unde, oritur figura syllogismorum, est enim eorum figura: *apta ad concludendum dispositio medii termini cum extremis*.

Potest autem cum extremis quatuor modis apte ad concludendum disponi, unde quatuor enumerantur figuræ.

1.^a figura est cum medius terminus est *subjectum* præmissæ majoris et *prædicatum* minoris.

2.^a est cum medius terminus est *prædicatum* utriusque.

3.^a est cum idem terminus est utriusque *subjectum*.

4.^a denique, quæ nullum habet usum, Galenica nuncupata, quia à Galeno fuit proposita et acriter defensa, est cum idem terminus medius est *prædicatum* in majori, *subjectum* in minori; reducitur ad primam.

Omnes memoriæ jubandæ causa hoc continentur versiculo

Sub præ prima, sed altera bis præ: tertia bis sub. Omittitur quarta. Supersedemus ab exemplis, facillima enim sunt.

Unaquæque figura suas peculiare habet leges, his versibus comprehensas:

1.^a figura. *Sit minor affirmans, major vero generalis.*

2.^a fig. *Una negans esto, et major sit generalis.*

3.^a fig. *Sit minor affirmans, conclusio particularis* (1).

Rationes patent paulisper contemplanti, et aplicanti syllogismis regulas supra expositas, contra quarum unam vel aliam semper peccaret syllogismus nisi etiam has regulas servet. Nunc de modis.

(1) Cons. Salv. Tong. *Iint. Log.* L. 3. C. II. art. 1.

162. Ut conclusio recta sit terminorum dispositio opportuna, seu figura apta, non sufficit, sed insuper, ut ex syllogismorum regulis apparet, necesse est, ut ratio quoque habeatur *quantitatis* et *qualitatis* propositionum, unde diversarum figurarum modi exurgunt.

Est enim modus in syllogismo: *præmisarum ad conclusionem colligendam apta secundum quantitatem et qualitatem complicatio.*

Jam vero quantitas et qualitas propositionum exhibentur, ut supra dictum est, litteris A, E, I, O. Unaquæque autem semel secum ipsa accepta, et deinde cum cæteris trinis acceptis; juxta theoriam combinationum, sexdecim modis diversis combinari potest, et cum sint quatuor, habebimus sexdecim quater ductum sexaginta quatuor (1).

Ecce:

A.	<u>aaa</u> , aae, <u>aa</u> i, aao,	iaa, iae, <u>iai</u> , iao,	I
	aea, <u>ae</u> e, aei, <u>ae</u> o,	iea, iee, <u>iei</u> , <u>ieo</u> ,	
	aia, aie, aii, aio,	iaa, iie, iii, iio,	
	aoa, aoe, aoi, <u>ao</u> o,	ioa, ioe, ioi, ioo,	
E.	eaa, <u>eae</u> , eai, <u>eao</u> ,	oaa, oae, oai, <u>oao</u> ,	O
	eea, eee, eei, eeo,	oea, oee, oei, oeo,	
	eia, eie, eii, <u>eio</u> ,	oia, oie, oii, oio,	
	eo, eoe, eoi, eoo,	ooa, ooe, ooi, ooo,	

163. Inter has sexaginta quatuor diversas distributiones, *decem* sunt, quæ omnibus syllogismi regulis, supra

(1) Leibnitijs, *de art. combinat. probl.* 2. n. 15.

traditis, conformes sunt, ac rectam et legitiman semper conclusionem præbent, duobus lineis notabimus; ex illis vero *duobus*, quæ unam lineam habent, prima inutilis est, ut pote contenta in universali, altera vero habet in conclusione terminum latius quam in præmissis, ideo expungendæ simul cum reliquis quinquaginta duobus, quæ vel præmissis particularibus, aut negativis constant, vel non sequuntur deteriorem partem.

Igitur restant *decem*, quarum *quatuor* sunt affirmantes, sex negantes; unde, his ductis per quatuor figurâs, exurgunt *quadraginta* genera syllogismorum; at leges cujusque figuræ solum admittunt *novendecim*, expressos per hoc technicum *tetrasticon*.

(Barbara, Celarent, Darii, Ferio Barali *pton*.

(Celantes, Dabitis, Fapesmo, Friseso *moron*.

(Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,

(Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Patet, tetrasticon hoc nulla á se significatione pollere, et voces *factitias*, quibus conficitur, neque Latinas esse, neque Græcas, nec Arabes, neque ullius linguæ, sed tantum esse artificiosam syllabarum collectionem ad modum syllogisticum, quem intendimus referendum, instituta.

In qualibet ex his vocibus solæ *tres primæ vocales* sunt attendendæ, quæ præcisè tres propositiones indicant affirmativas, aut negativas, universales, vel particulares; cæteræ vero quæ in aliquibus supersunt, mensuræ gratia tantum apponuntur.

Sponte supersedemus ab exemplis afferendis, tum quia facillima sunt, tum etiam quia aliquid de imperfectorum syllogismorum reductione indicare volumus.

Animadvertendum itaque, quod ex his novendecim, *novem* priores ad primam figuram pertinent, ex quibus quatuor concludunt *directe*, quinque *indirecte*. Est enim *modus directus*, cum attributum majoris propositionis fit tantum conclusionis attributum: est *modus indirectus*,

cum attributum majoris fit conclusionis subjectum, mediante apta mutatione; quâ aliquando coarctatur; igitur *aaa*, *eae*, *aii*, *eio* concludunt *directe*: et *aai*, *eae*, *aii* *aeo*, *ieo* (1); *indirecte* usque ad *Frisesorom* inclusive.

Ad secundam figuram *quatuor* sequentes pertinent, usque ad *Baroco* inclusive, id est: *eae*, *aee*, *eio*, *aoa*: ad tertiam figuram reliqui *sex* pertinent, usque ad *Bocardo* inclusivè, *aai*, *aii*, *iai*, *eaö*, *eio*, *oao*. Reliqui autem quinque ad figuram quartam, seu Galenicam, pertinent. Qui tamen modi, adeo dure contorteque concludunt, ut negligi impune possint.

Nunc vero non solum litteræ vocales usurpantur ad construendos modos syllogismi, sed etiam consonæ indicant, ad quem modum primæ figuræ cæteri syllogismi imperfecti reduci possint; primæ enim consonæ indicant *modum*, sic v. g. *Cesare* reducitur ad *Celarent*; *Darapti*, vel *Datisti* ad *Darii* etc.: *S*. Indicat propositionem antecedentem esse convertendam *simpliciter*: *P*. convertendam *per accidens*: *M*. indicat, quod ubicumque inveniatur, præmissas esse *mutandas*: *C* in medio vocabuli posita, indicium est, syllogismum non posse reduci *directe*, sed solum *indirecte*.

Ut igitur syllogismus reducatur, quærendum primo, ad quam figuram pertineat, quod monstrabit mediæ termini collocatio; deinde ad quem modum, quod innotescet ex propositionum quantitate et qualitate. Sic inveniatur *vocabulum*, quo datus syllogismus representatur, et ex eo discemus, quæ agenda sint, ut *reductio* fiat.

Rem illustrabimus his duobus exemplis.

Corpus non cogitat:

Mens cogitat: ergo

Mens non est corpus.

(1) Hic modus, *ieo*, vel per conversionem reducitur ad *eio*, vel peccat contra 2.^m syllogismorum regulam, quæ terminos respicit.

Est secundæ figuræ in *Cesare*; reducitur igitur ad *Celarent* in prima figura, simplici conversione majoris, in hunc modum:

» *Quod cogitat non est corpus*;

» *Mens cogitat*: ergo

» *Mens non est corpus*.

Hic alter

Quidam scelesti sunt potentes;

Omnes scelesti sunt miserrimi; ergo

Quidam miserrimi sunt potentes.

Est syllogismus tertię figuræ in *Disamis*, reducendus igitur ad *Darii*; quod fiet convertendo simpliciter, ut indicat secunda consona *S*, majorem et consequens, et commutando præmissas, ut indicat *M*.

Hoc modo

Omnes scelesti sunt miserrimi,

Quidam potentes sunt scelesti: ergo

Quidam potentes sunt miserrimi.

Sed de his satis, nec nimis longa Lectio evadat.

LECTIO 25.*—DE SYLLOGISMIS COMPOSITIS; DE EORUM REGULIS, ET REDUCTIONE AD SIMPLICES.

164. Syllogismus compositus, vide (153), est qui una, vel utraque præmissa composita constat; attamen si propositio composita est *categorica*, tunc syllogismus nec peculiare nomen, nec præcepta propria habet, sed ut simplex regulatur, et si aliquando nonnullas difficultates offert, resolvi debet ejus propositio composita in simplices, quas continet, et deinde iterum sic resoluta formare syllogismum. Idem dicendum, si præmissam complexam habeat; verum enimvero si syllogismus habet aliquam propositionem *hypotheticam*, vocatur proprio nomine syllogismus *hypotheticus, conjunctus, seu compositus*, et

quamvis ad simplices aliquando reduci possit, habet tamen quædam peculiaria, et regulas proprias.

165. Syllogismus igitur *hypotheticus*, generice sumptus, potest definiri: *syllogismus, qui ex præmissa hypothetica conclusionem categoricam deducit*. In hujusmodi syllogismis propositio hypotetica semper *majoris* loco ponitur, ejus partes (una, vel plures, si habet,) *minoris* loco adsumentur, et quæ remanent *conclusionem* affirmativam, vel negativam constituunt; unde ea pars, quæ minoris loco ponitur, erit etiam *medius terminus*. Igitur cum propositionum hypotheticarum tres sint species, tres quoque sunt hypothetici syllogismi species, videlicet, *conditionalis, disjunctivus et conjunctivus*, de quibus breviter dicemus. Animadvertite vero conditionalem non adeo facilem captu esse, ut prima fronte apparet.

166. Syllogismus conditionalis, seu hypotheticus; ille est, *cujus major est propositio conditionalis*, id est, duas habet partes per particulam *si* conjunctas, ex quibus *conclusionem categoricam infert*; pars, quæ conditionem includit, solet vocari *antecedens*, altera, quæ continet conditionatum, vocatur *consequens*. Sed animadvertite, quod ita vocantur, non quia duo judicia contineant, ex quorum uno alterum inferatur; unicum est enim judicium, unica affirmatio, aut negatio; unica propositio vera, vel falsa; et ideo, vel tota negatur, vel tota conceditur, quia vel adest inter partes connexio et vera causalitas, vel non: sed ita vocantur, quia una posita, altera ponatur, vel una deficiente, altera deficiat necesse est (1). Hæc propositio

(1) Cons. S. P. Aug. Lib. 2 de *Doctr. Christ.* cap. 33 et 34. •Faciamus aliquem concessisse, si animal est cochlea, vocem habet; hoc concessio, cum probatum fuerit vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato, illud quod præcedit aufertur, concluditur non esse animal cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concessio falso, vera est conclusionis connexio. Id. *ibid* n. 51. •

conditionalis semper est formaliter, vel æquivalenter *affirmativa*, et attributum semper est *universale*.

Syllogismus conditionalis duplicem habet figuram, duasque regulas, quatuor que modos.

I.^a Prima regula est: *affirmato antecedenti in minori, affirmetur consequens in conclusione*; at non vice versa. Hæc per se patet, vel enim adest nexus inter utrumque, vel non; si non adest negatur propositio conditionalis: si vero adest, posita et concessa veritate conditionis, conditionali veritas constet necesse est. Contra hanc regulam est illa *fallacia*, quæ arguit ex veritate conditionali ad veritatem conditionis: nam potest conditionatum esse aliâ ex causâ, quod si hoc impossibile est, eo quod nulla aliâ ex causâ conditionatum existere possit, quam ex ea, quæ exprimitur, tunc non fallax, sed vera erit figura: v. gr.

Si in gratia Dei moritur aliquis, salvatur: in hac enim propositione idem arguitur ab antecedente ad consequens; idem vice versa: hoc modo: in *gratia* Dei moritur, ergo *salvatur*: Salvatur; ergo in gratia Dei mortuus est. Non ita iste:

Si Pompejus occidit Cæsarem, Cæsar mortuus est:
Sed Pompejus occidit Cæsarem: ergo Cæsar mortuus est.

Optime: At: Cæsar mortuus est; ergo Pompejus occidit Cæsarem? minime sequitur.

II.^a Altera regula et figura est: *Negato consequente in minori, negetur antecedens in conclusione*: est etiam evidens; nam si vera adest inter utrumque connexio, et si conditionatum non exstat, clarè patet hoc esse, quia conditionem abest, ergo merito negari debet. Contra hanc regulam est etiam una fallacia; videlicet, *cum à falsitate conditionis arguit ad falsitatem conditionati*; ratio est, quia aliâ ex causâ esse potest conditionatum; exceptio datur ut supra, id est, cum sunt reciproca, et nulla alia causa assignari potest, quam expressa in antecedente. v. gr.

Si estis discipuli Christi, vos invicem diligetis:

Sed vos invicem non diligetis (absit) ergo;

Discipuli Christi non estis.

Animadvertite, quod in prima figura, majoris qualitas non mutatur in minori, nec in conclusione, sed semper servatur. In secunda autem figura semper mutatur. Ecce exempla.

Si Deus existit, trinus in personis est.

1.^a *Atqui Deus existit; ergo*

Trinus in personis est.

2.^a *Si non credidit damnatus est;*

Non est damnatus; ergo

Credidit.

In primo nihil mutatur, in altero qualitas majoris mutatur.

167. Quandoque occurrunt syllogismi, in quibus omnes propositiones et ipsa conclusio conditionales sunt. Sed nullam difficultatem offerunt; solum attente considerari debet veritas præmissarum.

168. Syllogismus *disjunctivus* est species hypotheticorum, et est ille, *cujus propositio major est propositio disjunctiva*; (140.-2.^o)

Unam habet regulam generalem, tres figuras, tresque regulas particulares.

Regula generalis est. *Disjunctio sit completa*, ita ut nullum detur medium inter membra propositionis disjunctivæ, alioquin fieri potest, ut subjecto conveniat illud ipsum medium, quod datur inter membra disjunctionis: ut in illo Tullii dicentis: *Aut animus perit cum corpore, vel erit in æternum felix:*

Atqui non perit cum corpore; ergo

Erit animus in æternum felix (1).

(1) Valde dubia est hæc altera Ciceronis conclusio: « aut metuentis Carthaginenses oportet, aut eorum urbem diruamus. At metuere quidem non oportet. Restat igitur ut urbem diruamus ». De *inv. rhet.* c. 30.

I.^a figura et regula particularis est: si disjunctiva duas tantum habet partes, *negata una in minori, altera in conclusione affirmetur*, v. gr.

Aut Christus fallitur, aut mundus errat; sed

Christus non fallitur: ergo

Mundus errat.

II.^a est quod *si affirmatur una in minori, altera in conclusione negetur.*

Sed circa hac duas figuras et regulas animadvertite: in primâ argumentationem semper esse affirmativam; semper enim affirmatur in conclusione veritas illius partis, quæ deducitur; in secunda vero semper esse negativam, ratione opposita. Sedulo etiam animadvertite, disjunctivæ membra esse *omne illud, quod est ante, vel post disjunctionem.* His notatis, facile intelligetis unde proveniat hæc fallacia, quam aliqui, quia perperam intelligunt, insuperabilem difficultatem vident, cum nec floci quidem valeat. Ecce:

Vel es doctus, vel non es doctus:

Sed es doctus (negandum alium membrum integrum)

Ergo non non es doctus: id est, doctus est.

III.^a figura et regula est, cum habet disjunctiva plusquam duo membra; *tunc enim, si in minori aliquod affirmatur, cum sint ex veritate propositionis disjunctivæ incompatibilia, cætera omnia collective in conclusione negari debent.* Si vero *negatur unum in minori, cætera affirmari debent in conclusione, sed disjunctivè v. g.*

Quantitas A. vel est *major, vel minor, vel æqualis B;*

1.^o *Est æqualis; ergo nec major, nec minor.*

2.^o *Non est æqualis; ergo vel major vel minor.*

Non est major; ergo vel æqualis, vel minor, etc.

169. Syllogismus *conjunctivus, seu copulativus, de quo hic agimus, est ille, cujus major est propositio copulativa et negativa.* Hujus autem propositionis ea est natura, ut membra, quibus constat, simul vera esse nequeant. Hanc *unicam* sequitur regulam: *Affirmato quo-*

cumque membro in minori, reliqua negentur in conclusionem: v. g. Nemo potest Deo servire et mammonæ: sed Paulus Deo servit; ergo non servit mammonæ. Animadvertite: 1.º Minorem debere esse affirmativam; alioquin cum major sit negativa, duabus propositionibus negativis constaret syllogismus et nihil inde posset concludi. 2.º Conclusionem debere esse negativam; cum enim membra propositionis copulativæ ita sint inter se opposita, ut simul vera esse nequeant, affirmato uno, reliqua negari debent, *nisi sint reciproca*: igitur male arguitur ex negatione unius membri ad affirmationem alterius: v. g.

Petrus homicidio accusatus, sic se potest evidenter defendere.

Nemo potest esse simul Oveti (ubi supponimus homicidium patratum esse) *et Salmanticeæ; Sed ego Petrus hâc ipsa die et horâ, quâ patratum est homicidium, eram Salmanticeæ; Ergo non patravi tale homicidium.*

Injuste prorsus ac ridicule ejus accusator argueret: *Petrus tali die et hora non erat Salmanticeæ; Ergo erat Oveti.*

170. Reliqui syllogismi, qui aliqua propositione composita constant, jam supra dictum est, nihil difficultatis offerre. Dissolvantur igitur propositiones compositæ et ad normas syllogismorum simplicium exigantur. En *causalis*, qui una propositione causali constat; *quia Adamus peccavit mortuus est, peccavit autem, quia comedit de fructu ligni vetiti; ergo quia de fructu comedit mortuus est.*

Ecce *relativus*, qui una propositione relativa constat: *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (1).*

(1) 1. Cor. 15. v. 47 seqq.

171. Cum in propositione disjunctiva affirmatio unius partis est *conditio* logica negationis alterius, et vice versa, facile perspicitis, quomodo *syllogismus disjunctivus* ad *conditionalem* reducatur. v. gr.:

Aut est A, aut est B; idem est ac dicere: *Si est A, non est B*; ergo habebimus tot conditionales, quot possibiles combinationes. v. g. *Aut est A, aut est B, aut est C*. Novem propositiones conditionales continet, quia numerus conditionalium in quas, generatim disjunctiva potest converti, triplus est.

Conjunctivam etiam propositionem in duas conditionales resolvi posse, plane patet: v. g. *Non potest simul esse A. et esse B*: ergo *si est A. non est B: si est B. non est A.* etc.

Conditionalis vero facillime ad *simplicem* reducitur, dummodo subjectum conditionis idem sit ac subjectum conditionati. v. g.

Si mundus deceptor est, fidem non meretur: atqui *deceptor est*: ergo *fidem non meretur*. Ita reduci potest ad simplicem:

Nullus deceptor fidem meretur;

Sed mundus est deceptor; ergo.

Fidem mundus non meretur.

Sed quamvis non sit idem utriusque subjectum conditionis et conditionati, tamen aliqua via, semper converti in simplicem potest. Sed non vacat in his tantum tempus insumere.

172. *Syllogismus* potest esse *informis* et *formatus*: est *informis* cum retinemus quidem argumenti vim, sed minime solliciti sumus de terminorum et propositionum dispositione: dicimur tunc argumentari *extraforma*. Hæc argumentandi ratio communis est, tum Philosophis, tum Patribus, et eam præsertim invenietis in summis S. Thomæ. *Formatus*, et *arguere informa* est, cum servantur omnes leges supra traditæ.

173. Antequam huic lectioni finem ponamus, claritatis

gratia ejus doctrinam breviter sequentibus illustrabimus
exemplis

Syllogismus hypotheticus.	{	<i>Si Deus est justus, punitur impius;</i>	}	Modus ponens.
		<i>Deus autem est justus;</i>		
		<i>Ergo punitur impius.</i>		
Syllogismus disjunctivus.	{	<i>Si fuisset ex nobis, permansisset utique nobiscum;</i>	}	Modus tollens.
		<i>Nobiscum non permansit;</i>		
		<i>Ergo non erat ex nobis.</i>		
Syllogismus copulativus.	{	<i>Christus vel est major, vel æqualis, vel minor Patre;</i>	}	Modus Ponendo tollens.
		<i>Est autem æqualis Patri;</i>		
		<i>Ergo neque est major, neque est minor Patre.</i>		
Syllogismus disjunctivus.	{	<i>Christus, prout homo, vel est major, vel æqualis, vel minor Patre,</i>	}	Modus. Tollendo. Ponens.
		<i>Sed, ut homo, neque est æqualis, neque major Patre;</i>		
		<i>Ergo prout homo, Christus est minor Patre.</i>		
Syllogismus copulativus.	{	<i>Nemo potest simul spiritum Dei habere et mundi.</i>	}	Modus unicus. Ponendo. Tollens.
		<i>Religiosi spiritum Dei habent;</i>		
		<i>Ergo non habent spiritum mundi:</i>		

Si hunc ordinem invertire vultis omnia absurda evadunt.

De hac Lectione satis: si plura desideratis consulite
Cajet Sansev. Log. p. 1. vol. 2. c. 3.

LECTIO 26.^a—DE RELIQUIS ARGUMENTATIONUM SPECIEBUS,
SEU EXTRA FORMAM.

174. Rigorosæ syllogismi formæ, ejusque monotonus progressus in causa fuerunt, ut ipsa Philosophia, præsertim Oratoria, alias non syllogisticas formas adoptasset, quamvis tales in essentia sint; iisdem etenim regulis diriguntur ac syllogistica argumentatio, et in ipsam resolvuntur, quantumvis numero atque positione propositionum ab ipsa non parum distent; quod utique exemplo comprobabimus: argumentum est sequens. Epaminondas á iudicibus Thebanorum depositus, Ducis tamen vices contra dis-

positum gerens, Espartanos debellavit, patriamque ab ipsorum invasione salvavit. Accusatus itaque inobedientiæ, sese excusare pertentat; ut pote, si casus prævideretur, minime iudices deposuissent: accusator ejus autem ita jusetur, Epaminondæque rebellionem hoc modo probare conatur: est Cicero (1) en ejus argumentatio. « Si, iudices, » id, quod Epaminondas ait, legis scriptorem sensisse, » adscribat ad legem et addat exceptionem hanc, *extra* » *quam si quis reipublicæ causa exercitum non tradiderit,* » *patiemiini?* non opinor. Quod si vos metipsi, quod á vestra » religione et sapientia remotissimum est, istius honoris » causa hanc eandem exceptionem, injussu populi, ad legem » adscribi jubeatis; populus Thebanus patietur ne id » fieri? profecto non patietur. Quod ergo adscribi ad legem » nefas est, id sequi quasi adscriptum sit, rectum vobis » videatur? Novi vestram intelligentiam, non potest ita videri, iudices. Quod si litteris corrigi neque ab illo, neque » á vobis scriptoris voluntas potest; videte ne multum indignius sit, id re, et iudicio vestro mutari, quod ne » verbo quidem commutari potest.» Ecce nunc hanc argumentationem forma syllogistica propositam.

Epaminondam absolvere nefas est:

Ergo condemnare debetis. (N. ant.) *Prob.*

Epaminondam absolvere nefas est, si absolvendi non sit vobis potestas:

Atqui absolvendi Epaminondam non est vobis potestas:

Ergo absolvere nefas est (N. Mi. et prob.) *Prob.*

Absolvere Epaminondam non potestis, nisi iudicando juxta exceptionem legis scripto adhibitam:

Sed iudicandi juxta exceptionem legis scripto adhibitam, non est vobis potestas:

Ergo absolvendi Epaminondam non est vobis potestas (N. Mi.) *Prob.*

(1) De inv. rhet. c. 33.

Quibus non licet exceptionem legis scripto adhibere, certe nec licet juxta ejusmodi exceptionem judicare:

Sed vobis non licet exceptionem legis scripto adhibere:

Ergo vobis non licet juxta illam judicare. (N. Min.) *Prob.*

Exceptionem legis scripto adhibere non licet, quibus ne verbo quidem legem corrigere licet;

Sed vobis non licet, legem ne verbo quidem corrigere:

Ergo non licet vobis exceptionem legis scripto adhibere.

(N. Mi.) *Prob.*

Legem corrigere nec ipse populus Thebanus potest, nec patietur ab alio corrigi:

Sed quod populus Thebanus nec facere potest, nec fieri patietur, vobis non licet, qui constituti iudices ab ipso estis:

Ergo vobis non licet.

Ex his jam videre licebit, quod etsi modus syllogisticus adversarium arctè intra quæstionis limites contineat, et nervosè aggrediatur, ad intellectum tamen solum dirigitur, sed ut plurimum, præsertim in declamationibus oratoriis, necesse est etiam movere cor, animique affectiones, et admirationem.

175. Duobus modis argumentatio non syllogistica à syllogistica discrepare potest, scilicet, *excessu*, et *defectu* propositionum. Ex defectu est:

Enthymema, quod est syllogismus, cui aliqua præmissa deest, sive major, sive minor, eo quod facile subintelligatur, et ab adversario certo sit admittenda v. g.

Pauperes sunt homines;

Ergo sunt diligendi pauperes.

Hujusmodi argumentatio, tum in arte dialectica, tum in oratoria magni usus est, eo quod sit concisa, vividior et animi affectus rapido ictu, ut ita dicam, percellit. Facile in syllogismum resolvitur, ad quod videndum est, qui terminus sit in conclusione, qui non sit in præmissa; et itidem qui sit in præmissa, qui non sit in conclusione,

et his simul sumptis præmissam supplere; et ex extensione extremorum, qui sunt in conclusione, facile etiam notabitur, utrum major, vel minor sit omissa. In allato exemplo: *Pauperes sunt homines: ergo pauperes sunt diligendi:* terminus *diligendi* est in conclusione et non in præmissa: et terminus *homines* est in præmissa et non in conclusione: ergo his duobus terminis aliam præmissam formare debemus ad syllogismum construedum; v. g.

Pauperes sunt homines; homines sunt diligendi; ergo pauperes sunt diligendi: Inter terminum *pauperes* et *diligendi*: diligendi latius patet: ergo propositio major erat omissa.

Ecce igitur, quare dici solet; *Enthymema in ore esse syllogismum in mente,*

Aliquando unica propositio enthymema et syllogismum complectitur, quæ igitur vocatur *enthymematica*: v. g. *¡Mortalis, ne odium retineas immortale!; ¡Justus Deus ulciscetur!*

Cavete autem ne enthymema cum ratiocinio illativo confundatis.

Enthymema regulatur iisdem regulis ac syllogismus.

Argumentationis species, quæ *excessu* á syllogismo discrepant, sunt:

176. *Epicherema*: est syllogismus, *cujus alterutri, vel utrique præmissarum sua adjungitur probatio* (1); v. g.

Omnis scientia est utilis, quia intellectum perficit:

Atqui *Logica est scientia, quia certis principiis docet dignoscere verum;*

Ergo Logica est utilis.

Hic argumentandi modus est acutissimus, sed implexus; ideoque possunt præmissæ per partes et singillatim probari, seu demonstrari.

177. *Polysyllogismus* prosyllogismum et episyllogis-

(1) Cons. Cicer. De invent. rhet. L. l. c. 34.

mum continet; est *specificè Prosyllogismus*; cum adsumit conclusionem unius syllogismi pro præmissa alterius; quinque itaque propositionibus absolvitur: est autem *Episyllogismus* cum resumit ad probandam conclusionem præcedentis syllogismi, eam subnectendo immediato syllogismo, Hoc dicitur probare assertum.

En exempla:

Polysyllogismus	{	Quod es simplex non habet partes;	}	Prosyllogismus.
		Sed anima est simplex;		
		Ergo non habet partes;		
		<i>Sed quod non habet partes, est indivisibile;</i>		
		<i>Ergo anima est indivisibilis.</i>		
	{	Quod est simplex non habet partes;	}	Episyllogismus.
		Sed anima est simplex;		
		Ergo anima non habet partes.		
		<i>Quod sentit non habet partes;</i>		
		<i>Anima vero sentit;</i>		
}	<i>Ergo non habet partes.</i>	}	Episyllogismus.	

Est igitur *Episyllogismus*, si regreditur probando præmissas alicujus argumenti; et est *Prosillogismus*, si progreditur eruendo novas conclusiones. Iisdem regulis moderantur, ac syllogismus simplex.

178. *Dilemma*: est ratiocinium constans et *propositione disjunctiva*, quæ duo, vel plura membra incompatibilia continet, et *duobus, vel pluribus propositionibus conditionalibus*, quarum singularum *antecedens* est aliquod *disjunctionis* membrum; quod propterea adversarius concedere nequit, quin contra principia sua faciat. Vocabatur ab antiquis argumentum *cornutum*, quia ubicumque se volvat adstringitur adversarius. Communiter autem vocatur *Dilemma*, si constet duobus membris: *Trilemma*, si constet tribus membris: si quatuor habet, vocatur *Tetralemma*; *Polylemma*, si quinque, etc., à vocibus græcis quæ *duobus, tribus*; etc. *lateribus* constringens significant.

Hæc arguendi forma est vi excellens, et victoriosa, dummodo integra ex omni parte sit, quod quidem difficile admodum est; non igitur in controversia semper adhiberi potest.

En nunc exempla: 1. contra exceptivum:

Aut scis te nescire, aut nescis;

Si scis: ergo aliquid scis:

Si nescis; ergo temere asseris te nescire.

2. Illud Tertulliani in *Apolog. ad Traj.*

Vel nocentes sunt Christiani, vel innocentes:

Si nocentes, cur inquiri prohibes? (Plinio juv. prohib.)

Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?

179. Ut legitime concludat *Dilemma*, requiritur:

I. *Ut disjunctio sit completa*, id est, ut propositio disjunctiva nullum medium admittat, alioquin adversarius per hoc medium aufugiet.

II. *Ut quod infertur, necessario cum antecedente sit connexum*, secus merito negari posset.

III. *Ut non sit reciproca*, id est ut *retorqueri* non possit adversus eum à quo profertur, quod vocatur *antis-trephon*. Hinc pessime ratiocinatur ille, qui ad suadendum amico ne munus in republica accipiat, ita alloquitur: *vel officium tuum bene geres, vel male: si bene displicebis hominibus: si autem male displicebis Deo*. Amicus enim sic retorquet: *vel officium meum bene geram, vel male: si bene placebo Deo: si male autem placebo hominibus*.

180. *Sorites*, hoc est, argumentatio *acervalis* (1), est: *series propositionum, ita connexarum, ut attributum primæ fiat subjectum secundæ, attributum secundæ fiat subjectum tertiæ, et sic deinceps, donec tandem conclusio fiat, conjungendo subjectum primæ propositionis cum ultimæ prædicato*. v. gr.

(1) Cicer. l. 2. de *Divinat.*

Qui bene vivit, bene moritur:

Qui bene moritur, moritur in Dei gratia,

Qui in Dei gratia moritur, salvabitur:

Qui salvabitur, erit in æternum felix;

Ergo qui bene vivit, erit in æternum felix.

Ecce alium exemplum à S. P. Aug. adhibitum (1):
María unde? ex Adam: Adam unde? de terra. Si María de Adam, et Adam de terra, ergo et María de terra, Si autem María de terra, agnoscamus quod cantatur, VERITAS DE TERRA ORTA EST.

Tot syllogismos continet *sorites*, quot propositiones præmissas *una minus*; potest esse *progressivus*, vel *regressivus*; in primo casu omittuntur omnes propositiones *minores* syllogismorum, quos continet, excepta minori primi syllogismi, omittuntur omnes etiam conclusiones excepta ultima; subjectum præmissarum singularum, excepto subjecto primæ, est terminus medius syllogismorum, in quos resolvitur: si autem est *regressivus* omittuntur omnes præmissæ *maiores*, excepta prima, est indirectus et vocatur etiam *Goelenianus*, à Goelenio inventore. De directo, seu progressivo hæc teneto.

I. *Nulla præmissa sit dubia, aut falsa*; nam ex dubio, aut falso antecedente non potest legitimè sequi verum consequens.

II. *Inter præmissas affirmantes nulla negans subrepat*, nisi forte ultima, et tunc conclusio negans sit; *si sunt omnes negantes nihil sequitur*; *item si sunt particulares*, nisi forte prima; ratio utriusque patet ex 2.^a et 4.^a regula propositionum syllogismi (L. 23.) Cæterum in scholasticis concertationibus locum habere non debet *sorites*: si vero scriptis libris occurrat hujusmodi argumentatio, de cujus legitimitate dubitetur, resolvatur in simplices syllo-

(1) Serm. 189. al 35 de divers.

gismos, ut ejus veritas, aut falsitas patefiat: sit in exemplum:

SORITES.	RESOLUTIO.
1. ^a A est B;	B est C;
2. ^a B est C;	1.°) A est B;
3. ^a C est D;	Ergo A est C.
4. ^a D est X;	2.°) C est D;—
Ergo A est X.	A est C
	Ergo A est D.
	3.°) D est X;
	A est D.
	Ergo A est X.

Necesse non est animadvertere soritem posse esse tum categoricum, tum hypotheticum (1).

Enimvero de his satis: d. q. d. e.

LECTIO 27.^o—DE INDUCTIONE, ANALOGIA, HYPOTHESI,
EXEMPLO ET PARABOLA.

181. Duplici via, ut supra dictum est (Lect. 21) mens nostra procedere potest in veritatis investigatione; *deductiva*, scilicet, et *inductiva*; prima est, cum á generalibus descendit ad particularia; secunda est, cum á particulariibus ascendit ad universalialia; ut patet in scientiis præsertim physicis. Non parum differt inductio, seu argumentatio inductiva á syllogistica, seu deductiva; quamvis enim verum sit, objectum in se, seu ontologice consideratum

(1) Ad hanc speciem pertinet *Gradatio*, quâ ab aliquo principio deducimus conclusionem, et ab ista deducimus aliam, et sic deinceps, donec veniamus ad id, quod intendimus; ut Apost. ad Rom. 10—14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero, etc.*

idem esse, id est, idem esse totum ac partium totalitatem, tamen logice, seu prout est in intellectu, non idem utriusque objectum est, ergo differunt via inductiva et deductiva non solum ratione processûs et methodi investigandi verum, sed etiam ratione logici objecti, et ratione certitudinis ex ipsis partæ. Sola itaque distinctione logica partium totius procedit mens à parte ad partium totalitatem (1).

182. Est igitur *inductio* (omissis aliis observationibus, quæ circa ipsam emitti possunt) *argumentatio, in qua concluditur de tota specie, quod affirmatur, vel negatur de singulis ejus individuis; et de toto genere, quod de speciebus sub ipso contentis dictum est* (2). Communiter in hac argumentationis specie præcedit experientia, seu cognitio sperimentalis ope sensuum comparata; quæ si ultrò sese offert vocatur *observatio*, si autem mediante industria nostra iterantur *phænomena*, vocatur *experimentum*.

183. Potest esse *inductio completa, vel incompleta*:

1.º Est completa cum de toto universali (*specie, seu genere*) concluditur id, quod de *omnibus* inferioribus ejus singillatim dictum est: tunc inductio est argumentatio invicta et per se evidens.

2.º Est incompleta inductio, cum concludimus de universali subjecto id, quod de *multis* inferioribus ejus singillatim dictum est.

Exempla 1.º *visus* aliquando est nobis erroris occasio, *auditus* item et *tactus*, necnon *gustus*, et *odoratus*; ergo *omnes sensus* sunt nobis aliquando erroris occasio; est inductio completa.

2.º *Hoc corpus* sibi demissum stare in aëre non potest,

(1) Cons. S. Thom. L. 1. Post. lect. 3. Alb. Mag. *Top.* l. 5. tract. 4. c. 6.

(2) Cons. S. P. Aug. L. 1. de Adult. Conjug. Capp. 14. et seqq.

illud idem, aliud idem, etc.; ergo *omnia corpora* sibi demissa in aëre stare non valent: est incompleta.

Animadvertite, quod si agitur de proprietatibus essentialibus, seu ab essentia utcumque dimanantibus, argumentatio inductiva, quamvis incompleta, est *invicta et errefragabilis*: si autem agitur de contingentibus, et præsertim de liberis hominum moribus *probabilis* tantum est, et solum *ut plurimum ita esse* concludi potest; nisi agatur de hominum multitudine et talibus in circumstantiis et adjunctis, ut impossibile contrarium accidat: in physicis certitudo physica progignit inductio. Nititur conclusio in physicis et moralibus illa lege, seu *modo constanti et uniformi, quem agens in agendo servat*: si est *agens physicum, vocatur lex physica*; si agens est liberum, vocatur *lex moralis*.

Postremo, etsi inductio multum à syllogismo differat, tamen aliquando, non *ratione materiæ*, sed *ratione formæ*, ad ipsum aliquatenus reduci potest. Nunquam confundi debet *inductio*, ut argumentatio, cum illa animi facultate, quâ, percipiendo illud, in quo individua identificantur, præscindimus differentias, et illud, in quo conveniunt, in unum universale colligimus.

184. Sequitur, ut aliquid de Analogia innuamus, prout argumentationis species aliquantulum est. *Analogia* idem est ac *proportio*, est enim *identitas rationum, quas duo habent ad alia duo*, v. g. 8: 5:: 24: 15; non autem in hoc stricto et mathematico sensu eam accipimus; sed ut est veluti quædam inductio incompleta, hac sola differentia, quod inductio progreditur à *partibus ad totum*, analogia vero à *parte ad similem partem*; ut cum invenimus causam unius phænomenon, alteri simili eandem causam assignamus: est igitur Analogia: *argumentatio, per quam ab una proportione nobis comperta, aliam proportionem non compertam inferimus*: v. g. videns brutum cum homine quoad plurâ convenire in actibus ac

motibus ad quorundam objectorum præsentiam, concludo bruta convenire nobiscum, etiam quoad sensationes ab ejusmodi objectis excitatas.

185. Hujuscemodi argumentatione passim utimur, ejusque ope cognitiones pene innumeras adipiscimur; ut patet in Eloquentia, Poësi, et omnibus artibus, quæ imitatione nituntur; prima semina physicorum systematum, ac celeberrima inventa nostræ ætatis ipsi debentur, sicut etiam scientiarum sperimentalium progressus, ut in Astronomia, Medicina, Politica, Critica, Philologia etc.

186. Cavete tamen, ne in ejus usu in oppositas, et extremas vias ingrediamini: hæc sunt:

1. Ex una parte *contemptus*, quo vitio laborant homines angustæ mentis, qui naturæ harmonium, et proportionum convenientiam non sentiunt. Ex alia vero opposita parte *nimia aestimatio*, quâ quis analogiæ vim, ac valorem pluris facit, qua par est, ac contrarias rationes illi posthabet: ut accidit Michaëli Montagne in suis deliramentis de statura, proportionem etc., planeticularum.

2. Ex una parte *nimia coarctatio*, ut si quis animam sentientem brutis denegaret, eo quod bruta cum homine non undequaque convenient, ut accidit Cartesio. Ex alia vero *nimia extensio*; ut si quis brutis intelligentiam tribueret, eo quod opera mirabilia ex instinctu, Deo gubernante, faciant, ut putarunt antiqui philosophi Empedocles, scilicet, Democritus, Anaxagoras, Pythagoras, Plutarcus, Celsus, etc. et his temporibus Lockius, Condillachius et turba sensistarum. Cæterum sedulo notate, *Analogiam*, ex se et sine adminiculo aliarum scientiarum, probabilitatem tantum gignere valere.

187. Cum non semper datum sit humanæ menti videre cum certitudine proprias, verasque phænomenorum causas (1), et aliunde vehemens, naturale, invincibileque

(1) Cons. S. Th. 1. p. q. 32 á 1. ad 2.



desiderium sentiat verum inveniendi, et causam rationemque talis phænomenon assignandi; hinc est quod ad varias *hypothesés illico* accurrat, ut sibi satisfaciatur. Dixi *illico accurrat*, et forsitan dicere debuissen *nimis inconsideratè*, ob vanam sciendi cupidinem, et pigritiam, quâ laborem recusat, non raro maxime ob præjudicia, passionumque æstus. Non abnuimus hypothesium utilitatem, ut inconsideratè facit Thomas Reiddius, et Condillachius, é contra cum Scholasticis, Leibnizio, Newtonio et Gallileo agnoscimus earum valorem, et aliquando necessitatem; sed scimus etiam, in earum usu non paucam sobrietatem adhibendam esse: qui aliter sentiant, considerent vel paulisper, quid circa hoc, acciderit ipso Rosminio in suo systemate ontologico condendo, et Cartesio, et Condillachio, et de Cabino etc. Definiamus jam: Hypothesis, seu Suppositio, *est propositio, cujus veritas nondum demonstrata est, quæ tamen assumitur tanquam vera, quia aliqua facta commode explicat*: Quidam homo celebris in civitate ob vitæ licentiam, inopinato in via mortuus reperitur, ignoratur causa; quot hypothesés! Inimicus ejus *talis*, vel *talis* vitam ei arripuit; ratio, quia rixati fuerunt nudiustertius: non ita, ait alter, sed ebrius cecidit, et currus quadrigalis ipsum ingredi fecit viam omnis carnis etc., etc.; si paulisper attendimus centenas hypothesés audiemus.

188. Nunquam hypothesis certitudinem gignit, sed tantum quamdam probabilitatem; donec iteratis experimentis, ubi possibile sit, vel ab aliquo *principio* evidenter proveatur: et tunc hypothesis convertitur in *thesim*; ut accidit frequenter in *Physica, Chimia et Astronomia*. Nam, ex eo quod aliquid possit esse, non sequitur absolute esse (1).

(1) Cons. Jacobum de Bye, *Oratio universam hypothesium philosoph. Theoriam exhibens*, part. 2.

Circa hypotheses has teneto regulas.

I.^a *Facta, quorum causa perquiritur, bene noscantur.*

II.^a *Ut sit possibilis illa causa, quæ assignatur in illo ipso ordine et natura, de quibus est factum: in ordine physico, si naturæ phænomena explicare intendimus; in ordine morali, si agitur de quibusdam factis á liberis agentibus; et in ordine logico, seu hermeneutico, si quorundam verborum sensus investigatur.*

Sed animadvertite, ex eo quod quædam facta sint impossibilia in aliquo ordine, non sequitur esse in alio: patet in veris miraculis.

III.^a *Ut hypothesis, et quæcumque ex ea deducuntur nulli, sive observationi, sive experimento certo, repugnet. Ratio in promptu est.*

IV.^a *Ut omnia facta, ad quæ explicanda assumitur, commode explicet, aut saltem plura ex iis explicet, et cæteris minime opponatur. Experientia vos cætera docebit.*

189. *Exemplum est argumentatio, qua ab una re gesta ad aliam similem faciendam suademus: difert á similitudine in eo, quod similitudo arguit de uno ordine ad aliud propter quamdam analogiam, ut cum á conditionibus, quæ requiruntur in optimo navium navarcho, ad condiciones reipublicæ administratoris designandas transimus. Exemplum habemus in illo Apostoli (1), quo probat, Ministris Ecclesiæ deberi stipendia: ait: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* Hæc argumentandi forma non est proprie deductiva, sed inductiva, probabilitatemque (2) tantum gignere potest. Induit etiam formam enthymematicam; atque aliquando etiam syllogisticam, si addatur propositio ma-*

(1) 1.^a Corint. 9—7 seqq.

(2) Loquimur de argumentandi forma, non de valore adducti textus, qui de fide est.

jur: quæ erit: *De rebus similibus similia affirmari, vel negari possunt.*

Dicitur etiam argumentum *à pari*; atque si paritas et similitudo sunt perfectæ, vim probandi habent, sin autem secus nihil valent.

Dicitur *à contrario*, cum nititur in factorum oppositione, concludensque de uno contrario contrarium consequens.

Dicitur *à fortiori*, cum strictiore nititur relatione consequens deductum inter et legem, seu principium, à quo deducitur, quam quæ viget inter eundem principium et factum, quod antea deductum fuit. En exempla:

A pari..... { *Si movile A duabus motus quantitibus percurrit spatium B horis duabus: Igitur; movile M, una motus quantitate, eundem spatium B percurret horis quatuor.*

A contrario... { *Otium et desidies omnium sunt vitiorum origo; Igitur labor, et occupatio eorum antidotum sunt. Intellectualia delectamenta virtutis oblectamentis inferiora sunt;*

A fortiori.... { *Ergo necessario multum inferiores erunt sensuum voluptatis fallaces blanditiæ.*

190. Sunt etiam alia argumenta, quæ dicuntur *à simili*, *à verosimili*, *à sensu contrario*, *ab oppositis*, *à majori ad minus*, sed ut patet ad dicta reducuntur: De argumentis *ad hominem*, seu *contra producentem*, *ad verecundiam* etc. infra.

191. *Parabola*, seu *apologus*, est *narratio alicujus eventus, seu rei possibilis, quæ supponitur accidisse, sed est ficta, ut ex tali narratione aliquæ instructiones et morum regulæ alegorice educantur.* Est vox ex græco *parabole*, à radice *parabollein*, comparare, conferre. Potest dici lato sensu argumentatio, quatenus assumitur ad probandum per similitudinem, et comparisonem vel alicu-

jus malitiam, ut patet ex Propheta Natham ad Davidem sub similitudine divitis et ovis (1); vel innocentiae exitum; ut patet ex Lazaro mendico et divite avaro (2); vel ad redarguendos malos mores; ut patet ex parabolis Domini N. Jesu adversus Judæos: vel Dei misericordiam; ut patet in parabola de Filio prodigo (3). Aliquando Parabola significat contemptum: Jerem. 24.—9.; significat etiam ipsas sapientis sententias, seu *gnomas*; sententiæ Salomonis, sermone Hebræo *misle* vel *mischlé* à radice *mascal*, parabolæ vocantur; significat etiam sermonem obscurum et ænigmaticum etc.

Sed de his satis, ne Lectio nimis protrahatur. D. q. d. e. Valete.

LECTIO 28.^a—DE SCIENTIFICA CONCERTATIONE, DEQUE EJUS SPECIEBUS, ET DE SYLLOGISTICA DISPUTATIONIS FORMA.

192. Cum in præcedentibus Lectionibus aliqua delibaverimus de legibus, quibus mens communiter regitur, tum cum veritatem inquirat, tum cum eam suadet, aut defendit; sequitur, ut breviter pauca innuamus de modo eas utendi in scientifica concertatione, deque earum utilitate et valore, necnon de vitiis, quæ irrepere in ipsa possunt. De primis nunc, de vitiis Lectione sequenti.

193. Disputare dicimur, non quando nobis metipsis veritatem inquirentes taciti ratiocinamur, sed quando cum alio quopiam conferimus quod cogitamus, et ratiocinatione nostra aliquid illi suadere contendimus. Est itaque disputatio: *Argumentatio unius ad alterum, alicujus propositi*

(1) 2. Reg. 12—2—3.

(2) Luc. 16. Nonnulli Expositores opinantur Lazarum et divitem revera exitisse: alii dubitant de eorum existentia; *vid.* Cornel. A. Lap. in hunc. loc.

(3) Luc. 15.

ostendendi gratia. Ex quadruplici fine, quem nobis in hujuscemodi disputatione proponere possumus, quadruplex disputationis species oritur.

I.^a *Apodictica* est, seu probans, cujus finis est, ut alicujus propositionis veritatem confirmet, ac suadeat. Unum hic monemus ac impensius commendamus; scilicet, ut antequam propositionem, seu thesim defendendam proponamus, iterum iterumque eam contemplemur, perscrutemur, ejus varios sensus distinguamus, et limites, intra quos assertio continetur, stabiliamus, præjudicia deponamus; et non *victoriam*, sed humili corde, animoque sincero veritatem quæramus; nunquam a quæstione declinare, multoque minus verbis duris, aut minus sapientis dignis miserime ad *personalitates* descendere debemus.

II.^a *Elenctica* est, seu confutans, cujus finis est, demonstrare falsitatem alicujus asserti, quod fit disjiciendo rationes, quibus apparenter nititur, vel eruendo absurda, quæ continet, vel demonstrando veritatem contradictoriæ ejus. Requiritur summopere, et cedit in jus veritatis, fidelitas in adducendo arversarii argumenta; et maxime laudabilis est illa serenitas, et tranquillitas propria ejus, qui recto fine veritatem tuetur.

III.^a *Apologetica* est, seu defendens, constat ex duobus præcedentibus, ex una enim parte veritatem declarat et confirmat, ex alia vero impugnatoris argumenta ad trutinam revocat, eorum vitia aperit, et pondus elevat; si inter duos, vel plures instituitur ea est, quæ proprio nomine *Concertatio scientifica* appellatur, de qua infra.

IV.^a *Sophistica* est, seu litigiosa est ea, quæ hunc solum finem sibi proponit, simulatæ sapientæ gloriam aucupandi: De hac, quæ hodie nimis frequens est inferius agemus.

194. Jam vero, tam in refutando, tam in defendendo variis modis argumenta adhiberi possunt.

1.^o *Directe*; cum independenter ab alio medio, causâ

et ratione proxima et immediata, aut propriis notis subjecti, vel prædicati propositionem tuemur, aut impugnamus.

2.° *Indirecte*, seu ad absurdum, cum demonstramus propositionem contradictoriam illius, quam defendimus, esse absurdam, aut falsam; unde vides demonstrationem indirectam, sine directa non dari.

3.° *Argumentum negativum* est; cum nullum pro nostra sententia probanda medium adhibemus, at negamus contradictoriam pro se rationem ullam habere; hoc argumentum aliquando aliquid valet, frequenter nihil.

4.° *Ad hominem*; cum ad nostram sententiam probandam, assumimus principia, aut aliquam propositionem ab ipso adversario admissam, ita Lutherum Lutheri refutatur etc.

5.° *Argumentum in adversarium retorquere*; est cum ipsum adversarium constringimus ad solvendas difficultates, quas contra nos adducit.

6.° *Inversio argumenti*; cum ex ipso medio, quod adversarius ad arguendum assumpsit, thesim nostram, quam ipse impugnat, colligimus: ut illa fecit celebris Chananæa cum Jesu Christo (1)

7.° *Per distractionem*; cum prætermissa responsione, simili argumento adversarium premimus (2).

8.° *Ad ignorantiam*; cum adversarium lacessimus ad nostra solvenda argumenta, aut ad proferenda meliora; nihil per se probat.

9.° *Ad verecundiam* est; cum adversarium collocamus in oppositione cum sententia Auctorum magni ponderis; ut stultus et arrogans traducatur; per se nihil probat, nisi vanitatem illius, qui proponit.

10.° Est et alium, quo utuntur frequenter loquaces et

(1) Math. 15.—25—29.

(2) Math. 21.—24—25.

veritatis inimici, homines levissimi, et fallacis auræ aucupes, vocatur *ad Invidiam*, quo adversarium risui et odio exponitur; usitatus ab incredulis adversus Christianam Religionem, et ejus Ministros sacros.

195. Nunc autem forma, sub qua adhiberi possunt, triplex est; *communis*, videlicet, *socratica* et *sylogistica*. Quæcumque vero adhibeatur semper et sedulo cavendum est ab illa fastuosa, et inani agendi ratione, quâ communiter ignorantes nimio amore proprio inflati, gloriam vanam et ostentationem potius quærent, quam sinceram, solidamque scientiam, abutentes hoc tam aptissimo medio (*concertatio scientifica*), quo, si recte adhibeatur, ingenium fit subtilius, reflexio celerior, intelligentia promptior, industriaque magis magisque oculata: si igitur ob nostram calamitatem ad aliquam descenderimus disputationem cum aliquo ex tot arrogantium, sciorumque simulatæ scientiæ, tacere præstat, quamvis propositiones audiantur, quæ convelli optime possint. Jam

I. *Communis* est, quæ liberum sequitur disserendi modum, quemadmodum in communi sermocinatione, congressuque hominum, et in quotidianis colloquiis fieri assolet.

II. *Socratica* est, quæ interrogationibus artificiose excogitatis, et apte sibi succedentibus adversarium, quasi consulens, expugnat, præ ipsius oculis ponens ejus contradictiones et absurda: á Socrate nomen accepit, quia ita debellabat ipse illam sophistarum græcorum turbam suæ ætatis.

Exempla habes in Evangelio: Dominus N. enim pluries ita refutabat superbos Judæos, vanosque Scribas, et Phariseos.

III. *Sylogistica*, quæ etiam *scholastica*, est, quæ argumentationem omnem severa syllogismi, aut enthymematis formâ perpetuo constringit: quin tamen excludat, ubi opus sit, prævias interrogationes, ad claritatem quæs-

tioni affundendam, viamque aperiendam et limites stabilendos, nec inutiliter, et cum veritatis detrimento extra quæstionem divagetur, introducta fuit á philosophis mediæ ævi, atque in scholis constanter, magno scientiæ profectu, usurpata est, adhuc usurpatur et usurpari debet; quidquid blaterent Lutherus, ejusque asseclæ sensistæ, omnisque incredulorum turba, qui mentem suam á terræ pulvere et luto elevare nesciunt. Consulite auctores theologos, qui communiter in suis operibus aliquas dedicant paginas ad defendendam methodum scholasticam, inter quos Johan. á S. Tho., Berti, L' Herminier, Ægidium, Billuart, etc. etc. et ipsum Cousin, *Hist. phil. Lect.* 6, Romagnosi etc. Non negamus fuisse quosdam scholasticos, ad tale munus minime vocatos, qui de pluribus frivolis argumentis per vanas, et invalidas ratiunculas egerint, deque illis decertarint tamquam de rebus gravissimis, atque pertinaces lites habuerint. Hæc autem non methodi scholasticæ, sed paucorum scholasticorum vitia sunt; immerito igitur post Lutherum, et Calvinianos plurimi alii adversus Scholasticorum methodum insurgunt. Cons. Melch. Canum de Locis l. 8. c. 1.

Methodus dialogorum, quæ re ipsa parum, vel fere nihil á methodo scholastica differt, usitata fuit á Socrate, Platone, et SS. Patribus. Cons. S. Hieronymum (1) S. P. August. (2), S. Basil (3) etc.

196. Nunc autem circa ejus usum hæc pauca accipite, cætera Magister, auctores et experientia vos docebit.

1.° Qui thesim (4) defendendam proponit, (*sustentator*

(1) Dial. adv. Lucifer. et Pelag.

(2) Lib. 1. cont. Cresc. Donat. C. 16. et l. cont. Acad.

(3) Epist. 38 á 43.

(4) Ante omnia meminisse oportet, ne propositio ingenii vires superet: *sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam viribus, et versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humerit.* Horatius...

audit), humiliter et sine arrogantia, animadvertat, si opus fuerit, ejus historiam, id est, qui, quando, qua occasione eam impugnarunt, et adducat breviter præcipua eorum argumenta; deinde humiliter, sed magnanimiter et nervose adducat principia et rationes, quibus probatur, et demonstratur. Si thesis est theologica, primo adducat Sacram Scripturam, deinde SS. Patres, qui illa loca exposuerunt, deinde theologicas rationes, deinde Historiam, Philologiam, Philosophiam etc., postremo concludat cum aliqua, si adest, definitione Pontificia, aut Conciliari. Si est philosophica, aut alterius cujuscumque scientiæ, adducat illas rationes et principia usitata, et quæ ipsi meditatio, comparatio, etc. etc. suggerat, validiora *in principio*, et *in fine*; adducat explanationes, si opus fuerit, et determinet sensum verborum (1).

2.º Audiatur maxime attente adversarii argumenta; repetat quam fidelissime, nihil corrigens, nec animadvertens, nisi forte defectus grammaticales; regrediatur deinde ad argumenti initium, et tunc de toto argumento, et de singulis partibus judicet. Si in argumento *consequentia desideratur*, omittat judicare de præmissis, et consequentiam neget.

Si vero argumenti recta sit forma, judicet de singulis propositionibus; *concedat* veram, *neget* falsam simpliciter, nec addat rationem negationis; onus enim probandi incumbit adversario.

Si aliqua propositio non est ad *rem*, *transeat* dicitur, id est, *transmitto*, vel *permitto*; assumit, quæ sunt ad rem, et ita *divagationis* occasio tollitur.

Si aliqua propositio, aut terminus, est ambiguus, *distingui* debet; sustentator *concedat* sensum verum, *neget* falsum; si adhuc duplicem sensum admittat membrum concessum, *subdistinguat* etc.

(1) Consul. S. P. Aug. Tract. 19 in Johan.

Si adducit adversarius aliquod testimonium. S. Scripturæ, aut SS. PP., videat an utique fideliter adducat; si non est ita, *negatur* absolute; sin autem testimonium est verum ut adducitur, summa veneratione et reverentia *admittat* testimonium, et juxta sacros Expositores et Theologos *distinguat* sensum, concedens verum, negans falsum: multa cum veneratione, honore, et reverentia id fieri debet, multoque magis cum ab aliquo Patre recedendum est, nam aliquando, *non ut Patres*, sed ut Theologi, aut Philosophi ratiocinantur, et tunc ab ipsorum rationibus impune recedere possumus.

Ambiguitas potest cadere tum in extremis, tum in termino medio; si cadit in termino medio, cum hic sit in utraque præmissa, utraque distingui debet, sed diversimode, nam major distinguitur concedendo sensum verum, negando falsum absolute: attamen distinctio minoris cadit in distinctionem majoris *contradistinguendo*; v. g. Hoc argumentum:

Quæcumque idea exhibet aliquid, quod dicitur de multis, est universalis.

Sed idea collectiva exhibet aliquid, quod dicitur de multis: Ergo idea collectiva est universalis.

In hunc modum distinguere debes.

Dist maj.; quæcumque idea exhibet aliquid, quod dicitur de multis *distributive*, est idea universalis: *conc. maj.*; quæcumque idea exhibet aliquid, quod dicitur de multis *simul sumptis*; *Neg. maj.*

Sed idea collectiva exhibet aliquid, quod dicitur de multis:

Contradistinguo min.; exhibet aliquid, quod dicitur de multis *simul sumptis*; *conc. min.* Quod dicitur de multis *distributive*; *Neg. min.*

Ergo etc.; nego consequentiam.

Si vero ambiguitas hæret alteri extremorum, distincta præmissa ubi invenitur, eodem modo distinguenda erit conclusio. Consequentia nunquam distinguitur.

Eadem teneto de subdistinctione.

Si aliqua propositio affirmat, vel negat aliquid de subjecto, quod nunquam fuit, nec extitit, vel cujus esse est impossibile, tunc negatur *suppositum*: v. g. *Deus cum esse cæpit, fuit infinitus: Centauri sunt horribiles: Circulus quadratus est maximum miraculorum*: in iis omnibus negatur *suppositum*.

197. Qui thesim impugnat probe debet scire determinatum quæstionis statum, nec extra quæstionem miserri-
mè et turpiter, andabatarum more, in incertum ludat; argumentum igitur ita proponat, ut conclusio ejus sit semper propositæ thesis contradictoria, vel ad minus contraria; in progressu argumenti semper educat in conclusionem propositionem illam, seu partem á sustentante negatam. Minime abuti debet auctoritate S. Scripturæ, aut SS. PP. Nunquam terminum medium mutet, nisi sustentans ignoranter ipsi occasionem, aut necessitatem præbeat. In hunc vitium facile dilabimur, quando auctoritatibus arguimus Si sustentans negat aliquam propositionem disjunctivam, habet arguens jus petendi ab eo, ut assignet membrum medium: si distinguit, habet jus petendi iterum distinctionem, et forsitan explicationem, si videt non esse admodum claram.

In restaurando argumento cum distinguitur maxime elucet arguentis *perspicuitas*. Triplici modo fieri potest:

1.º Impugnando ipsam distinctionem, id est, negando allatæ distinctioni locum esse: v. g. ad distinctionem 1.º^{am} supra positam: Atqui *sive distributive, sive de simul sumptis accipiatur est idea universalis*; ergo *ruit*, vel *ad nihil*, vel *nulla distinctio*. Cum hæc resumptio *negatur*, vel cum probatur *minor, subsumpta* probari dicitur.

2.º Impugnando distinctionis applicationem: videlicet, ostendendo partem negatam esse veram.

3.º Probando consequentiam; id fit, ostendendo conclusionem fluere ex ea parte, quam adversarius concessit.

Caveat oppugnator á fastuositate, quamvis in ipso minus peccatum foret, quam in sustentate, caveat á temeritate, á levitate, pertinacia et molestia, sed simul ac soluta fuerit ejus difficultas, vel instauret denuo *intra formam*; vel *in materia*, ut dicitur, iterum proponat; tuncque propugnator brevissime, atque *opportune* adversarii objectiones resolvat: dico *opportune*, non enim probationes thesis loco responsionum afferri debent, sed aptæ rationes, quibus oppositæ difficultates prorsus extenuentur. Potest proponere duplex medium, ac relicto uno, alterum persequi, et cum ventum fuerit ad solutionem, resumere relictum.

Satis de his; experientia et exercitatio magis vos docebunt, quam omnes regulæ D. q. d. e.

LECTIO 29.^a—DE FALLACIIS.

198. Traditis his, quæ ad rectam argumentationem pertinent, ut veritatem assequamur facilius, restat ut aliquid breviter innuamus de vitiis, quibus malitia hominum, vel ignorantia nostra aliquando implicamur: quamvis enim omnia nuper datis regulis, simul cum explanationibus de terminorum usu, quæ á principio dictæ sunt, detegi possint, non abs re erit summam attingere, de sophismatibus et fallaciis, ut in scholis mos est.

Hæc vitia vocari solent *sophismata*, *fallaciæ*, et *paralogysmi*: tamen si presse accipiantur distingui debent.

Paralogysmum admittit, qui bona fide intellectûs debilitate errat, et ipse, qui proponit, fallitur, atque decipitur.

Committit *fallaciam* ille, qui pravo animo decipere, et fallere nititur ratiociniis peccantibus *in materiam*, id est, constantibus propositionibus falsis.

Denique committit *sophisma* ille, qui itidem pravo animo nos fallere et decipere nititur ratiociniis peccantibus *in formam*. Ille decipere nititur ratiociniis *falsis*, hic *vtiosis*. Unus et alter sunt improbi.

Communes indicabimus fontes, ut sint nobis in signum, relictis puerilibus et nugacibus.

Itaque illa argumentatio est sophistica (sub hoc nomine tria illa veniunt), *quæ veri quamdam speciem habet, ac sub veri specie ad falsum et absurdam adducit*. Tredecim enumerantur: *sex in voce, seu in dictione; septem in rebus, seu extra dictionem*. In voce sunt: *æquivocatio, ambiguitas, compositio, divisio, accentus et figura dictionis*. In rebus, seu *extra dictionem*, sunt *fallacia accidentis, dicti simpliciter, et secundum quid, ignorantia elenchi, petitio principii, consequentis, non causa ut causa, et plurium interrogationum*.

199. Breviter agemus de singulis; enimvero cum tempus permittat, loca, quæ indicantur, consulite non celetter, sed improperanter. Itaque:

1.^a *Æquivocatio*, Græcè *Homonymia*, est *unius, et ejusdem nominis diversa significatio*; quæ quidem significatio diversa potest esse, vel quia una dictio principaliter significat plura; ut hæc vox *fides*; vel quia una dictio duo significat, alterum propriè, alterum methaphoricè; ut vox *peccatum*; vel quia diversitas provenit ex diversa significatione, secundum tempus, numerum, genus, et consimilia accidentia (1); eliditur 1.^a reg. syllog.

2.^a *Ambiguitas*, seu anphibologia, est, *cum quis utitur phrasi ancipitis sensus*, ut sæpe solebant antiqua Gentilium oracula, ut hæc Apollinis responsio: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*. Quæ æque significat Romanos à Pyrrho vinci, quam Pyrrhum à Romanis (2).

(1) Consul. S. P. Aug. *Serm.* 11. a. 7. *de verb. Dom.*: lib. 2. *cont. Max.* c. 2 : S. Thom. *Opose.* 39. c. 3.; Clem. Alex. *Strom.* 1.; et hic *Lect.* 9.^a

(2) Cons. S. P. Aug. *Epist.* 177. a. 96. n. 2.; et lib. 3. *de Doct. Christ.* c. 4.; S. Thom. *Op.* 39. c. 4.; S. Hieron. *Ep. ad Pamma.* et *Ocean.*: et hic *Lec.* 9.^a

3.^a et 4.^a *Compositionis* et *Divisionis* fit, cum quis arguit à sensu composito ad divisum, aut vice versa: id est, cum prædicatum convenit subjecto sub uno respectu, et tribuitur ei in conjuncto, aut é contra: v. g. *qui sedet potest ambulare*; ergo *potest simul sedere et ambulare*: de eo quod sedendo habeat *potentiam* ambulandi, concludit hanc potentiam cum *actu* sedendi simul ad actum reduci posse (1).

Est communis apud Pelagianos, negantes gratiam ad salvandum liberum arbitrium; et Calvinum negantem liberum arbitrium ad salvandam gratiam: item in componenda scientia Dei cum libertate humana, etc.

4.^o *Accentus*, datur hæc fallacia, cum mutatur aliquo accentu *quantitas dictionis*, vel orthographia, v. g. *pendere* (solvere), *pendere* (suspensum esse); *abitus* et *habitus*, distincta significant. Quamvis hæc puerilia videantur, tamen ex variatione accentus constat fieri hæreses. v. g. *Theotocos*, accentu in penultima, significat *Deiparam*: *Theotocos*, antepenultima accentuata, significat *ex Deo genitum*. His Nestorius suam perfidiam occultabat (2).

Similiter *hic* et *hïc*, prout cum accentu, vel sine eo pronuntiat, significat subjectum proximum, vel locum.

5.^a *Figura dictionis* est, cum ab uno genere ad aliud fit transitus, propter similitudinem verborum: v. g. *quæcumque emisti comedisti*; *emisti carnes crudas*; ergo *carnes crudas comedisti*. Transit enim à genere substantiæ, ad genus qualitatis. Hac fallaciâ errarunt Judæi in illis verbis Domini: *Solvite Templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud*: Christus D. loquebatur de suo corpore; et illi intellexerunt male de Templo Jerosolimitano (3).

(1) Cons. S. Tho. *Op. Cit.* et Tong. *Phil. Log. Lib.* 4. c. 4. art. 4.

(2) Cons. S. Isidor. Pelus. l. 3. *Epist.* 31. et lib. 4. *ep.* 113. S. P. Aug. lib. 3. de *Doct. Chr.* c. 3. et S. Basil. lib. de *Spi. Sanct.* c. 1.

(3) Cons. Joh. 2—19. Math. 26—61.; S. Thom. *Opusc.* 39. c. 7. S. P. Aug. lib. 1. *cont. Maximi.* cap. 12.

Hæc vitia ex syllogismorum regulis supra traditis facile deteguntur et enodantur.

200. Sequuntur fallaciæ *in rebus, dialecticæ*, seu *extra dictionem* dictæ.

1.^a *Accidentis est, cum accipitur id, quod inest alicui rei accidentaliter perinde ac inesset essentialiter: et vice versa.* v. g. *A Philosophia, ab Eloquentia etc. multa mala orta sunt; ergo Philosophia, Eloquentia etc. sunt mala.* Eluditur hæc fallacia, distinguendo et determinando sensum. Peccat cont. 1.^{am} syllog. reg. Hac abutebatur Julianus Pelag. damnando nuptias (1).

2.^o *Dicti simpliciter et secundum quid, et é contra:* committitur, dum quis arguit ab eo, quod ex parte verum est, ad absolute verum esse; vel si verum sit talibus in circumstantiis temporis, loci, etc. arguit ad verum extra tales circumstantias: v. g. *Res illico sunt restituendæ domino; sed ille furibundus est dominus hujus gladii; ergo illico ei restituendum.* Sic errabant Eunomiani ad illa verba: *Pater major me est* (2).

3.^a *Est ignoratio elenchi*, (vox græca *Elenchos*, argumentum) idem est ac aberrare, seu vagare extra quæstionem, vel probando id, quod non negatur, vel negando id, quod non defenditur: ita miserrime aberrant protestantes accusando Catholicos idololatriæ, eo quod *cultum* Sanctorum Reliquiis et imaginibus tribuunt, non scientes quo sensu, et quomodo tribuunt (3). Item si educitur contradictoria, quæ non est vera contradictoria; ita abutitur his verbis: *libertate, honore, despotismo, superstitione etc.*, á nostris *gnosticis* valde usitatis.

(1) Cons. S. P. Aug. 1. 4 cont. Jul. Pel. c. 10.

(2) Consl. S. Greg. Naz. Orat. 35.

(3) Cons. S. P. Aug. Cont. Jul. Lib. 6. cap. 5. et. cont, Cælest. lib. 2. cap. 23.

4.^a *Petitio principii*. Principii nomine, hoc loco, intelligitur conclusio demonstranda, quia hæc ante omnia in disputationis initio proponitur; Committitur, *dum id supponitur probatum, quod probandum erat, quamvis distinctis verbis, et id ipsum adducitur ut probatum in conclusione*: Ita Lutherus probabat contra Regem Angl. *suam doctrinam esse de cælo, quia certus sum, inquit, dogmata mea me habere de Cælo*: et Calvinus dicit, *summum Pontificem esse Antichristum*: ratio; *quia honores Christi sibi usurpat*; ita Cartesius in *suis vorticibus*. Digni sunt isti, ut tam frequenter imitentur á tot neotericis politicis blateronibus.

Ad hanc fallaciam spectat *Circulus vitiosus*, in quem incidit qui duo, quæ probanda illi sunt, ita demonstrat, ut primum demonstret assumpto secundo, et secundum assumpto primo, ut siquis probaret terram non moveri, *quia movetur sol*; et solem probat moveri, *quia non movetur terra*. Optime quidem et sciolis dignum.

5.^a *Fallacia consequentis* est, cum concluditur á *negatione antecedentis, ad negationem consequentis*: aut *ab affirmatione consequentis, ad affirmationem antecedentis*. (Vid. Lect. 24 n. 165) (1).

6.^a *Non causa pro causa*, committitur hæc fallacia, cum rei, seu eventui assignatur ut causa, quæ non est; vel cum ab aliqua propositione educitur conclusio, quæ tamen minime in illa continetur; v. g. *Animæ humanæ multiplicantur secundum multiplicationem corporum; ergo destructis corporibus et ipsæ pereant necesse est* (2). Variis modis in istud sophisma labi possunt incauti; vulgus communiter ita ratiocinatur: *Post hoc, ergo propter hoc*. Vaferrimi Religionis Catholicæ osores vel magiæ, vel

(1) Cons. S. P. Aug. *de Doct. Christ.* lib. 2. cap. 33.

(2) Cons. S. Thom. lib. 2. *Cont. Gent.* c. 80.

ignotis quibusdam legibus adscripsere splendidissima illa miracula, quibus nostra Religio sacra fulcitur (1).

7.^a *Fallacia plurium interrogationum est, cum plures interrogationes, quibus diversæ responsiones reddendæ sunt, ad modum unius proponuntur: unde fit, quod qui non caute distinguit, jam affirmative, jam negative respondeat, erroris semper convinci potest; v. g. Estne peccator diligendus, an odio habendus? sine distinctione respondere non licet.*

Denique est etiam fallacia ex uno, aut altero facto, ex uno, vel altero noto, vel ignoto omnem vitæ cursum accusare, vel omnia nota, vel ignota esse concludere: ita se gerunt pertinaces Sacerdotum calumniatores ex eo quod, ut homines qui sunt, aliquem defectum in uno vel altero animadvertant, omnes sacerdotes, et omnem eorum vitæ cursum ipsi damnant: ita sceptici, ex eo quod aliqua ignoramus, omnia ignorari contendunt, etc.

Est postremo incautis plenus periculis *fastuosus ille, non minus ac ridiculus, magnus apparatus verborum scientificorum*, in quibus se complacent sophistæ, qui, ut suam ignorantiam tegant, aliisque fucum faciant, hanc viam obscuram, et irrisiones præferunt doctrinis solidis, rationibusque veris.

De his omnibus aliisque pluribus fusius agit Aristoteles, quia suo tempore vivebant sophistæ; credo firmiter autem, quod si hodie idem Aristoteles viveret fusiore adhuc stylo hunc tractatum persequeretur, ratio patet... Nos vero absolvimus hortantes vos, ut habitum acquirere conemini eas denudandi, legendo libros solidos, ab auctoribus catholicis, famaue commendatos.

Paratis his, quæ ad iter faciendum sunt plane necessa-

(1) Consul. S. P. Aug. in *libris de Doctri. Christ.; et Civ. Dei.*; Benedictus Feijoo. *Cart. Erud.* Tom. 1. Cart. 4. n. 14.

ria, videamus, quâ via nobis incedendum est. Etenim etsi in ordine *intentionis* primo constituamus *metam*, tamen in *executione* primo paramus viaticum, deinde seligimus, et arripimus viam, ut denique ad *metam* perveniamus. Ecce ratio ordinis.

SECTIO TERTIA.

METHODOLOGIA.

LECTIO 30.^a—QUID SIT METHODUS.—DE ANALYTICA ET SYNTHETICA, MIXTA.—QUÆNAN PRÆFERENDA.—REGULÆ OBSERVANDÆ.—QUID SIT DEMONSTRATIO.—QUID PROBATIO.—DEMONSTRATIO Á PRIORI ET Á POSTERIORI.—DE SCIENTIA TOTALI-ET PARTIALI ETC.—QUÆDAM PRINCIPIA.

201. Cum homo initio suæ existentiae omni scientia orbatus sit, ad eam autem comparandam et necessitatem quamdam sentiat, et magnam facultatum et virium copiam; observatione tamen, sedula industria, labore vigili, tentamine, et discursu eget; eget et etiam has operationes, earumque fructus ordine quodam atque ratione disponere, prout postulat finis, seu scientia, quam inquirat. Hinc methodi notio enascitur.

202. *Methodus*, si etymon spectamus, á græca voce *methodos* derivatur, quæ exurgit à META=*terminus*, *finis*, et HODOS=*via*, *semita*; idem est igitur, sub hoc respectu, ac viam arripere (ponere en camino); propriissime itaque operationibus intellectualibus adaptatur: est etenim intellectus facultas necessaria, ad suum propterea objectum ab alia applicatur. Philosophice tamen sumpta *methodus* defini potest: *Ordo, seu ordinata ratio, qua series operationum nostrarum disponimus ad verum inveniendum, quod adhuc latet, et ad illud explicandum, cum jam inventum fuerit.* Hinc methodi officium est, ideas, iudicia, ratiocinia dispo-

neri ad veritatem certius et facilius inveniendam, et clarius, solidiusque aliis communicandam.

Duplex distinguitur; altera *analytica*, seu *resolutionis*; altera *synthetica*, seu *compositionis*. Utramque methodum, necnon regulas in eis servandas breviter expendemus (1).

203. Methodus *analytica* ea est, quæ in inquirendo, aut explicando vero composita solvit in sua principia simplicia, totum in suas partes dividit (jam totum sit logicum, jam sit physicum), et ad prima principia devenit, à particularibus ad universalialia, quæ maxime simplicia sunt, transit, etc.; ut si quis in Logica tradenda inciperet à ratiocinii examine, et illud in suas partes constitutivas, id est, judicia resolveret; judicia dein in ideas: aut examinans quid sit, quod viribus naturæ corrumpi possit, invenit id solum esse, quod dissolvi potest; deinde examinat, quid possit dissolvi, et invenit id esse, quod habet partes etc.

Ita qui examinat omnia naturæ agentia, terminum, ad quod diriguntur, quomodo agunt, quomodo ad terminum tendunt, qua ratione unum agens alteri subordinatur, à quo uniuscujusque terminus præstituitur, perveniet utique ad hunc principium stabiliendum, antea ignotum, nunc certissimum et admodum clarum, scilicet: *Omne agens agit propter finem*. Hæc methodus vocari solet *inventionis*, quia aptior videtur ad veritatem investigandam, eo quod singularia sint, quæcumque nobis sese offerunt.

204. Methodus *synthetica* opposita prorsus via incedit, et in inquirenda, vel exponenda veritate à principiis simplicioribus ad composita, ab universalibus ad particularia, à partibus ad totum quasi componendo progreditur; v. g. si quis examinat, an anima possit viribus naturæ perire? sequitur methodum syntheticam, si quærit primum, quid sit

(1) Cons. opus R. P. Jos. Rom. cui tit. *Elem. di Filosof.* T. 1. p. 2. c. 8.

anima, an principium cogitans possit convenire materiæ, seu enti composito; tunc, an quod est simplex possit dissolvi; et tandem concludit, *viribus nature perire animam humanam non posse*. Ita in exemplo supra allato de agentibus naturæ; incipiens á principio; *omne agens agit propter finem*: considerans fines et modum, quo ad eos agentia tendunt, perveniet ad cognitionem de modo agendi uniuscujusque, quomodo, et á quo unicuique finis præstituitur, methodum servat syntheticam: methodus, quam usquenunc in Logica sequuti sumus synthetica est: quæ etiam dici solet, methodus *doctrinæ*, quia aptior videtur ad veritatem aliis communicandam, eo quod prima principia vividius menti affulgent, et ipsa evolvendo facilius ad noscenda particularia pervenimus.

205. Ingens inter utramque methodum existit discrimen; synthetica enim ab eo exorditur, quod postremo fuit inventum ab analysi; et ibi desinit, ubi analytica incipit; analysis progreditur minuendo *comprehensionem*, augendo *extensionem*; synthesis vice versa, minuendo *extensionem*, eo quod augeat *comprehensionem*: in analytica *illud quod est demonstrandum* primo loco in oratione ponitur; in synthetica vero ultimum occupat (1).


(1) Sit exemplum: quæritur: utrum anima humana sitne immortalis? *Analytice* ita respondetur. Anima humana est immortalis si perire non potest: atqui perire non potest: ergo etc. *Prob. min.* Illud non potest perire, quod nec dissolvi, nec annihilari potest; atqui anima humana nec dissolvi potest, nec annihilari; ergo etc. *P. min.* Non dissolvi, utpote simplex, non annihilari, quia hoc á solo Deo fieri potest, Deus autem nihil annihilat. etc. etc. ergo. *Synthetice*: Anima humana est ens cogitans et liberum; ens cogitans et liberum, et est simplex, et meriti, vel demeriti capax: ens simplex, et meriti, vel demeriti capax, nec dissolvi á quibuscumque viribus, nec á Deo annihilari potest: quod autem nec dissolvi, nec annihilari potest est in æternum duraturum, quod autem tale, est immortale; ergo anima humana est immortalis. etc.

Non ita tamen sunt inconsociabiles, ut una alteram respuat: sed ratione habita illius rei, de qua tractatur, analysim et synthesim possumus aliquando conjungere, et tunc habetur methodus, quæ dicitur *mixta*.

206. Quænam autem præferenda sit, jam aliquantulum insinuavi, in docendo synthetica, in investigando analytica via incedendum videtur; et si utraque, seu mixta adhibetur tanto melius; sed nec credatis hoc esse præceptum; minime ita volo; hoc enim negotium dependet tum maxime á diversitate veritatum, et scientiarum; unde in speculativis communiter synthesis, ut patet in Mathesi et Ontologia; in practicis vero analysis, ut patet in Physica, Chimica etc., in moralibus vero mixta communiter adhibetur. Pendet etiam ab statu quæstionis, et aliquando ab ingenio quæstionem considerantis; unde nihil determinatum statui potest.

Ut melius dicta retineatis scalam Baconianam proponam.

Principia



Facta singularia.

Conclusiones.

207. Quæcumque adhibeatur methodus hos canones teneto.

I.^m *Incipiatur semper á facilioribus magisque obviis, ut inde gradatim procedatur ad difficiliora, magisque ardua.*

II.^m *Detur claritas; hinc vocabula clara adhibenda sunt, obscura per notiones claras ac distinctas definien-*

da; et si materia plures complectitur partes, accurata divisione distribuenda est, et singulæ partes singillatim tractandæ erunt.

III.^m *Detur brevitatis*; hinc, quantum fieri potest, verborum copia, et prolixitas in rebus enuntiandis vitanda est, cavendum tamen, ne brevitatis amore necessaria claritas imminuatur, juxta illud Horatii; *brevis esse laboro obscurus fio*.

IV.^m *Detur soliditas*; ita ut numquam decursu tractationis extra veritatis tramitem deflectatur, et ideo attendendum:

1.° Ne quidquam ponatur ut verum, quod non sit sufficienter probatum, nec in probationibus assumantur principia incerta.

2.° Ne quidquam assumatur probandum, quod probari non potest.

3.° Propositiones omnes eo ponantur ordine, ut una ex altera legitime fluat, et quæ posterior est, á præcedentibus lumen et robur accipiat, ac sequentibus lucem præbeat et principii loco serviat. Exemplum invenietis in Mathematicis, et in Summa Theol. D. Thomæ, et aliis paucis.

V.^m Pro synthesisi speciatim; *Cavendum est á pruritu componendi absque elementis sufficientibus*.

VI.^m Pro analysi; *cum partes dividuntur, aut separatim considerantur, oportet numquam oblitus iri et earum inter se relationes, et relationes cum toto* (1).

208. Huc etiam reducitur *classium formatio* (clasificaciones), quæ est: *objecta nostrarum cognitionum disponere et ordinare per genera, species, varietates, familias, et individua in diversos tractatus*; ut patet vel maxime in historia naturali, botanica etc. Fundari debet,

(1) Cons. Fournier, Log. gen. Sect. 4. c. 2.; Balmes *Criter.* á c. 13. ad 17; Cuevas Ph. Sp. lib. 3. diss. unica.

quantum possibile sit, in ipsa rerum natura, et ordine, et non esse nimius minutia.

209. His præjactis aliquid de Demonstratione et Probatione insinuemus.

Demonstrare est; *aliquam propositionem, aut veritatem principiis evidentibus et omnino certis, legitima et evidenti argumentatione stabilire*; Hujuscemodi demonstratio generat scientiam. Scientia erit *totalis*, si seriem complectitur propositionum, aut veritatum demonstratarum, versantium circa *unum objectum*. Erit *partialis*, si est cognitio certa et evidens *alicujus veritatis* per suas causas, aut principia. Scientia *totalis* dicitur etiam *systema rationæ materiæ*; *theoria* vero ratione formæ.

Probare autem est: *ab utraque, vel alterutra præmissa, quæ vera videtur omnibus, aut plurimis, vel saltem sapientioribus, recta argumentatione aliquam conclusionem educere*; vel ab aliquo principio non evidenter, sed implexa et anticipata argumentatione aliquid concludere. De iis postea.

Demonstratio, ratione principiorum, quibus innititur, potest esse á *priori*, vel á *posteriori*. (Cons. Lect. 27.^a n. 193.)

1.^o Est demonstratio á *priori*, cum principia, quibus nititur, re, seu ordine ontologico præcedunt veritatibus demonstrandis; v. g. si effectus demonstratur á causa; cum vero proprietates ab essentia, vel á rei idea demonstrantur, tum demonstratio vocatur á *simultaneo*, quia necessario simul coëxistunt: v. g. *homo est intelligens, ergo liber*.

2.^o Est demonstratio á *posteriori* ea, in qua principia, quibus nititur, rem demonstrandam consequuntur, talis est ista: *Existunt entia contingentia, ergo existit ens necessarium* etc. (Vide Lect. cit.)

Prima ad synthesim, altera ad analysim pertinet.

210. Nunc vero ad principia quod attinet, sciendum

venit, quod principium demonstrationis est *omnis enuntiatio, quæ fundamenti loco assumitur, ut ab eo, veluti á fonte, conclusionis scientia eruatur.*

Ex his principiis, alia influunt *actu* in demonstrationem, cum, scilicet, apponuntur diserte, uti præmissæ ad demonstrandum: alia influunt *virtute*, ut sunt principia quædam generalia, quibus veluti cardinibus demonstratio innititur.

Principia, quæ *actu* influunt (nam cætera sunt omnia universalialia), alia sunt analytica, metaphysice universalialia, et absolute necessaria: ut *totum est majus sua parte; quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se.* De istis alia sunt communia omnibus scientiis, alia vero peculiarium propria; omnia autem sunt *per se nota*, primitiva et indemonstrabilia; simul atque termini intelliguntur assensum rapiunt. (De hoc postea).

Altera vero sunt *synthetica*, seu experimentalialia, quæ quidem sub experientia et observatione stabiliuntur; et sunt *immediata*, cum eorum experimentum, et ratio absque ratiocinio immediate perspicitur; *mediata* vero cum ratiocinii adjuncto formantur, ut patet in scientiis physicis etc. Ecce aliqua principia per se nota á logicis et metaphysicis usitata.

Primo relege Lect. 20.* Ap. n. 154.

I. *Idem non potest esse simul et non esse.* Hoc est primum principium, et *virtute* in omnia influit, uti videbimus in Ontologia.

II. *Nihilo nulla est, nulla potest esse proprietas, realis et positiva.*

III. *Non datur effectus sine causa, seu nihil est sine ratione sufficiente.*

IV. Illa duo identitatis et discrepantiæ de quibus supra (Lect. 21. n. 155. (a), (b).)

V. *Quod nimis probat, nihil probat.* Cujus principii iste est sensus: qui in re aliqua probanda instar principii

adhibet rationem, ex qua sequitur aliquid falsi, hujus nulla est probatio: cum enim ex principio vero nihil falsi emanare possit, principium, ex quo fluit aliquid falsi, verum esse nequit, ac consequenter ex eo nulla legitimè erui potest veritas.

VI. *Non deserenda sunt clara, et certa, propter quædam obscura, et incerta.* Veritas enim aliqua, quæ clare et certo deprehenditur, non potest per aliam veritatem incognitam destrui, nisi supponatur verum vero opponi, quod prorsus absurdum est; ergo veritati demonstratione indubitabili innixæ adhærendum est, quibuscumque aliunde aut tenebris circumvolvatur, aut difficultatibus impugnetur hujusmodi veritas.

Hæc sunt, quæ in præsentī dicere oportebat; sed antequam huic Sectioni finem apponamus, dicamus paucis de Methodo Cartesiana, et Eclectica.

LECTIO 31.^a—DE VITIIS METHODI CARTESIANÆ.—DE ECLECTICISMO.

211. Cum ab initio sæculi XVII philosophia infeliciter, et in sui proprium exitium á scientifica traditione, et divina Religione sese sejungeret, sibi blandiens ductum tantum rationis sequi, in varias aberravit vias effecundans tot absurda et contraria systemata, quot sunt impetus passionum superbiæ atque audaciæ inservientium, quæ exagitant eos, qui suave fidei jugum excusserunt; ita ut de tali philosophia dici possit illud Job (1): *esse terram miseriæ, et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Primum lapidem ad ædificandam hanc confusionis turrim admovit Renatus Cartesius (natus anno 1596), qui transferendam putavit in

(1) 10—22.

philosophiam eandem methodum, qua protestantes utebantur in Religione: volens enim declinare nonnulla præjudicia, et opiniones, quæ sine sufficienti examine in scholis veluti axiomata tamen, dicebat, tradi, de omnibus omnino veritatibus existimavit semel ad minus *dubitandum* esse, ut præjudiciis, quibus imbuti sumus, nosmet exuamus, et à *primis scientiæ principiis* inchoantes firmum ac mansurum ædificium stabiliamus, nihil pro vero habentes, nisi quod sit evidens (1). Hinc se conjicit in dubitationem, rejiciens certitudinem de rebus existentibus, imo de ipsis mathematicis demonstrationibus, ac de cæteris principiis per se notis, fingens omnia falsa esse. Sed cum devenit ad negandam propriam existentiam *sentit* se de hac nec dubitare quidem posse: *nam qui dubitat est, si enim non esset non utique dubitaret: de nihilo nihil prædicari potest* unde illud percelebre *effatum*: *Cogito ergo sum*: quod à S. P. Augustino mutuatus est, quamvis simulet; utinam hoc effatum proponeret illa sobrietate, prudentia, ac soliditate, quibus usus est S. Pater, tunc enim reprehendendus non esset. Legite S. Patrem *Soliloq.* Lib. 2. præsertim cap. 1.: in Tom. 1. ed. Maur. (2). Omnes enim sumus aliquantulum rationalistæ, quatenus legitima rationis jura tuemur; sed Cartesius adduxit dubium ad extremum falsum, et impossibile, et eo usus est incidens in contradictiones varias, atque modo, formaque reprehensibilibus.

212. Ex illo: *Cogito ergo sum*, quasi ex semine fecundissimo omnis certitudinis segetem credebat educi posse:

(1) *Principiorum Philosophiæ*. Præf. 1. partis: *Discurs. de Meth.* p. III. et IV. Methodus Cartesianæ omnia mysteria divinitus revelata pessundat: Cons. Bossuet. *Lett. au P. Lami*, ubi confitetur pericula doctrinæ Cartesianæ.

(2) Item, *De Trinit.* lib. 15. c. 12.; et lib. 10. c. 14.

non aliter ac *sacrorum novatores* ex suo sensu privato, qui omnem religionem pessumdederunt. At nonne animadvertibat philosophiæ novator, quod si de *rationis aptitudine* ad verum inveniendum, id est, de primitivis universalibus principiis, quæ leges intellectus percipientis constituunt, vel semel dubitetur, nihil amplius affirmari, nec negari potest? Sed age, eo ipso quod de iis principiis dubitare connitimur, eos diserte affirmamus. Nonne animadvertibat, quod si principium contradictionis in dubium adducatur, nihil amplius statui potest ut certum, quia potest esse et simul non esse? Amplius, impossibile est de illo dubitare, quin simul affirmetur, ut infra videbimus.

213. Sed fac posse dubitari de omnibus, nisi de facto propriæ conscientiæ, cum hoc sit factum *internum, singulare et individuale* nihil amplius inferri legitime potest, nisi aut *scepticismus* ex ea parte, qua dubitat; aut *sensualismus* ex ea parte, qua factum consignat, id est, *sensum* propriæ cogitationis. Germanicæ ridiculæ deviationes, et historia gallicana satis superque confirmant assertum.

214. Hinc est quod, ut Cartesius ex illo tenebroso *ego* exiret, necessum fuit ei cætera principia, de quibus immediate dubitarat, iterum in auxilium invocare, quia *sensit* esse impossibile scientiarum solidum ædificium stabilire supra adeo augustum fundamentum, ut est factum singulare, subjectivum et contingens. Primum, quod invocavit fuit: *Quod clare percipitur in idea alicujus rei, hoc affirmari de illa potest*, à quo, nescio quo jure, infert Cartesius existentiam Dei, et ex veracitate Dei infert certitudinem hujus principii, et certitudinem nostrarum facultatum, atque hoc pacto certitudinem eorum omnium de quibus paulo antea dubitaverat. Unusquisque vestrum, qui philosophiam salutastis, dicere potestis quid hoc sit. Sed insuper cum ita Cartesius deprimit rationem, ratione perpetuo utitur: *Somniavit quidam ne somniis crederet.*

215. Cæterum ipse Cartesius animadvertit suam methodicam dubitationem periculis plenam esse: *Vereor*, inquit (1), *ne hoc ipsum, quod suscepi, tam arduum et difficile sit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti, deponamus, non unicuique est tentandum...* etc. Et certe ipsemet Cartesius á sua dubitatione toto cælo recedit, paucos enim invenietis Philosophos, qui tot hypothesis falsis et ridiculis usi sint; et si aliquid philosopho dignum loquutus est á SS. P. Augustino, Anselmo et Thoma mutuatus est, *plagium* ingenio tribuens.

216. Verum enimvero necesse est confiteri, quod adversus ejus methodicam dubitationem traditionalistæ injusti se gerant accusando ipsius Cartesii intentiones: Aliunde persuasum habeo non Cartesii genio, nec suarum elucubrationum præstantiæ deberi tam tristem scientificam revolutionem; sed magis animorum statui pro tunc temporis, ideis dominantibus, aliisque adjunctis, et præsertim infernali independentiæ voci, qua Lutherus ejusque asseclæ ab imis summa everterunt, quo factum est, ut iterum recrudescerent omnes tum philosophici, tum theologici veterum errores.

Hæc in præsentī sufficiant quoad methodicam Cartesii dubitationem; cum opus fuerit diserte de ejus opinamentis judicabimus.

Unum tantum monebo, scilicet, *neminem, qui sapit, quæ oportet sapere, dubium methodicum Cartesii professurum esse*; (2), et jure, est enim inepta, et philosopho plane

(1) *Dissert. de Method.* p. 9. et seqq.

(2) Cons. Bouvier, *Hist. phil.*, hic vero ut bonus gallus nimis Cartesio favet; P. Zeph. Gonz. *Estudios sobre la filo. de S. Tom.* Tom. 1. cap. 10. et 11., hic plus justo eum insectatur; Rosell; Tongiorg.; Liberatore; Rothenfl. *Synops. Hist.*; Thomas—Reid; Collardi; Royer—Coll.; Cajet. Sans. *Philosoph. Christ. cum antig. et nova comp. Log. pars.* 1. Vol. 1. pag. 125 seqq.

non digna; est methodus sine methodo, sine regula, et sine remedio, præter nudam contradictionem.

217. Nunc his malis tollendis nova proponitur methodus non minus paradoxa, multoque magis absurda; reboante nomine *Eclectica* subaudit.

Sub fine ejusdem sæculi XVII jam insania eo pervenerat, ut quicumque doctus existimari vellet, scientificam se traditionem abrumpere, et tantum rationis ductum sequi dictitabat, sibi *gloriosum* imponens debitum religionem aspernari, divinamque revelationem fastidire; atque ut originalis quisque haberetur, laureamque sapientis, ac magni philosophi nomen mereretur, necesse ei erat aliquod novum cudere systema, vel temperare, ac refundere labentia. Hinc confusio et ruinæ.

218. Nonnullis vero barathrum horrentibus pedem referre consilium fuit: attamen, si aliqui, non omnes, ut par jusque erat, satis cordati apparuerunt, eo quod unicum respuerunt medium restituendi philosophiæ suum splendorem et gloriam, utque aliquid prodesset, quando quidem aureum seculum augurabat, et infinitum scire nobis audax promittebat: verum ut hoc adimpleret philosophia, nulla alia via illis philosophis patebat, nisi redire et confugere ad Doctores Catholicos sub sacrosanto Romanæ Ecclesiæ vexillo; sed tamen stulta ratio, stimulis sordidæ insanis obsequens, sibi persuasit posse ex tot falsis et absurdis systematibus aliquod unicum verum *colligere, seligendo partiales veritates* uniuscujusque, et ita integram et completam philosophiam reædificare. Tentamen inutile, absque ea, quæ intrinsecus latet, absurditate. Philosophiæ historia per se sola hoc patefacit, Quid non promissit, verum quid dedit philosophia *Eclectica*? Fichteus, Schellingius et Krausius in Germania, Ancillon Berolinii, Royer—Collard, Jouffroy, Damirom, Beyram, Keratri et præcipue Cousin in Gallia eloquenter demonstrant, *tolerantiam scientificam, rationis independentiam*, et alia hujusmodi, non

alio nos ducere, nisi ad rationis ipsius negationem et annihilationem in pantheismi portento.

219. Nihil mirum, si enim ante omnia non habemus quamdam veluti mensuram veri, quoddam systema completum, certum et indubitatum, quomodo verum et certum inter tot errores seligere possumus? impossibile est enim verum sine vero invenire, scientiam sine principiis constituere.

Sic apologistæ priorum Ecclesiæ sæculorum, qui habebant completum ac certissimum systema, doctrinam, scilicet, Ecclesiæ semper et ubique unam et immutabilem, systema apprime conforme rationali hominis naturæ, potuerunt quodam sensu esse eclecticici, in quantum judicabant, et assumebant ex placitis philosophorum ea, quæ erant conformia doctrinæ revelatæ, et ita purificabant (ut ita dicam) et illustrabant ethnicam philosophiam (1); hoc sensu omnes sumus eclecticici; *spiritualis autem judicat omnia*: enimvero systema neotericorum eclecticorum præter alios defectus, quibus subjacet, fundamento caret, nullam regulam, principium nullum dat, nec dare potest, ut tuto ac certo *particulæ* veritatis in omnibus systematibus diffuse colligari possint, nisi det *rationem ipsam, sensum veri, tactum morale* etc., risum teneatis.

Ita res cessit, in Cousinio vel solo, invenietis omnes errores, omnia portenta et aberrationum monstra, et omnia ut vera conglutinata: jam.....

220. Concludam cum Tertulliano (2): *Quid Athenis et Hierosolymis? Quid Academiæ et Ecclesiæ? Quid Hæreticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est.*

Sed in vitium ducit culpæ fuga, si caret arte (Hor). Satis. D. q. d. e.

(1) Cons Clem. Alex. Strom. 1.

(2) Tertulli. De Præscript.

APPENDIX.

DE METHODO STUDENDI.—DE ELECTIONE LIBRORUM, ET LABORE.

221. Cum Logica ad scientiam omnem, ac veritatem comparandam sternere viam debeat, erit etiam Logicæ munus præcepta tradere, quibus possit mens in cujuslibet facultatis delectu studia sua ita disponere, ut ad eam consequendam expeditè perveniat; opportunius itaque de iis nunc, postquam aliquid de methodo insinuavimus, dicenda aliqua remanent.

222. Igitur, in primis conemur excitare in nobismetipsis vehementem veritatis inveniendæ amorem, quem tamen, sine ferventi Dei amore, et vitæ innocentia, nunquam, ut par est, assequemur, sed potius ejus loco insanum et inordinatum vani nominis amorem induemur, quique á vera sapientia nos aberrare faciet.

Deinde studia eligantur earum facultatum, quæ et genio, et ætati, et mentis capacitati ac statui nostro aptiora sunt, atque in eas tota mentis acies convertatur, omnesque curæ nostræ conferantur: probe scientes, quod intemperans universalis cognitionis amor ignorantiam generat; *cum enim omnia discere volumus, discimus nihil*: et caput nostrum simile erit sartoris armario.

A facilioribus ad abstrusiora sensim progrediendum, neque pluribus, ut dictum est, simul incumbendum est, nisi forte successivis horis, ad animum sublevandum, eos libros legere velimus, qui et cultiorem stylum, et amænam eruditionem nobis possint comparare; nunquam autem eos libros legere debemus, qui intellectum in errorem inducant, vel mores depravent, nec fabellas quantumvis reli-

giosæ appareant; hæ non generant scientiam, sed frivolum et inanem cognitionem.

Tenete pro axiomatico illud *Senecæ* monitum; *non refert quam multos, sed quam bonos libros* (unusquisque) *habeat, lectio certa prodest, vana delectat* (1), nempe paucos legite libros, eosque melioris notæ, quos recenset pro qualibet scientia in aureo tractatu de Studiis Monasticis Clarus Mabillonius (2). Hos item non *multos*, sed *multum* legetis, nempe neque interrupte, neque animo alienis curis distracto, sed multa attentione *nocturna versabitur manu, versabitur diurna*.

Lectioni addite meditationem, illam aliquantulum, si opus fuerit, interrumpendo, de qualitate, et veritate doctrinarum jam lectarum, ut eas profundius penetretis, distinguatis, ac veluti concoqueatis et memoriæ mandetis.

Sapientum colloquio pro posse utimini, multa enim et valde bona ex eorum communicatione haurietis.

223. Cum memoria labilis sit, ac tantum sciamus, quantum memoria retinemus, hinc ad memoriæ auxilium lectioni succedat scriptura, quâ notatu digniora in adversaria referetis, ut cum opus fuerint præsto sint. Placet S. P. Augustini auctoritatem afferre (Solil. lib. 1. cap. 1. n. 1.) Ratio. *Ecce fac te invenisse aliquid, cui commendabis ut pergas ad alia? Aug. Memoriæ scilicet. Rat. Tantane illa est, ut excogitata omnia bene servet? A. Difficile est, imo non potest. Rat. Ergo scribendum est. Igitur quæ meliora ex libris, uti industriosa Apis, delibastis, ad certos titulos redigetis, loca auctorum breviter indicando, ut, cum opportunum fuerit, ea possitis invenire.*

Fugite verbositatem et logomachiam, et stultum pruritus de omnibus disserendi, sed potius illa pax, et pru-

(1) Epis. 45.

(2) De Studiis Monasticis, in tres part. distrib.

dens silentium sapientum et gravis animi propria comitentur vobis in omnibus operibus vestris.

224. Attente considerate illam indeclinabilem Divini Conditoris sententiam: *In sudore vultus tui vesceris pane* (1); igitur laborare oportet, si aliquem fructum degustare volumus: quicumque etenim fuerunt inter homines ingenio conspicui, infatigabili activitate eminebant: maximus errorum est credere, quod sine labore multo, vigiliis continuis, incommodis et non mediocri patientia regularem scientiam assecuturi simus (2).

LOGICÆ PARS SECUNDA.

CRITERIOLOGIA. (3)

225. Expositis variarum mentis operationum natura, indole et legibus, quibus diriguntur, ut *rectæ* sint in seipsis, nobis superest perscrutare illas normas, quæ ab ipsis exsurgunt objectis, ut mentis operationes sint *veræ*, quarumque igitur ope veritatem assequimur, et certa ab incertis, probabilia ab improbabilibus discernimus. Et primo inquirendum venit, utrum veritatem certo cognoscere valeamus; deinde quænam sint varia pro variis objectis cognoscibilibus certitudinis motiva; et tandem quodnam sit totius certitudinis principium. In tres igitur Sectiones hanc logicæ partem dividemus.

(1) Gen. 3—19.

(2) Cons. Exim. F. Suarez, tom. 4. *de Relig. Tract.* 10, lib. 5. cap. 1. *usq. ad* 7.; V. Martir P. Edmundus Campiano, *Orat.* 3. *de Juvene Academico.*; Mabillon, *de Studiis Monasticis*, ubi luculenter ostendit quam arcto conjugio scientia ac devotio inter se copulentur.

(3) A græco *Kryterion*: judicatur, judicare, judicatio; et *Logos*; ratio, etc.

In prima agemus de certitudinis existentia, ubi de principio á *quo*.

In secunda de variis certitudinis motivis, seu de principiis *per quæ*.

In tertia denique de principio *secundum quod* veritas veluti signatur, et á falsitate distinguitur, seu de ultimo certitudinis criterio. At cum veritas *intellectûs*, seu *logica*, sit ipsa mentis rectitudo comparate ad objecta, oportet aliquid in antecessum præmittere de variis mentis statibus circa veritatem. Itaque sit

LECTIO 32.^a—DE VERITATE.—DEFINITIO VERITATIS METAPHYSICÆ, REI, ET SERMONIS.—DE VARIIS CIRCA VERITATEM ANIMI STATIBUS.

226. Veritas in genere est notio maxime simplex, quæ proinde definiri proprie nequit; et facilius est mente concipere, quid sit verum, dum ad nos, nostrasque operationes animo advertimus, quam verbis explicare. Si tamen analysim instituamus eorum, de quibus verum prædicatur, possumus cum veteribus ita illam describere: *Veritas est adæquatio intellectûs et rei*, quæ descriptio omnem complectitur veritatem, sive sit veritas *rerum*; id est, eorum, quæ habent *esse* tum in ordine metaphysico, cum in ordine physico: sive sit veritas *cognitionum*, id est, conformitas et convenientia mentis nostræ cum objectis (1): sive sit *sermonis*, id est, eorum signorum, quibus internus mentis sensus exprimitur.

227. Frequenter etiam veritas in genere definitur cum

(1) Cum dicitur veritatem esse prius in intellectu, quam in rebus, proprie dicitur relate ad illum intellectum, á quo dependet *esse rerum*, qui est Divinus Intellectus; intellectus noster deprehendens *esse rerum*, deprehendit hoc mediante illas æternas typicas ideas, ideoque *verum*.

S. Patre Augustino (1) hoc altero modo: *Verum est id, quod est*; sed hæc definitio juxta S. P. mentem ad res, prout æternas archetypas ideas adamussim assequuntur, refertur, ut videbimus in Ontologia.

228. Igitur veritas est in intellectu, secundum quod intellectus rem intellectam adæquat, nempe secundum quod habet conceptus objectis conformes. Quamobrem ratione veritatis logicæ, ut ait ex Aristotele S. Thomas (2), intellectus noster se habet ad objectum, *sicut mensuratum ad mensuram*. Non enim noster intellectus veritatem habet, quia res ipsi conformantur; sed quia ipse rebus conformatur. Res enim sunt quod sunt, independenter ab intellectu creato, et solum sunt prout cognoscuntur á *Divino Intellectu in originali radice*, DIVINA ESSENTIA, á qua omnium intelligibilitas dependet, quæ intelligibilitas vocatur *esse metaphysicum rerum*, seu intrinseca possibilitas, quæque æterna, necessaria et immutabilis est.

229. *Veritas metaphysica*, est consensio, seu conformitas inter sese illarum notarum, ac proprietatum, quæ ens, seu esse rei constituunt: quidquid enim existit, vel est possibile tantum, independenter á cognitione nostra habet eas notas et proprietates, per quas est *id quod est*, et non aliud, et objectum cognitionis potest esse. Vocatur etiam veritas *idealis*.

Veritas rei, seu *realis*, est ipsa veritas metaphysica actuata, id est, sunt ipsæ res prout actu adæquant ideas archetypas, ad quarum exemplar conditæ sunt. In Ontologia melius intelligetis.

Veritas logica, seu *intellectus*, est cognitio illius, quod est, seu conformitas cognitionis nostræ cum objecto cognito; id est, est veritas in intellectu, cum intellectus adæquat id, quod in ente cognoscibile est; hinc est, quod

(1) *Soliloq.* lib. 2. c. 3.

(2) In I. Periherm. Lib. 3.

cum intellectus noster cognoscit res, iis mediantibus cognoscit ideas divinas, et in rebus eas contemplatur (1). Duo igitur ad veritatem logicam requiruntur, *actus*, scilicet mentis cognoscentis, et *objectum* cognitum; unde patet, veritatem metaphysicam fundamentum esse veritatis logicæ; nam cognitio suum objectum supponit, et objectum esse nequit, sine notis et proprietatibus per quas est id, quod est.

Veritas sermonum est conformitas verborum, aut signorum, quibus exprimitur sensus mentis, cum iudicio interno loquentis, id est, sincere loqui id, quod interius est, vel putatur esse apprehensum: Denique si id fit cum cognitione et libertate, dicitur veritas *moralis*.

Igitur quoad intellectum nostrum veritas est in rebus, tanquam in fundamento; in intellectu, tanquam in subiecto; et in verbis, tanquam in signis. (Consulite exim. Suar. Metph. Tom. 1. Disp. 8^a)

230. Veritati opponitur falsitas.

Veritati metaphysicæ, et rerum nihil opponitur, nisi nihilum, igitur non est falsitas metaphysica, nec falsitas rerum; etenim *res* et *esse* sunt id quod sunt, et quod non sunt est nihil; si sunt habent id, quo sunt vere et proprie; et sicut habent esse et cognosci ab Intellectu Divino, á quo essentialiter dependent, ita habent cognosci ab intellectu nostro, qui est lumen *participatum* ab intellectu divino; verumtamen aliquando dicuntur res falsæ per *accidens*, et respectu intellectûs creati, si occasionem præbent efformandi de ipsis conceptum, quod revera ipsas non adæquat (2).

231. Falsitas, quæ opponitur veritati logicæ, seu in-

(1) Cons. S. Thom. *Sum. cont. Gent.* l. 1. caps. 51 et seqq. et *Sum. theol.* l. 1. P. q. 14. et 15.

(2) Cons. S. Tho. *Sum. th.* l. 1. P. q. 16. á. 1. et q. 17 á. 1.; S. P. Aug. l. 7. *Conf.* c. 15.

tellectûs, *est difformitas intellectus ab objecto*. Duplex esse potest hæc difformitas, *positiva*, videlicet, et *negativa*.

Negativa est, cum intellectus conceptu suo non exhaurit totam rei intelligibilitatem, sed tantum ex aliqua parte; est potius quædam *nescientia*, et ignorantia, quæ privative, non contrarie opponitur cognitioni; ut speculum planum etiamsi totius corporis non referat imaginem, sed capitis tantum et summi pectoris, non idcirco dicitur falsam exprimere imaginem, sed solum objectum non exprimere totum. E contra, positiva est vera difformitas, opponiturque cognitioni contrariè, et est error; comparari potest speculo concavo, vel convexo, qui id ipsum, quod de objecto repræsentat deturpat, ac deformat vel augendo, vel minuendo, idcirco falsam dicitur offerre imaginem. De iis immediate.

Falsitas enimvèro non in ideis, quæ semper offerunt fideliter objectum suum, est enim objectum ideæ id ipsum, quod idea repræsentat; sed in iudicio esse tantum potest, in quo est tantum affirmatio, vel negatio; quamvis enim solemus dicere, aliquem v. g. habere ideas falsas de rebus, hoc est per *accidens*, quatenus nempe tales ideas format sub influxu, ut ita dicam, alicujus antecedentis iudicii falsi. Iudicium autem subjective spectatum non dicitur verum, aut falsum, quia iudicium, ut iudicium, quomodocumque sit, est verum iudicium, vel nihil; sed *rectum*, vel *erroneum*; itaque objective, id est, ratione eorum, de quibus est, est proprie verum, aut falsum.

232. Veritati sermonis opponitur *mendacium*, quod est: *oratio, quæ cum sit signum suppositivum interni sensus, seu iudicii, aliud exprimit distinctum, vel contrarium huic, quod in mente versatur*; quod si fiat cum cognitione et libertate semper est turpe et malum, et opponitur veritati *morali*. Planum est, quod falsitas vel veritas sermonis non in verbis, aut signis, ut *sic*, in seip-

sis, inveniri, sed prout sunt signum suppositivum iudicii, et manifestativum veritatis vel falsitatis, quæ est in mente, (n. 47. 3.^o). Tamen hæc veritas, vel falsitas sermonis dicitur non proprie, sed analogice, (núm. 62.)

233. Nunc jam facile intelligetis, quid ignorantia sit, quid error. *Ignorantia est defectus cognitionis*, seu *status mentis cognitione destitutæ*; v. g. ignoro utrum numerus stellarum sit par vel impar. Alia est invincibilis, alia vincibilis: *invincibilis* dicitur, cum non fuit in nostra potestate acquirere cognitionem: *vincibilis*, cum requisitam diligentiam ad cognitionem acquirendam adhibere omissimus. Alia est *directa*, alia *reflexa*: *directa* dicitur, cum mens ad eam non attendit: *reflexa*, cum mens ad eam attendit, et scit se ignorare.

234. Ne tenebris ignorantiae mens nostra obducatur, fontes hujusce ignorantiae cognoscere juvat, ut iis oclusis, quantum fieri potest, ad veritatem pertingere valeamus. Causæ ignorantiae aliæ sunt ex parte intellectûs, aliæ ex parte voluntatis.

Ex parte intellectûs enumerari possunt: defectus idearum; impotentia quædam cognoscendi earumdem nexum; brevitatis demum ac imbecillitas intelligentiæ nostræ. Quamvis huic malo plane mederi nulla arte possimus, illud tamen minuere in nostra potestate est, si, videlicet, studiis inutilibus et vanis prætermittis, et desiderio immoderato omnia sciendi, omnem operam ad necessaria et utilia conferamus; vere enim pronuntiavit Seneca: *Necessaria ignoramus, quia superflua discimus.*

Ex parte voluntatis solent esse: mens pigra et laboris impatiens; propensio ad voluptates, quâ omnis ordo naturæ evertitur; et studiorum confusio. Vere agebat quidam Venerabilis P. (1): *Si in aliqua religionis provincia duodecim inveniantur Religiosi, qui sua mala observantia*

(1) Balthasar Alvarez S. J.

conscientiam R. Prioris excrutiant, undecim sunt studii ignavi, de altero vero id ipsum sine temeritate affirmari potest.

235. Error est: *Mentis assensus iis, quæ re vera non sunt*, seu est, *Actus mentis, quo vel negamus quæ sunt, vel affirmamus quæ non sunt*; et qui de re aliqua affirmat aliter ac est, errare dicitur. Patet differentia erroris ab ignorantia, error est actus, et quidem inordinatus; ignorantia est defectus actûs, et potest omni culpa carere, si est de iis, quæ scire non tenemur.

Plures sunt errorum causæ, quæ ad duas potissimum classes revocari possunt, ad præjudicia nimirum, et ad pravas animi affectiones.

Præjudicia, seu præjudicatæ opiniones, dicuntur quædam anticipata judicia, quæ lata sunt sine motivo sufficienti, vel sine requisita attentione ad motiva. Multiplicis sunt generis; uti præjudicia ætatis, præjudicia patriæ, antiquitatis, novitatis, et auctoritatis magistrorum, aut scriptorum, qui mala docent, vel male bona (1).

Pravæ animi affectiones, seu passiones, (malo hîc sensu acceptæ), dicuntur illi affectus prædominantes et inordinati, quibus mens nostra agitatur, et vehementer impellitur ad sensibilia. Ex iis oritur præcipitatio, mille errorum parens, ac majori hominum parti communis; pauci quippe sunt, qui pravos animi adfectus, ac tumultus domare ac sedare curant. Varii sunt Auctores probatissimi, qui de hoc argumento pertractant, ideoque plura omittimus brevitatis gratia. Consulite Storchenau; Contzen; Rosell.: Genuensem, quamvis istius non omnia probo; Bossuetium, in opere *de cognitione Dei et sui ipsius* cap. 1. § 16.-17. Felicit. Lamén. *indif.*, quamvis hic caute legendus. *Errores*, ait Bossuet, *intellectui non sunt tribuendi, sed potius voluntati, cum enim objectum intellectûs sit verum ex se ad*

(1) Cons. S. Hieron. *Epist. ad Lætam*; Cicero, *Quæst. tusc.* 1. 3.

verum semper tendit, et solum ab eo deviari potest imperio corruptæ voluntatis, l. c.

236. Denique, ad hujus Lectionis conclusionem, addam, veritatem assequi nos dici, cum apprehendimus rem ita esse, ut re vera est, vel non esse, ut non est, quæ est cognitio in actu *exercito*; vel cum cognoscimus nos verum cognoscere, quæ est cognitio in actu *signato*. Consulite Sal. Tong. L. 2.^a c. 1. et 2.

LECTIO 32.^a—PROSEQUITUR DE STATIBUS MENTIS CIRCA VERITATEM.—DE DUBIO, OPINIONE ET PROBABILITATE.—ANIMADVERSIONES QUÆDAM DE SUSPICIONE.—DE CERTITUDINE, DE SPECIEBUS CERTITUDINIS.—UTRUM DENTUR IN CERTITUDINE GRADUS. ANIMADVERSIONES.

237. Dubium est: *Suspensio intellectualis actus affirmantis, aut negantis inter utramque contradictionis partem: est positivum*, cum ex utraque parte adsunt rationes, quæ rem aliquo modo suadere videntur; est *negativum*, cum ex neutra parte rationes ad judicandum occurrunt, aut solum levissimæ atque attentione minime dignæ: hoc dubium negativum idem est ac ignorantia (1).

Est *imprudens*, imo insanum et impium, si fiat sine ratione, vel de rebus per se evidentibus, quales sunt prima principia; aut de rebus evidentiter credibilibus, quales sunt sanctissima Religionis Christianæ Mysteria: est *sapiens* et prudens, si tandiu suspenditur assensus, quandiu ad judicandum rationes sufficientes non appareant.

238. Opinio est: *Prudens intellectus affirmatio, aut negatio unius contradictionis partis, propter motiva satis firma, sed quæ non excludunt metum errandi, propter*

(1) Cons. S. Bonav. in 3. Sent. dist. 17. dub. 3.; S. Tho. de vero. q. 16. á 1.

rationes validas partis oppositæ. Est itaque opinio iudicium aliquantulum permixtum dubio: ad hoc autem iudicium non trahitur mens vi motivorum solummodo, sed voluntatis imperio. Ut hoc voluntatis imperium responsabilitate sit immune, et opinio prudens sit, requiritur

1.° Ut præcedat consideratio, et comparatio motivorum, quæ utramque partem suadent.

2.° Ut, quam amplectimur, pars gravi motivo innitatur. Motiva possunt esse *intrinseca*, vel *extrinseca*; sunt *intrinseca*, cum, rationibus ex natura vel proprietatibus rei deductis, solidantur; sunt *extrinseca*, cum ab *auctoritate* Doctorum petuntur, qui non numero, sed pondere supputari debent.

3.° Ut assensus mentis non sit firmior, quam motiva patiantur.

Opinio prudens potest nihilominus esse erronea; et imprudens cum veritate conjungi: opinio erronea, sed prudens, dicitur error (1) *materialis*; opinio falsa et imprudens est error *formalis*, semper peccatum.

Motiva, quæ opinionem gignere possunt, *quatenus* menti innotescunt, sententiæ *probabilitatem* constituunt.

Ex comparata autem sententiarum probabilitate, alia dicitur *probabilissima* sententia, alia *probabilior*, alia *æquiprobabilis*, alia *minus probabilis*, alia *vix probabilis*. Sententia, quæ gravi destituitur fundamento, et contra se habet probabilitatem maximam, dicitur *improbabilis*. Cæterum sententiarum *probabilitas*, quamvis non omnino, magna tamen ex parte *relativa* est ad opinantis motivorum apprehensionem, ideoque mutabilis. Qui plura desideret adeat Storchenau p. 3. c. 3.; S. Alph. Lig. *systema morale*; Guri, *tractact. de consc.* c. 4. art. 1.; Tongiorgi Log. p. 2. c. 2.

(1) *Errorem* hic non sumimus stricta significatione.

239. Suspicio est: *Propensio quædam ad judicandum, consequens motivorum apprehensionem et aliquam attentionem ad illa*. Excitari potest suspicio sive quia motivum aliquam habet vim suadendi, sive quia voluntas disposita est ac prona ad imperandum judicium. Tum circa opinionem, tum circa suspensionem animadvertite, quod omnino evacuantur, cum oppositi veritas fit certis argumentis evidens; hinc effatum: *præsumptio cedit veritati* (1).

240. Cum mens ab omni erroris formidine liberata judicat, et in judicio immobilis ac firma perstat, tunc *certa* esse dicitur. Est igitur certitudo: *Status mentis firmiter adhærentis veritati cognitæ propter motiva, quæ omne errandi periculum excludunt*.

1.° Certitudo, cum sit mentis affectio, proprie loquendo *subjectiva est*, tribuitur tamen translate etiam enuntiabili, de quo mens certitudinem habet, vel habere potest, et hæc est certitudo *objectiva*; quæ quidem non est solummodo enuntiabilium veritas, sed veritas suis quasi stipata motivis, motivis ejusmodi, quæ ostendant rem aliter esse non posse. Quare objectiva certitudo nihil aliud est, quam *enuntiabilium necessitas*. Cum hæc necessitas menti innotescit, *propositio fit evidens*.

2.° Hæc enuntiabilium necessitas potest esse *absoluta*, vel *hypothetica*. Illa propositio est absolute necessaria, quæ ante omnem hypothesim, et quacumque facta hypothesi aliter ac enuntiatur se habere non potest, ut v. g. *Totum majus est sua parte: Deus est ens à se*. Illa vero est solum hypothetice necessaria, quæ absolute aliter se habere potest, sed supposito aliquo facto contingenti, aliqua conditio, repugnat aliter jam se habere posse; ut. v. g. *Ego existo: Qui peccato lethali saucius ultimum exhalat spiritum, in æternum teterrimas luet pœnas*.

(1) Cons. Log. Tong. part. 2. cap. 2. art. 6.; præcl. Balm. Log. lib. 3. c. 2. sect. 2.

3.º Certitudo, præsertim objectiva, pro diversitate motorum, et fontis unde dimanat, triplex distinguitur: *metaphysica*, videlicet, *physica et moralis*.

a) *Metaphysica* ea est, quæ fundatur in rerum essentiis, seu cujus motiva ejus sunt naturæ, ut absolute, nullo in casu, ne quidem per divinam omnipotentiam fallere possunt, eo quod oppositum contradictionem includat; v. g. *Homo est animal rationale; Deus est ens infinite perfectum*.

b) *Physica* est, quæ fundatur in legibus naturæ á Deo constitutis, seu cujus motiva ejus sunt naturæ, ut fallere non possint sine miraculo in ordine physico, id est, sine derogatione alicui legi universali et constanti naturæ physicæ, quæ derogatio á solo Deo fieri potest; v. g. *Cras sol oriturus est*.

c) *Moralis* est, quæ fundatur in cognitio hominum, societatumque moribus, seu cujus motiva ejusmodi sunt, ut fallere non possint, nisi consuetæ agendi rationis leges, quas apud homines cujuscumque nationis, statûs aut religionis observari videmus, subvertantur; sic certum est, *olim extitisse rempublicam romanam*; certum est, *quod si millies facias talos, non eundem semper numerum tibi reddent*; si aliquis manu tenet centum v. g. typographicos characteres et casu super papyrum projicit, certum est minime scriptas iri primas centum litteras hujus libri. Hæc certitudo moralis ita *strictè* sumpta vocari etiam á nonnullis solet certitudo *sensus communis*. Cum hæc certitudo stabilietur legibus in ipsa mentis essentia fundatis, nullamque hæc leges derogationem admittant, est certitudo á metaphysica non diversa.

Nota. Non est confundenda hæc *certitudo moralis*, seu sensûs communis *strictè* accepta, cum *verisimilitudine*, aut *maxima probabilitate*, quæ vulgo dicitur certitudo moralis, sed in sensu *minus stricto*, et quæ vocari debet certitudo *directiva*, seu *prudentialis*; hac certitudine v. g. pascimur epulis, quæ nobis apponuntur, quas tamen possi-

bile est veneno infectas esse; sic jurisperiti judicant certum esse, quod duobus, vel tribus testibus omni exceptione majoribus probatur. Hæc certitudo moralis minus stricta, seu imperfecta, et prudentialis varios admittit gradus. De ipsa sermo est apud Moralistas; sufficit enim ad licite operandum, et ordinarie alia haberi non potest.

241. Certitudo autem moralis á nobis definita, et de qua solum apud Logicos tractatur, est certitudo perfecta et rigorosa, et ad certitudinem metaphysicam mediate refertur; habet enim fundamentum in legibus moralibus, quæ sunt necessariæ et immutabiles.

242. Certitudo *subjectiva*: est ipsa adhæsió firma et immobilis mentis veritati cognitæ, motivo infallibili innixa. Dicitur etiam certitudo *formalis*, quia sola in stricto sensu certitudo est; ut enim aliquis certus sit de aliqua propositione, non sufficit, ut propositio ipsa sit certa objective spectata, adsitque motivum certum, quo ista propositio cognosci possit, sed requiritur, ut á mente cognoscatur, et quidem per aliquod indubium veritatis indicium; cum autem fieri possit, ut unus indicia veritatis clare perspiciat, alter non, sæpe accidit, ut de eadem propositione alter certus sit, alter incertus.

243. Cum duo sint, quæ certitudinem constituunt, *exclusio*, videlicet, formidinis errandi, et *intensitas* intellectualis assensus veritati cognitæ; planum est, quod, ratione exclusionis formidinis, certitudo nullos gradus admittere possit; vel enim datur perfecta exclusio, vel non; si non datur erit opinio plus minusve probabilis, nunquam vera certitudo, quæ omnem formidinem oppositi excludit: ratione vero intensitatis potest admittere gradus subjectiva certitudo *juxta excellentiam actus et causarum ejus*, ut ait Suarez (1), quin vera desit esse certitudo; quia magis vel minus non mutat speciem: quis, v. g. non assentit

(1) Tractat. de fide, Disp. 6. Sect. 5. § 8.

majori impetu, ut ita dicam, veritatibus immediate evidentibus, et iis, quæ nobiliori motivo innituntur, auctoritate e. g. Divina, majorique et excellentiori lumine supernaturali illustratus, quam veritatibus physice, vel moraliter certis, vel qualicumque ratione naturali probatis? Nihilominus alii, quamvis, ut mihi videtur, immerito, aliter opinantur.

244. Hujus Lectionis coronidis gratia animadvertite: 1.° Certitudinem metaphysicam, physicam et moralem inter se specie differre, prout differunt principia, et motiva, quibus innituntur: 2.° Certitudinem physicam, et moralem esse hypotheticas: 3.° Certitudinem metaphysicam esse maximam possibilem, deinde moralem strictam, deinde physicam, ac postremo moralem prudentialem, maxime si agatur de particularibus; Deus enim potest derogare legibus physicis, easque mutare; non ita derogabit legibus, quæ in hominum natura et naturalibus propensionibus fundantur, ut sunt amare verum, honorari velle, mendacis notam horrescere, commoda quærere, etc. D. q. d. e.

LECTIO 34.^a—DE CERTITUDINIS EXISTENTIA.—BREVIS HISTORIA.—PROPOSITIO.

245. Quicumque ratione pollet, spontaneo suarum facultatum exercitio certitudinem de factis, de principiis, ac de conclusionibus absolute plurimis firmissimam acquirit. Ante omnem enim philosophorum disputationem, certitudinem humanæ vitæ adeo necessariam, in tuto collocavit natura, cum et media suppeditavit illius acquirendæ, et usum mediorum ipsa per se docuit, ac tantopere mentem nostram veritati adstrinxit, ut dubitare de pluribus rebus, etiamsi conemur, nullo modo possumus.

246. Exstiterunt nihilominus inter philosophos ridiculi, irrisibilesque homines, qui contenderent, certitudinem omnem naturalem, si accurate à *sapiente* expendatur,

omnino evanescere, ut quæ nullo innixa fundamento, aut plane infirmo.

Tam maximè absurdæ theoriæ occasio præbuit Xenophanes (540 ann. ant. ær. vulg.) suis physicis, pantheisticisque elucubrationibus, statuens omnia physica et intellectualia phænomena non aliam habere realitatem, quam ipsam mentis modificationem (1), quem sequutus est Parmenides (435), Milesius, Protagoras Abderitanus (450), Arce-silas (370), et Carneades (212), qui é platonica schola egressi *Academici* nomen adepti sunt, et quorum discipuli, *sophistæ appellati*, usque adeo progressi sunt, ut non solum veritatem, sed ipsam possibilitatem veritatis inveniendæ negabant, unde ne eam quærendam arbitrabantur (2). Huic absurdæ theoriæ tertiam addidit periodum Pyrrho Eleates (336. A. C.) è Aristotelis et Epicuri castris egressus, unde *pyrrhonismus* vocari cœpit. Pyrrhonicum autem haud negabant possibilitatem inveniendæ veritatis, nec ipsam affirmabant, sed hoc ipsum ignorare se profitebantur; nihilominus eam quærebant, ex quo etiam *sceptici*, id est, *quæsitores*, vel etiam *Acataleptici* nuncupati sunt; nomine vero *scepticorum* communiter significantur quicumque de certitudine, vel ex toto, vel ex parte dubitant: quamvis qui admittunt veritatem et cognitionem pure subjectivas, negantes vero earum objectivitatem, *idealistæ* nuncupari solent; qui prior systematice hoc tentavit, fuit Ænesidemus (80 post. C.), quem exinde magna sequuta est scepticorum turba, fere omnes, quod magis mireris, medici erant, usque ad Sextum Empiricum (sæc. 2. post. C.) (3).

(1) Delalle, *curs, controv. Chatol.* Tom. 2. part. 3.

(2) Sextus Empiricus, *Pyrrh. Hypotypos.* Lib. c. 1.; S. P. August. *De Civit. D.* lib. 19 caps. 1—2.

(3) Cons. Sext. Emp. *Pirrh. hyp.* Lib. 1.; Diog. Laërt. lib. 7. Protagoras. et Pirrh.; Plato in *Georgia.*; Eusebius, *Præp. Evang.* lib. 14; c. 18; Clemens Alex. *Strom.* lib. 8. c. 15.; Mr. Delalle op. cit.; Feijoo, *Theat. Crit.* Tom. 3. disc. 13.

Non defuerunt inter recentiores, qui plus minusve diserte, aut æquivalenter, humani intellectus jura proderent, et ad dubitantium signa transfugerent. In his præcipue Baylius, Humius, Kant, in percelebri libro, cui titulus: *Critica rationis puræ*, quique somniis Fichtei, Schelingi, cæterorumque in causa fuit; non placet tempus insumere in ejus principiorum expositione; certus quod multi, qui de his loquuntur, non tantam patientiam habuerint, ut talibus næniis se occupassent (1).

Nunc breviter contra hos omnes demonstrabimus impossibilitatem universalis dubii de omnibus; deinde impossibilitatem dubitandi de veritatibus primitivis; ac postremo agemus de principio à quo, sive de intellectu, et de valore objectifo suorum actuum. De idealismo et egoismo postea.

PROPOSITIO. *Universalis dubitatio non solum physice repugnat, sed etiam intrinsecam contradictionem involvit.*

247. *Probatur 1.^a pars.* 1.^o Quicumque mente ac ratione instructus est, naturali necessitate cogitur ad certitudinem admittendam, ac de pluribus rebus dubitare vel ad momentum nequit, nisi rationem ac naturam exuat: *verum* est hominis objectum, quatenus ens intelligens est; unde *incredibilis inest ipsæ* (humanæ naturæ) *veri visendi cupiditas*, ut ait Tullius (2); quid enim fortius desiderat anima, quam veritatem? (3) Nihil, ut unusquisque in se experitur, et ipsa probat acris anxietas atque formido falsum pro vero accipiendi. Jam vero naturam exuere nemo potest, etiamsi velit; ergo etc.

Quemadmodum igitur fieri nequit, ut qui sensu pollet, frigus et calorem suis temporibus non sentiat, ut qui oculos habet et aures, non videat aliquando, aut non audiat, ita

(1) Tong. Log. pars. 2. lib. 2. c. 4. ar. 2.

(2) Acad. lib. 3.

(3) S. P. Aug. Tract. 26 in Joh. parum ab init.

nemo assequi potest, ut homo cum sit, certitudinem omnem abjiciat; *Necesse est*, ait Tullius (1), *ut libram ponderibus impositis deprimi, ita animum perspicuis cedere.*

2.º Id ipsum demonstrat perpetua pugna inter doctrinam scepticorum, ipsorumque agendi rationem. Hi enim in omni vitæ ordine et consuetudine eodem plane modo sese gerunt ac reliquum mortalium vulgus; minime igitur putandum est, eos de omnibus dubitasse. Quot ridicula narrantur de ipsis scepticorum parentibus! velut cum Pyrrho á rabido cane invaderetur fugam arripuisset; qua de re cum postea ab amicis argueretur, respondit: *difficile esse naturam exuere, conandum tamen*; et Diodorus, qui motum localem negabat, cum ei humerus amotus esset, continuo medicum arcessivit, á quo curaretur. At medicus occasionem assumens sophisma retorsit in Diodorum; in-quiens, casum illum minime contingere potuisse, quippe quod humerus et ossa á suo loco amoveri minime valuissent. Verum ille mærens, per Deos deprecari cœpit medicum, ut missis nugis, morbido damno remedium adhiberet.

248. *Prob. 2.º pars.* Scepticus enim vel certitudinem absolute negat, vel de ea dubitat; atqui utrumquæ implicat contradictionem. Implicat 1.º; nam qui absolute certitudinem negat, vel hanc negationem ut *certam* profert, vel ut incertam: si ut certam, ergo negando certitudinem certò certitudinem affirmat, ergo de eodem simul affirmat et negat: si ut incertam, ergo male negat.

Apposite Lactantius: «ut nihil sciri posse sciendum sit, »aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias »id ipsum nihil sciri posse tollitur. Itaque qui velut sententiæ loco pronuntiat, nihil sciri, tamquam præceptum »profitetur et cognitum: ergo aliquid sciri potest. Huic »simile est illud quod in scholis proponi solet. *Somniasse »quemdam ne somniis crederet.* Si enim crediderit, tum

(1) Cons. S. P. Aug. de Civ. D. lib. 2. cap. 26.

»sequitur, ut credendum non sit. Ita si nihil sciri potest, »neccesse est id ipsum sciri, quod nihil sciatur.» (1)

249. Insuper, si *dubitat* suspendit assensum mentis ob formidinem erroris (237); atqui nemo potest formidare errorem, nisi qui noscit quid sit error, ignoti enim nulla formido; sed qui noscit quid sit error, noscit quid sit veritas, et quid sit ab ea dissentire; ergo dubium ex sua natura præsupponit et stabilis certitudinem variarum cognitionum. Et profecto, qui dubitat noscit quid sit dubium, quid certitudo, quid veritas, quid error, et qua in re hæc inter se discrepent; noscit se posse errare, se timere, se dubitare; noscit *rationem*, propter quam dubitat, noscit sibi dubitandum esse; atque ante omnia cognoscit se existere. Pulchrè ad rem S. P. Augustinus (2): *Omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit et de hac re, quam intelligit, certus est; de vero igitur certus est: omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet: ne ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare.* Et alibi (3): *Nulla in his veris Academicorum argumenta formido, dicentium. Quid si falleris? Si enim fallor sum. Nam qui non est, utique nec falli potest: ac per hoc sum si fallor.... Sicut enim novi me esse, ita novi etiam hoc ipsum, nosse me.*

Denique, scepticus docet, rationem in omnibus esse fallacem, adeoque de omnibus mentis cogitationibus dubitat. At quo pacto in hanc persuasionem devenit? Sane rationis *usu*, rationis argumentis, rationis iudicio. Ergo in eo ipso, quod rationi fidem denegandam esse decernit, rationi suæ fidem adhibet (4).

(1) Divin. Instit. Lib. 3. cap. 6.

(2) *De vera Relig.* cap. 39.

(3) Lib. 11 cap. 26. de Civ. D. Lege, et exsibila Cartesium.

(4) D. Eduard. Alletz. Essai sur l' homme sect. 2. l. 1. c. 7.

Ex his, aliisque, quæ facile ratio ultro suggerit, colliges scepticismum, seu dubitationem universalem, metaphysice impossibilem esse.

250. Unde sequitur: 1. Cum sceptico impossibilem esse omnem disputationem. Omnis enim disputatio incipiat necesse est ab aliquo principio utrinque admissio, scepticus autem omne respuit principium, omnem vim ratiocinio negat, de sua ipsa existentia dubitat, simulat saltem hæc omnia: igitur etc. (1).

2.° Impossibilem redit omnem scientiam, estque exitiosus societati, injuriosusque naturæ rationali scepticus; nam homini rationem denegat et ipsum cum bestiis confundit.

Cum sceptico igitur veluti *cum entibus ratione carentibus* vitæ nostræ modus esse debet.

251. Forsitan aliquis ex his, qui sceptici personam induunt, nobis opponet:

1.° Vera philosophandi methodus ea est, quæ ab omni errore maxime immunis est ac segura; atqui talis est methodus sceptica, quæ nihil certo affirmat; ergo etc.

Resp. 1.°; Vel scepticus hanc proponit difficultatem ut *certam* et ab ipso habitam ut talem, vel non. Si 1.^m ergo fatetur scepticus existere certam cognitionem; dum igitur negat, de eodem affirmat idem.

Si 2.^m ergo sunt tantum difficultates inanes et mendaces, et ipse hoc novit et fatetur.

R. 2.° *Trans. maj. nego min.* Etenim methodus scepticorum decumanum pessimumque errorem affirmat. Cæterum, vera philosophandi methodus non de hoc solum sollicita esse debet, scilicet, ut errores caveat, sed de eo in primis ut veritatem assequatur et stabiliat, secus stipites, et trunci, qui numquam errant, et mulus essent philosophorum maximi.

Opp. 2. Ratio humana utpote finita est fallibilis, et

(1) Cons S. Thom. 1. Poster. Lect.; Clem. Alex. Strom. 8,

quia semper finita, semper fallibilis; ergo nulla unquam ipsi fides adhibenda.

R. 1.º Quis hoc scepticis revelavit? si ratio semper errat, nonne errare putanda est in hoc, quod ipsi asserunt? Quot contradictiones deglutiunt sceptici!

R. 2.º Dist. 1.ª ant. part.: Est fallibilis per se, *nego 1.ª ant. part.;* est fallibilis per accidens, *conc.*

Dist. etiam 2.ª ant. part. Ratio est semper fallibilis: id est, semper est illa ratio, quæ interdum ac per accidens fallibilis est; *Conc. 2.ª part.:* semper est fallibilis: i. e. semper actu ac per se potest falli; *nego 2.ª part. antced.*

Ratio est quidem finita, ac plurima ignorat, quæ addiscenda illi sunt; at per se millatenus est fallibilis. Nam in ejus apprehensione falsitas esse nequit; judicia autem, quæ sponte ratio ponit, errori obnoxia non sunt; nam, ut ex dicendis videbitis, ratio ex se non judicat, nisi ad judicandum determinetur ab evidentia, quæ quidem, cum sit *enuntiabilium necessitas menti innotescens*, cum falsitate sociari non potest. Cum itaque veritas est evidens, ratio ex se est infallibilis. Cum autem veritas evidens non est, ratio ex se non judicat, sed tunc solum potest á voluntate ad falsa judicia pertrahi: propterea est fallibilis per accidens. Itaque tantum sequitur, quod cum veritas evidentia mediata, aut immediata non fulcitur á judicando, si materia subjecta permittit, abstinendum est.

Cæterum, vix ullum invenietis scepticum, nisi in materia *Religionis*, quod quidem probat, ipsos non rationibus, sed passionibus pessimis blaterare.

De his pro nunc satis, videamus quas primitivas veritates ante omnia admittere debeamus.

LECTIO 35.º—DE VERITATIBUS PRIMITIVIS.

252. Cum non solum physice, sed etiam intrinsecè repugnet universalis dubitatio, consequitur manifestè non

posse philosophiam ab universali dubitatione initium sumere, nisi velimus hanc præclarissimam scientiam inter absurda deliramenta rejicere. Philosophia enim est *inquisitio in certam veritatis cognitionem*; non potest autem *inquiri* id, cujus aliqua saltem notio non certo habeatur, neque ulla est *certitudo* sine intuitu infallibili et veritatis, et motivorum, ob quæ veritati cognitæ mens sine erroris formidine adhæreat; ab aliqua igitur affirmatione, eaque extra omnem dubitationem collocata, omnis philosophia exordiat necesse est; alioquin enim, vel unam veritatem per aliam demonstraret, et hanc per illam; vel in infinitum progrediretur demonstrando aliam per aliam; vel in aliqua veritate, seu principio infallibili sistendum est; duo prima supposita cum absurda sint, et omnem demonstrationem impossibilem reddant, tertio inhærendum nobis est.

Igitur ad omnem certitudinem, ad omnemque scientiam necessaria, absolutaque conditio est, ut quædam affirmentur absque demonstratione, non modo ut certa, sed etiam ut omnis certitudinis fundamentum, et qui putat in omnibus ope solum demonstrationis ad certitudinem philosophicam perveniri posse, ipsam philosophandi destruit possibilitatem.

253. Neque inferat scepticus, primam hanc affirmationem, si demonstrationis effectus non sit, arbitrariam, et sine motivo, ac suppositionem potius quam *certam* affirmationem fore.

Aliud est enim aliquid affirmare sine motivo, aliud affirmare sine demonstratione. Si qua enim veritas est evidens per se (1), ita ut in se habeat vim se suadendi

(1) Postea videbimus, *evidentiam* esse universale veritatis criterium, ac ultimum certitudinis motivum, interim cons. S. P. Aug. *De Trinit.* Lib. IX. cap. 12.; S. Thom. Lib. de Causis cap. 8.; In lib. I. sent. dist. 3. q. 2. á 2; sum. Theo. 1. 2.^æ q. 66. á 3.

assensumque extorquendi, quin eam ab aliis veritatibus mutuetur, tunc talis veritas jamjam certissima erit, et à philosopho admitti poterit ac debet absque demonstratione ulla ullave hæsitatione. Si nulla esset veritas ejusmodi, utique nec ulla esset certitudo, saltem rationabilis et philosophica: verum enimvero firmissimæ exstant veritates primitivæ et fundamentales, in quibus omnis certitudo et scientia innitur, quæque *rationem* sui in seipsis habent, quin sit possibile ut mentis assensum ipsæ non statim rapiant

254. Tales autem primitivæ veritates sunt hæ tres, videlicet

Primum factum, quod est existentia propria:

Primum principium, quod est principium, quod vocant contradictionis: *idem non potest simul esse et non esse.*

Conditio prima, quæ est rationis aptitudo ad veritatem assequendam (1).

Et profecto, 1.º æquum, et necessarium est, ut ante philosophiam philosophi *existentia*, ante demonstrationes demonstrationum omnium *principium*, et ante scientiam scientiæ *possibilitas* tuto, et certe citraque omnem ambiguitatem posita sint ac constituta.

2.º Cum duplex sit cognitionum nostrarum ordo (111), *idealis*, scil. et *realis* (2), in utroque primum aliquod principium primitivum ac fundamentale inveniri necesse est: jam, in ordine *reali* invenitur *primum factum*, in ideali *primum principium*. Utrumque simul ad constituendam scientiam necessarium est, sed unumquodque per se insufficiens. Nam *primum principium*, abstractum cum sit, non potest parere scientiam, nisi hypotheticam; *factum* autem solum infecundum per se est, et ad quidquam concludendum prorsus inutile. Ergo præter *principium* et *factum*

(1) Cons. præc. Jac. Balm. Phil. Elem. *Ideo*. cap. 14.

(2) Cons. id. Balm. l. c.

tertium aliquod insuper requiritur, quod utrumque ordinem inter sese componat, per quod et facta ad ordinem idealem transvehi, et ideæ rebus applicari possint: hoc autem erit impossibile, nisi ponamus mentem posse habere ideas objectis conformes. Patet igitur fundamentales veritates esse omnino tres, *ita ut, vel una vel altera subblata, totum humane certitudinis ædificium corruat necesse est* (1). Et profecto:

PROPOSITIO. *Tres recensitæ veritates, quoniam primitive, absque ulla demonstratione á philosopho admitti ut certissimæ et possunt et debent.*

255. Si quæ veritates adeo sunt manifestæ, ut 1.º nulla egeant demonstratione; ut 2.º omnem demonstrationem refugiant, utque 3.º ipsa dubitatione vel negatione affirmantur; tales veritates absque ulla demonstratione á philosopho admitti et possunt et debent; atqui tres primitivæ veritates recensitæ sunt ejusmodi, ergo etc. Major á nemine in dubium vertitur. Prob. Min.

1.º *Nulla egent demonstratione.* Sunt enim humanæ menti immediatè evidentes, atque in lucis similitudinem sese ipsæ per se demonstrant, mutuatæ igitur lucis illustratione non egent; unicuique hoc patet. Quemadmodum autem se veras necessario cuique probant, ita quoque necessario assensum mentis ad se rapiunt, eumque adeo firmum, ut de ipsis dubitare mens nullatenus possit (2).

2.º *Omnem effugiunt demonstrationem.* Quicumque enim veritates istas demonstrare aggreditur, necessario *petit principium*, supponendo quod demonstrare vult. Nam

256. á) Factum existentiaæ propriæ non aliter demonstrari potest, nisi aliquam animi proprii affectionem in præ-

(1) Præcl. Balm. Fil. fund. L. 1.; ubi hoc argumentum solide pertractat, etsi Cartesio nimis obsequitur: legite præsertim. c. 14.

(2) Doctus Magister, si ipsi placet, poterit exemplis et dialogo assertum illustrare ac confirmare.

missis affirmando v. gr.: *Cogito ergo sum*. Atqui in omni hujuscemodi iudicio affirmatur propria existentia, et quidem diserte: *Cogito* enim idem est ac *sum cogitans*; ergo etc.

b) Principium contradictionis in omni demonstratione supponitur. Omne enim principium, omne ratiocinium, quidquid habent necessitatis, ab eo desumunt. Si enim hoc principium nutaret, si idem posset simul esse et non esse, quodnam principium necessarium, quæenam ratiocinatio legitima superesset?

c) Rationis aptitudinem ad veritatem assequendam si quis demonstrare vellet, is profecto supponeret, posse demonstrationis ope particularem hanc agnoscere veritatem. Demonstratio autem est rationis opus. Ergo supponeret posse à ratione veritatem cognosci.

3.º *Hæ veritates ipsa negatione, vel dubitatione affirmantur.*

a) Si enim falli times, jam te existere fateris. *Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest* (1).

b) Qui negat aliquid, id negat, quia putat falsum esse et verum non esse: qui dubitat de aliquo, ideo dubitat, quia timet ne falsum pro vero amplectatur. Ergo quicumque negat, vel dubitat, supponit *falsum non posse verum esse*. Certus est igitur de contradictionis principio.

c) Demum, qui aliquid in dubium adducit, vel negat, hoc saltem certo cognovit verum: *esse dubitandum*, scilicet, *vel negandum* (247): Fatetur igitur aliquam veritatem rationi compertam esse posse.

Ex his omnibus manifestum fit quod proposuimus (2),

Objicies cum Sexto Empirico (3).

(1) S. P. Aug. *de Civit. Dei* lib. 11 cap. 26.

(2) Consl. Balmesium l. c.; Tongiorgi *Log. part.* 2. l. 1. c. 3.; S. P. Aug. *Cont. Acad.* præsertim lib. 3.

(3) Pyrrhon, *hypotypos* lib. 1. c. 15.

257. Si quid dogmatici confirmare volunt, in unum ex his tribus incommōdis incidunt: videlicet, vel in confirmationem rei propositæ afferunt aliquid, quod confirmatione eget usque in infinitum; vel sistere coguntur in aliqua propositione, quam non probant, sed supponunt et assumunt tanquam veram; vel inveniunt, id, quo res, de qua quæritur, confirmanda esset, hoc ipsum vicissim indigere, ut confirmetur. Sed in primo casu offendunt in progressum infinitum, qui est impossibilis: in altero gratuito supponunt verum, quod alter supponere falsum potest; in tertio circulum vitiosum vitare nequeunt. Semper ergo, si sapiunt, assensum retinere, et cum scepticis dubitare cogentur. *Resp. Nego disjunctivam.* Superest enim quod præsto sint veritates quædam, quæ demonstratione non egeant, quæque non supponantur, sed veræ necessario agnoscantur. His innixi dogmatici, omne incommōdum vitant. Incommōda vero majora urgent scepticos, qui cum suam doctrinam nobis persuadere adnituntur, velint nolint, oppositam admittunt.

258. Priusquam finem huic imponamus Lectioni, animadvertite, quod ab ipsa nostra essentiali constitutione, ab ipsaque rationis essentia determinamur ad certo necessarioque assensum præstandum quibusdam primitivis atque fundamentalibus veritatibus; cum enim ratio sit *forma* intellectûs, seu intellectus in actu rationandi, prorsus inutilis foret ipsa ratio et impossibilis talis actus, nisi veritates quasdam communes et necessarias immediate intellectus contueretur. Plura addi possunt; attamen, cum Lectio nimis protrahatur, segetem vobis, studiosi Juvenes, relinquimus. D. q. d. e.

LECTIO 36.*—DE PRINCIPIIS CERTITUDINIS, ET DE PRINCIPIO
 À Quo.

259. Cum in præcedentibus Lectionibus ageremus de

veritate et de mentis statibus circa illam; ac de certitudine, certitudinisque existentia aliqua attingissemus; restat ut de certitudinis principiis disceptatio instituatur. Sed cum unum ex iis principiis sit illa primitiva veritas, scilicet *rationis aptitudo*, de qua immediate sermonem fecimus, iterum de ea ipsa sermo redit, utque in tuto collocata ad alia subsidiaria principia sequenti Sectione progrediamur. Brevis ero.

260. Intelligimus nomine principii certitudinis: *Omne illud, per quod veritatem assequimur, illamque á falsitate distinguimus*; seu *id, quod alteri communicat intelligibilitatem suam, et evidentiam*. Hoc vocabant veteres *Criterion* (judicandi principium) (1). Cum enim sapientissimus Deus corpore et spiritu nos coagmentasset, quibus tum de mundo materiali, tum intellectuali participamus, in utroque ordine magna suppellectilij magnifice nos cumulavit, et facultates, mediaque omnia donavit, quibus, nobis bene utentibus, propositum finem assequeremur.

Hæc verumtamen principia, quamvis aliunde multiplicia, presse ad tria reducuntur, scilicet:

1.° *Principium á quo*: Nempe á quo veritas cognoscitur, iudiciumque fertur de cognitionum veritate. Hoc principium est ipse intellectus.

2.° *Principium per quod*: Quod complectitur omnia illa media, seu instrumenta, per quæ veritates intellectui offeruntur, exhibentur, ac veluti sistuntur. Hoc multiplex est, ut videbimus.

3.° *Principium secundum quod* veritatem á falsitate distinguimus (*Criterion*). Hoc principium complectitur omnia motiva, quæ certitudinem gignunt.

(1) Nunc vero Criterii nomen coarctatur ad significandum illam *notam, signum et characterem*, quo veritas á falsitate distinguitur: Cætera autem vocantur *fontes*, seu media, quibus materiali, intellectualique mundo communicamus.

Nunc de primo, sequenti Sectione de altero, tertium Logicam claudet.

Nota. De intellectûs, ejusque operationum natura disputabimus in Psychologia, hic tantum agimus de ejus *aptitudine* ad veritatem assequendam, cognoscendam, possidendamque et de *valore* suorum actuum. Sit itaque

261. THESIS I.^a *Negatio intellectûs cum se ipsa metaphysice repugnat.*

Per se patet. Nam negatio est essentialiter actus intellectûs, quia non solum supponit ideas, sed insuper aliquam inter eas comparisonem, et intellectionem earum convenientiæ, aut discrepantiæ, seu remotionis, ut inter ens et non-ens; ergo intellectus negando seipsum, seipsum supponit et exercet, ac movet mediate ad istum actum; ergo sese affirmat priusquam se neget.

262. THESIS II.^a *Intellectus seipsum reflexe ignorare non potest.*

Explic. Ignorantia reflexa ea esset, quâ intellectus intimè sciret et cogitaret se ignorare: an aliquid cognoscat, vel an sit aliquid: atqui illa ignorantia repugnat, ut patet. Etenim hoc modo ignorare, est eo ipso percipere et scire: quid sit cognoscere, et scire se esse intellectuum; ergo etc. (1).

263. THESIS III.^a *Intellectus non potest de se ipso dubitare.*

Explic. Dubitare est ignorare reflexè; atqui hæc ignorantia ex dictis repugnat; ergo etc. Insuper, si dubitare de seipso posset, dubitaret uno ex his tribus modis; nempe, an aliquid cognoscat: an sit intellectus, vel an sit aliquid; sed hæc tria dubia repugnant; nam supponunt easdem prævias perceptiones ac negatio ipsa; et tandem cum dubitare sit actus intellectûs, dum dubitat de se ipso seipsum affirmat; ergo etc.

(1) Fournier, Log. speci. cap. 1.

Hinc sequitur, intellectum non posse justo jure requirere sui ipsius definitionem aut probationem; ideo enim requiritur rei cujuscumque definitio aut probatio, ut sciat: *quid res illa sit, aut an sit*: atqui intellectus, qui non potest se ignorare, scit se esse intellectum; ergo scit se esse, et quid sit.

264. THESIS IV.^a *Intellectus non potest se habere ut errori obnoxium circa se ipsum.*

Explic. In tantum erraret intellectus circa se ipsum, in quantum intelligens se esse intelligentem, et intellectum, et aliquid, tamen nec intelligeret, nec esset intellectus, nec aliquid; atqui hoc repugnat. Etenim perciperet se ipsum talem esse, id est, intelligentem, et perciperet simul se esse intelligentem, seu intellectum repugnare; id est, perciperet se esse simul et non esse, esto, sed hoc est quod plane repugnat; ergo non potest se habere ut errori obnoxium.

LECTIO 37.^a—DE REALITATE OBJECTIVA ACTUUM INTELLECTUALIUM.

265. THESIS I.^a *Intellectus negare non potest realitatem objectivam suorum actuum.*

Explic. Realitas objectiva actuum intellectualium in eo esse intelligitur, quod quidquid mens actu percipit, sit aliquid saltem possibile, seu excludens nihilum absolutum; atqui intellectus non potest negare hanc realitatem, quin neget ipsam negationem, et ideo quin affirmet. Non potest negare se esse intelligentem, non potest percipere se non percipere, quin aliquid percipiat; percipit igitur se non posse nihil percipere; ergo percipit se non magis posse negare realitatem objectivam suorum actuum, quam actus suos et se ipsum. Et vere, quidquid exhibet idea, seu perceptio intellectualis, illud est in se reale, sicut exhibetur: si enim exhiberet aliter ac est, exhiberet me-

rum nihilum; nam exhiberet id quod non est, ac proinde nihilum, quod repugnat. Sit ex. gr. idea circuli: si ista idea exhiberet circulum aliter ac est, exhibere merum nihilum; nam exhibere circulum aliter ac est, esset illum exhibere ut triangulum v. gr., vel quadratum, etc.: atqui circulus sic exhibitus est quid absolute impossibile, ut patet, ac merum nihilum; ergo etc. Quod autem dicitur de idea circuli, de omni idea dici potest.

Præterea, mens percipiens, vel exprimit in se similitudinem objecti, quod percipit, vel non; si primum conceptus erit verus, et apprehensio recta; si alterum, jam falso dicitur mentem objectum illud percipere; percipere enim objectum idem est ac illud in mente exprimere. Ergo omnis conceptus mentis percipientis aut verus est, aut nihil; ergo mens, si percipit, non potest dubitare de realitate objectiva actûs percipiendi, quin se contradicat, id est, dum percipit non percipiat. Hinc colligitur

Repugnare commentum Kantii dicentis: non esse necessariam connexionem inter ideas earumque objecta, aut actus intellectuales: ideas nempe, ajebat, judicia, ratiocinia esse mēras formas intellectûs, quibus non respondent nisi mera phænomena, seu meræ apparientiæ, et ipsum *ego*, ajebat, esse *ego* phænomenicum; qui post hæc, sibi contradicens, admittebat realitatem objectivam, quam, ut novitatem simularet, *noumena* vocabat, quamvis negaret à cognitione ad *noumena* esse legitimum transitum; id est, juxta ipsum, *Certum est nihil certè cognosci*. Quis non videt scepticorum contradictionem? Hæc atiaque absurda deducebat idealistarum antesignanus ex falso principio, quo admittebat judicia synthetica à priori. Non vacat hæc persequi (1). Transeamus igitur ad alia.

(1) Consul. Tong. *Log. part. 2*, lib. 2. cap. 4. art. 3; Prisco, *Elem. philo.* Tom. 2. Critereologia, art. 1. ed. Matr. Tejad.; Scotum, in I. sent. dist. 3. q. 4. n. 6. et seqq.

266. THESIS II.^a *Intellectus non potest reflexe ignorare realitatem objectivam suorum actuum.*

Explic. Intellectus non potest ignorare suos actus, nec seipsum ex dictis; atqui percipit, se et suos actus nihil fore, sine ista realitate (Propos. 5 præc. Lec.); ergo percipit se non posse ignorare hujusmodi realitatem.

267. THESIS III.^a *Intellectus non potest dubitare de realitate objectiva suorum actuum.*

Explic. Intellectus non potest dubitare de se ipso; atqui percipit, se et suos actus non posse esse absque ista realitate, ex dictis; ergo percipit se non posse dubitare de ista realitate. Insuper, hoc dubium, præsupponit ideam realitatis objectivæ istorum actuum; intellectus namque non potest dicere: *dubito*, vel *ignoro*, quin præsupponat ideam *dubii* et *ignorantice*, atque distinctionem realem ignorantiam dubiumque inter et certitudinem; ergo etc. Hinc sequitur, intellectum non posse requirere definitionem aut probationem ejusmodi realitatis, siquidem illam percipit, et cognoscit quid illa sit, sicut cognoscit quid sit ens.

268. THESIS IV.^a *Intellectus percipit, se non posse errare circa realitatem suorum actuum.*

Explic. Intellectus percipit, istum errorem in hoc tantum situm fore, scilicet; quod ipse haberet perceptionem objecti, quod tamen nihil esset; atqui hoc repugnat absolute, et hanc repugnantiam et ipse percipit ex dictis; ergo etc. Insuper, cum actuum intellectualium elementa ideæ *sint*, sit

269. THESIS V.^a *Objectivus idearum valor 1.^o demonstrari nequit; 2.^o demonstratione non eget; 3.^o ipsa negatione vel dubitatione affirmatur (1).*

270. Nota in primis, cum de objectiva idearum realitate quæritur, hoc esse quod in questionem adducitur, scilicet: utrum eæ notæ, quæ in ideis præsertim primitivis

(1) Salv. Tong. Log. part. 2. lib. 2. cap. 4.

continentur expressæ, sint extra mentem in iis rebus ad quas hujusmodi ideæ referendæ sint; an vero sint tantummodo modi quidam subjectivi secundum quos intellectus noster format ac fingit objecta. Propterea hæc propositio: *ideis respondet objectiva realitas*, congruit prorsus cum illa: *mens est apta ad assequendam veritatem*, quæ est una ex primitivis veritatibus. Nam si humanæ mentis ideæ sunt formæ quædam subjectivæ, ac modi quidam judicandi ex ipsa mentis natura definiti, quique objectivas rerum *rationes* nullatenus repræsentant, ut blaterat criticismus transcendentalis, certe humana mens nunquam esse poterit conformis objectis, ac propterea ad veritatem assequendam erit incapax et inepta. Itaque assertio hæc: *ideæ exhibent objectivam realitatem*, primitivæ veritatis loco habenda est; nihil proinde mirum, si omnes primitivarum veritatum dotes sibi vindicat (255. seq.)

271. *Prob. nunc 1.^a P.* Quodcumque medium assumatur ad hanc veritatem demonstrandam hoc erit aliqua idea; jam vero, vel hanc ideam præsupponitur habere valorem objectivum et ipsi tribuitur, vel non. Si primum, jam supponitur certum, quod probare contenditur; sin autem secundum, impossibilis probatio, nihil in æternum concluditur.

272. *Prob. 2.^a P.* Tota hæc quæstio reducitur ad realitatem primæ ideæ, quæ est idea *entis*. Nam ex idea entis formantur prima principia; ex primis autem principiis, accedente experientia idearum, quæ deinde seu acquiruntur, seu formantur, objectiva realitas vel immediate consequitur, vel saltem demonstrari potest. (vid. III.^a Ontologiæ Disputat.)

Hoc posito, sic argumentatur; hæc assertio; *ideæ exhibent objectivam realitatem*; redit ad hanc; *idea entis exhibet objectivam realitatem*. Nempe aliis verbis: *res, quæ est mentis objectum, est aliquod ens*. Jam, nonne hæc propositio demonstratione eget?

273. *Prob. 3.^a P.* *Objectivus idearum valor affirmatur*

negatione. Qui enim negat idearum naturam hanc esse, ut sint repræsentativæ objectorum, is affirmat, hanc ideam, quam habet de idea (ut, videlicet, sit mera forma subjectiva et non repræsentativa objecti) ipsi ideæ esse conformem; incidit igitur in contradictionem.

Affirmatur dubitatione. Qui enim sic dubitat, supponit saltem, reale objectum respondere ideis *ideæ, objecti, conformitatis, diversitatis, dubitationis, subjecti dubitantis* etc. Quæ nisi supponat, de quo tandem dubitat?

274. Hinc colligitur eos, qui dubitant de idearum objectivo valore, dubitare debere:

1.° *De primis principiis.* Etenim prima principia, ut quæ analytica, seu á priori, efflorescunt ex quarumdam idearum consideratione et comparatione, quibus intellectus immediate videt unam ideam in alia contineri. Si ergo ideæ objectivo valore destitutæ sunt, hæc quoque principia inania sunt, nec per ea possumus quidquam de objectis decernere,

2.° *Dubitare debet de internis factis conscientiæ.* Nam certitudo de internis factis est in intellectu ea percipiente per reflexionem, quâ ideam ipsorum acquirit. Igitur si dubium est, an ideæ objectivam realitatem offerant, dubium quoque erit, an facta interna se habeant, ut percipiuntur. Ipsa idea proprii subjecti (*ego*) erit fortasse ¡heu! vana illusio, ideoque de nostra propria existentia ex tunc nobis esset dubitandum. Ecce quo nos conducant sectatores criticismi transcendentalis. Progressus!

3.° *Insuper; Non possunt ullum iudicium ponere.* Etenim in omni iudicio affirmatur objectum aliquod ita se habere, ut ideâ prædicati exprimitur (110 seq.) Hoc autem affirmare nequit, qui de idearum vero valore objectivo dubitat.

4.° *Denique; Neque possunt ratiocinari.* Ratiocinium enim iudiciis quibusdam continetur et primis principiis innititur. Igitur ex his omnibus patet quod probandum

erat; immo liquet, dubium universale de idearum valore, non solum physice, sed etiam metaphysice esse impossibile, corrumpitque totum Kantii systema. Totum enim hoc systema hūc redit; Primitivas humani intellectūs ideas non reales objectivasque rationes exprimere, sed esse subjectivas quasdam mentis formas, secundum quas de objectis cogitare propria sibi lege mens adstringitur. Fructus hujusmodi systematis est absurdus, et ridiculus Germanorum idealismus (1).

Dicetis. Sceptici de omnibus dubitant, ergo dubium universale de omnibus non repugnat.

R. Dist. ant. Sceptici de omnibus dubitant *ore tenus, trans, vel conc. ant.* Sceptici de omnibus dubitant *re ipsa. Nego ant.*

Nam de sua saltem dubitatione non dubitant; quod si dicunt, se dubitare an dubitent, jam asserunt se dubitare, et asserunt se esse etc., quippe qui se hærere dubios asserunt: sed neque minus sunt studiosi, quam cæteri homines in cute curanda, suisque negotiis pertractandis. Ne reponat scepticus, hæc á se fieri tutioris agendi rationis causa; nam tunc, velit nolit, confiteri debet á se cognosci tutiorem partem esse eligendam. Satis. Transeamus ad alia.

SECUNDA CRITICÆ SECTIO.

DE PRINCIPIIS PER QUÆ.

275.—*Prænotanda.* Supra diximus principium *per quod* complecti omnia illa media, seu instrumenta per quæ veritates intellectui offeruntur, exhibentur ac veluti sistun-

(1) Præcl. Balm. *Fil. Fund.* lib. 1. caps. 7. 8. 20 et seqq.; Prisco l. c.; M. Bouvier, *hist. phil.* lib. 9. Sect. 3. art. 5 et seqq.

tur. Hæc media et instrumenta per quæ veritatem assequimur et certo cognoscimus, vocari etiam solent *motiva, rationes, argumenta certitudinis*; vel etiam *fontes, indicia, et denique criteria*. Multiplex igitur est *principium quod*. Etenim veritates quas intellectus cognoscere potest, aliæ sunt *naturales*, quas mediis mere *naturalibus* attingere possumus; aliæ *supernaturales*, quas non nisi divina *Revelationis* ope apprehendimus.

Rursus, cognitiones rerum naturalium, vel circa earum *essentiam*, seu possibilitatem, vel circa earum *existentiam* versantur. Cognitiono *essentiarum evidentia*, seu *testimonio idearum* nititur. Cognitiono vero *existentiarum evidentia* quoque innititur, ut postea probabimus, sed mediantibus variis aliis motivis pro varietate rerum, quæ nobis innotescere possunt. Namque ope *sensûs intimi*, seu *testimonii conscientie*, existentiam nostram et præsentis affectiones internas; ope vero *memorie* affectiones præteritas cognoscimus: ope *sensuum externorum*, existentia corporum, plurimæque eorum proprietates, necnon facta sensibilia, quæ actu feriunt organa nostra, nobis innotescunt; facta autem præterita, vel etiam coæva, quorum nos oculati testes non sumus, mediante *hominum testimonio* cognoscimus.

Hæc igitur sunt varia *motiva certitudinis*, in quæ *principium* per quod dispartitur: nimirum, pro veritatibus ordinis *supernaturalis* sola *divina Revelatio*; pro veritatibus autem ordinis *naturalis*, quæ hominis captum non excedunt, *evidentia*, seu *ideæ; sensus intimus*, sive *conscientia; memoria; testimonium; sensationum; et testimonium hominum*. His omnibus motivis subjiciemus duo alia *secundaria*, videlicet, *sensum naturæ communem*, quo impellimur ad plurima *judicia ferenda* circa veritates, quæ mores præsertim et vitam *socialem* respiciunt; et *analogiam*, quæ efficit, ut ex *observatis et cognitis* ad *incognita* transeamus, alias *conclusiones* propter *similitudinem* deducendo, et pa-

tebit ejus legitimitas prouti species argumenti est. Igitur de iis omnibus singillatim possibili brevitate agemus (1).

LECTIO 38.—DE TESTIMONIO IDEARUM, SEU EVIDENTIÆ.

276. Prænotanda. Evidentia solet definiri: *Perceptio clara et distincta convenientiæ aut repugnantie idearum inter se*: sic evidens est duo tribus addita quinque efficere. Quamvis vero huic definitioni minime acquiescere possim, ut infra demonstrabo, tamen communis est: dicam itaque in antecessum: *Evidentiam*, si intelligitur de rebus sensibilibus, de quibus proprie dicitur, ut ait Cicero et S. Tho. (2) *esse necessariam objecti visibilitatem*; si de intelligibilibus, ad quæ transfertur, *esse necessariam veritatis intelligibilitatem*; seu *enuntiabilium necessitas menti innotescens*.

Evidentia igitur est tantummodo *objectiva*, ejus vero manifestatio relativa est; est etiam tum de veritatibus á priori, tum á posteriori, sed de iis postea; nunc solum loquimur de evidentia circa veritates pure intelligibiles, seu á priori.

277. Nota insuper cum S. Thoma (3). Ex propositionibus quasdam esse *per se notas* (á priori), quæ *prima principia* et *axiomata* vocari solent; quasdam vero esse, quæ ex illis principiis per demonstrationem deducuntur, quæ *theoremata* dici possunt. Propositiones autem per se notæ, non solum in *seipsis*, sed etiam *nobis*, illæ sunt, in quibus attributum, sive prædicatum est in *ratione subjecti*, et ex sola perceptione terminorum cognoscitur attributum contineri in subjecto vel ipsi repugnare (4). Theo-

(1) Cons. Tong. *Log.* P. 2.; lib. 2.; Fourn. *Log.* unde præcipua excerptimus.

(2) Cicero. VI. *Acad.*; S. Thom. *Sum.* P. 1.^a q. 67. á 1.

(3) 1. P. q. 82. art. 1—2.

(4) Consul. 1. P. Q. 2. á 1. S. Thom. I. *Prædic. 1. q. 2.* (1)

remata vero sunt, quæ deducuntur ex hujusmodi propositionibus per se notis, et quæ cum ipsis necessariam connexionem habent; quoties ergo mens cognoscit, attributum esse in *ratione subjecti*, ut in hac propositione; *Omne totum est majus sua parte*; tunc habetur vera evidentia, cui mens non potest refragari. Et similiter quoties mens cognoscit, propositionem aliquam necessario deduci ex propositionibus per se notis, ut in hac propositione; *Omnis trianguli tres anguli sunt duobus rectis æquales*; ita ut propositio illa non possit esse falsa, nisi sint falsæ propositiones per se notæ, tunc etiam vera habetur evidentia, et omnimoda certitudo (1). Est igitur evidentia alia *intuitiva*, *discursiva* alia, prima vocari etiam solet *immediata*, altera *mediata*, utriusque tamen eadem est vis et efficacia. Est, præter hanc evidentiam proprie dictam, quæ *intrinseca* nuncupari solet, alia improprie dicta, seu *extrinseca*, quæ oritur ab aliquo principio extrinseco, quod cum tali veritate necessariam connexionem habet: v. g. *Deus est justus*, evidens est evidentiâ intrinseca: *Deus est trinus in personis*, non est evidens evidentiâ intrinseca, in idea enim Dei non percipimus includi personarum trinitatem, ita de aliis Divinis Mysteriis.

De evidentie accuratiori analysi, et divisionibus infra rediet sermo. Sit nunc

PROPOSITIO I.^a *Evidentia intuitiva, seu immediata, est motivum certitudinis infallibile circa rerum essentias.*

278. *Prob. 1.º* In tantum evidentia non esset motivum infallibile certitudinis circa essentias, (rerum rationes intelligibiles), in quantum mens posset percipere convenientiam inter ideas sibi disconvenientes, aut disconvenientiam inter ideas sibi convenientes; atqui absolute repugnat, ut mens istud percipiat. Si enim mens istud perciperet, jam objectum perceptionis esset id, quod non est;

(1) S. Thom. 1. Poster. Lect. 5. et 19.

atqui absolute repugnat, ut objectum perceptionis sit id, quod non est, seu nihil; etenim nihil solummodo percipitur per remotionem entis, seu ejus quod habet esse; ergo evidentia quando adest, necessario conjungitur cum realitate objecti, quod videt; ergo etc.

2.º Præterea; In eo debet constitui infallibile veritatis criterium pro intelligibilibus, per quod intellectui manifestantur et necessario intelligibiles sunt; atqui hujusmodi est evidentia intellectus revera talis; etenim hæc aliud non est, quam vivida quædam lux, quæ á necessaria rerum intelligibilitate irradians intellectum illuminat, ut cognoscere possit, attributum convenire, vel repugnare subjecto: quapropter S. Thomas ait: «Lumen, secundum quod pertinet ad intellectum, nihil aliud est, quam quædam manifestatio veritatis (1)», ideoque fieri non potest, ut mens veritatem evidenter propositam respiciat; ergo etc.

3.º Denique; Ens concipi nequit ut nihil, aut vice versa; atqui ens compositum ex ideis repugnantibus est nihil; ergo ut tale percipi nequit; ergo si datur vera evidentia necessario cum realitate et veritate conjungitur.

279. *Colliges hinc.* Prima rationis principia, seu cognitiones universales á priori; ut, *Idem non potest esse simul et non esse: Totum est majus sua parte: Nihil nullæ sunt proprietates* etc., in quibus clare et distincte primo mentis intuitu percipitur ideam attributi includi in idea subjecti, vel ab excludi, esse absolute et metaphysice vera, nullaque posse indigere probatione; si quidem eorum veritas ex sola terminorum consideratione immediate patet.

Colliges insuper. Evidentiam esse ultimam rationem, quam afferre possumus cur certi sumus de veritate judiciorum circa rerum essentias. Si quis v. g. interrogetur,

(1) P. 1. q. 106. á. 1. Cons. etiam Q. 67. á. 1.

cur omnis definitio debeat esse clara ? Respondebit, quia naturam rei explicat; si præterea quærat, cur oratio naturam rei explicans debeat esse clara ? Hoc erit ultimum ejus responsum, quia illud est evidens.

280. PROPOSITIO II.^a *Evidentia discursiva, seu mediata est motivum certitudinis infallibile circa rerum essentias.*

Seu, quod idem est: *Cognitiones per ratiocinium comparatæ, falsæ esse non possunt, si tamen ratiocinium et præmissis constet veris, et ad legitimam formam sit exactum.*

Prob. Ac primo, hoc theorema, quoad primam partem, est veritas indemonstrabilis; demonstraretur enim per ratiocinium, adeoque cum petitione principii. Sed demonstratione non eget, cum sit immediatè evidens, plane ut principia illa, quibus innititur syllogismi artificium (155.) Si enim ratiocinium sit formaliter rectum, conclusio in illis continetur; ergo si præmissæ sunt veræ, etiam conclusio vera sit necesse est; ergo si præmissis mens assentitur, conclusioni assentiat necesse est.

Hæc conclusionis identitas cum præmissis est ineluctabile illud motivum, quod mentem cogit, ut si veras judicet præmissas, assentiri conclusioni necessario debeat. Sibi enim contradiceret, si postquam conclusionem in præmissis implicite affirmavit, affirmare explicite detrectaret, cum illa è præmissis enucleata prodit.

281. Ut autem mens hanc experiatur necessitatem, duo ut patet, certo tenere debet: 1.^m *præmissas esse veras*; quod quidem ex aliis veritatis fontibus innotescit: 2.^m *ratiocinii deductionem esse legitimam*; id quod attentio ad ratiocinii formam adhibita manifestat.

2.^o Hæc omnia sic complectitur S. Thomas (1), ait ipse: «Actus rationis potest considerari dupliciter, uno modo quoad exercitium actûs, ut cum indicitur alicui, ut atten-

(1) 1.^a 2.^æ q. 17. á. 6.

»dat, et ratione utatur, et sic potest imperari actus ratio-
 »nis: alio modo quantum ad objectum, respectu cujus duo
 »actus rationis attenduntur; primo quidem ut veritatem
 »circa aliquod apprehendat, *et hoc non est in potestate*
 »*nostra*; hoc enim contingit per virtutem alicujus luminis,
 »vel naturalis, vel supernaturalis, et ideo quantum ad hoc
 »actus rationis non est in potestate nostra. Alius autem
 »actus rationis est, dum his, quæ apprehendit assentit. Si
 »igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter inte-
 »llectus assentiat, *sicut prima principia*, assensus ta-
 »lium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in
 »ordine naturæ. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non
 »adeo convincunt intellectum, quin possit assentire, vel
 »dissentire, vel saltem assensum, vel dissensum suspendere
 »propter aliquam causam, et in talibus assensus ipse, vel
 »dissensus in potestate nostra est.»

Nota. Observandum est, conclusionem ex ratiocinio formaliter et materialiter recto (155.—156) deductam, ea gaudere certitudine, quâ gaudent principia quæ materiam ratiocinii constituunt, sequendo, ut scitis, pejorem partem.

282. *Ex his coll.* 1.° Evidentiam discursivam esse principium omnis scientiæ: prima enim et universalia principia non sunt scientia, ut patet, sed principia scientiæ, scientiam constituunt illæ veritates, quæ evidenter ex illis primis principiis ratiõnando deducuntur.

Coll. 2.° Omnem evidentiam per se solam et immediate declarare certitudinem suam: Itaque S. P. Augustinus (1) ajebat: «Omnia quæ de luce mentis nunc á me dicta sunt, nullâ aliâ, quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quæ dicta sunt, et hæc me intelligere per hanc rursus intelligo.»

Coll. 3.° Immo vero. Propositionem evidenter veram uni intellectui non posse contradicere alterius evidentiae, sive

(1) L. de vera Relig. c. 49 n. 97.



non posse esse evidenter falsam pro altero intellectu. Loquimur, ut patet, de vera evidentiâ, seu de *necessitate enuntiabilium menti innotescente*, non autem de gratuita suppositione evidentiæ, præcipite, temeraria, et voluntaria; in hac aliunde consistit omnis error; hanc blaterant garruli.

Explic. Intellectus videt res, quæ sunt, ut ex supra dictis constat; ergo cum res in se vel sit, vel non sit, non potest esse diversè cognoscibilis; ergo quicumque intellectus istam rem percipit, eam attingit unam et eandem; ergo repugnat evidenter verum esse uni intellectui, quod potest esse alteri evidenter falsum. Deinde, qui hanc assertionem negaret, scepticismum et Kantiismum induceret, veritas enim nihil esset in se, sed mera *forma* intellectualis. Unde:

1.° Quod repugnat evidenter intellectui humano, non potest esse verum Intellectui divino, vel angelico, vel ulli rationi generali, quæcumque sit, modo sit ratio.

2.° Si mysteria revelata sunt evidenter vera alicui intellectui, non possunt esse falsa et repugnantia intellectui humano.

Ideoque 3.° Propositio evidens uni intellectui non potest contradicere alteri propositioni evidenti. Patet.

283. Quæ contra stabilitas assertiones difficultates afferri solent hûc collineantur: vel ad neganda principia a priori; quod est ipsam rationem negare, et per se et in seipsis contradictionem involvunt; vel ad evidentiâ apparentem subrogandam; quod est *ignorare elenchum*, et volentibus errare nos ultro concedimus; vel ad exaggerandam difficultatem ratiocinii; quod quidem concedimus iis, qui vanitatibus vacantes et scientiam corrumpentes, minime reflexioni et meditationi assuescunt, non vero iis, qui veram scientiam quærunt et sobrie perscrutantur, quique *ratiocinii gradus veluti catenæ annulos pedetentim et accuratissime percurrunt, nec ab uno progrediuntur ad alium*,

quin certi sint principio contradictionis inniti, ut par est (1).

Nota.

284. Ratio humana accepta pro facultate *ratiocinandi*, de qua loquimur, non modo utilis est, sed necessaria Theologo; ratio est: tum quia facultas hæc, ut ait Sacer Psaltes (2) et explicat D. Thomas (3), est quædam luminis divini participatio homini concessa ad comparandam veritatis cognitionem; hac etenim sublata, ait Canus (4). «Non dico inter rusticum et Theologum, sed inter Theologum et pecudem, aut saxum etiam, aut truncum nihil interest..»: tum quia sine rationis naturalis usu conclusio Theologica nulla haberi potest, utpote quæ propositionem naturaliter certam et perspicuam inter præmissas exigit: tum quia illius subsidium requiritur, ut quis comprehendat exponatque motiva credibilitatis; percipiat et teneat substantiam saltem articulorum fidei; paratus denique sit ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe; fundata scilicet in fide, ut 1. Petr. 3. v. 13 dicitur.

Cavendum tamen, 1.º ne ratio revelationi anteponatur, imo nec æquiparetur; nec pro mensura credendorum adhibeatur, cum plura mysteria fidei sint *supra* rationem, positque Deus plura facere, quam capere humana ratio; 2.º ne præfidentior sit, sibi que nitatur in iis, quæ ad Religionem moresque pertinent; nec ductum auctoritatis respuat; nec curiosa nimium in altissimas res penetrare præsumat; nec frivola denique sit, et *inanibus ac otiosis questionibus sese immisceat*, maxime in Theologia.

(1) Cons. præcl. Balm. philos. Fund. l. 1. c. XV.-XXIV.

(2) Ps. 4.

(3) Loc. cit.

(4) Lib. 9. de locis. theo. c. 4.

APPENDIX DE IDEARUM UNIVERSALIUM OBJECTO.

285. Quæstio de idearum universalium objecto præcipua est et momenti maximi. Scientiæ enim omnes propria objecta in universalibus suis rationibus tantummodo persequuntur. Si igitur universales rerum rationes nullæ sunt, si universalibus vocibus nulla idea, aut arbitrarius tantum conceptus respondeat, jam scientiæ omnes inania mentis commenta, aut verborum lusus existimanda forent. Si vero universalia dicuntur esse realia, non minori premimur difficultate, in explicando, quomodo possit unum in pluribus realiter esse. Universale siquidem est unum in pluribus. Hinc mirandum non est, quæstionem hanc philosophorum semper animos pulsasse, atque solvendæ quæstionis sollicitos (1) in varias sententias, atque adeo in errores oppositos distraxisse.

Et veterum quidem græcorum tres in hac re inveniuntur sententiæ. 1.^a Heracliti Ephesii ejusque discipuli Cratyli, qui teste Platone et Aristotele, nihil esse in rebus universale statuerunt; quibus deinde accesserunt Epicurus cum suis negantes ex hoc ullam de rebus scientiam haberi (2).

2.^a Zenonis et Stoicorum, qui ideas admittebant universales, quibus singularia multa confuse repræsentarentur, at esse extra mentem aliquid universale negabant.

3.^a Quæ universalia ponit esse per se ac separata ab individuis. Sententia hæc ab Aristotele Platoni non sine injuria tribuitur, tribuenda potius est Xenocrati, aliisque ejus ætatis philosophis, qui nobilem illam Platonis de ideis Dei exemplaribus theoriam perperam intellexerunt (3).

4.^a Est Aristotelis, qui docet universale ipsis rebus

(1) Cons. S. Anselm. Cantuar. *De Fide Trinitatis* c. 2.

(2) Cons. Sext. Empir. *Hypot. Pyrrh.* L. 2.

(3) Cons. S. P. August. Lib. de LXXXIII quæst. q. 17.

inesse. Opiniones omnes veterum de universalibus his verbis colligit Porphyrius. «Genera et species an in rerum »natura sint, an in solis nudisque conceptibus collocentur; et utrum corporea sint, an corporis expertia; et »utrum separata sint, an in ipsis sensibilibus et circa »hæc consistentia, dicere nunc omittam».

286. In media ætate, statim ac instaurari scientiæ ac reviviscere cœperunt, quæstio hæc iterum exarsit, eademque ferme opinionum varietas, quibus antiquitas divisa fuit, duas inter se contrarias factiones opposuit, *Nominalium*, scilicet, et *Realium*.

Nominalium alii, duce Joanne Roscellino (1), contendebant, universalialia nec esse ullo modo in rebus, nec concipi; genera et species conceptus esse collectivos, universalialia vero vocabula individuorum collectiones indefinite et confuse significare, ac si quid præterea dicere viderentur, in eo meras voces esse (*flatum vocis*). Alii vero, Abælardi sententiam secuti, existimabant non voces solum universales, sed et conceptus haberi; qui tamen conceptus mere subjectivi essent ac mentis foetus, exhibentes *convenientiam* quamdam rerum *secundum idem*, ita tamen ut et *convenientia* hæc, et hoc ipsum *idem* in quo conveniunt, non sit res, sed solum mentis consideratio. Hujusce sententiæ sectatores nuncupati sunt *Conceptuales*.

287. *Nominalium* sectam iterum suscitavit sæculo XIV Guillelmus Ockam (2), qui *conceptualium* sententiam acriter defendit; eaque nunquam posthac penitus extincta est, donec sæculo XVII Hobes (3), Humius, nec non Smith et Dugald-Stewart cum schola scotica proprie universa, Con-

(1) Cons. Salabert. *Philosoph. Nomin. Vindicata* P. 15 Parisiis. 1651.

(2) *Summ. totius logices*, c. 15, 16, 20, Venetiis 1591.

(3) *Leviathan* P. 1. C. 4.

dillac item et sensistæ omnes ad Roscellini fere opinionem regressi sunt. Kantianum systema conceptualismus exaggeratus est.

288. *Reales*, hoc nomine distincti fuerunt, quia universalia realia constituerent. Horum alii *orthodoxi*, alii *heterodoxi* fuere. *Heterodoxi* docebant, genera et species esse extra individua, atque in Divinâ natura contineri; ex quo concludebant, Divinam naturam esse omnium rerum essentiam realem. Hic error, qui vix est aliud, quam purus putusque pantheismus, auctorem habuit sæculo IX Joannem Scotum Erigenam (Hibernum), quem sæculo XII et XIII sectati sunt Almaricus de Bène (Amaury de Chartres) et David de Dinant, Ecclesiastica sententia damnati; ab horum opinamenti non multum distant Ontologi.

299. *Orthodoxi* quoque in diversas abiire sententias, quarum hæ duæ præcipuæ sunt. Altera, auctore Guillelmo Campellensi (de Champeaux), contendebat, genera et species esse ipsam essentiam individuorum realiter ipsis communem, atque adeo individua solis accidentibus distinguui. Ab hac vix differt Joannis Duns Scoti, seu potius scotistarum quorundam doctrina statuentium, universalem essentiam in individuis existentem suam in ipsis universalitatem *vere ac realiter* retinere.

290. Altera sententia, in quam SS. Thomas, Bonaventura, Anselmus, et Doctorum pars maxima concessere, docet, esse quidem in rebus naturam, quæ in idea universalis concipitur, sed non *eadem modo* ac concipitur, id quod infra explicabitur.

Nos in his sententiis expendendis præstantiora solum tradentes tres statuemus propositiones: 1.^a Nominales purus refutabimus; 2.^a Realistarum excessus; ac demum 3.^a veram sententiam exponemus (1).

(1) Has vero excerpimus á præclaro Opere Salv. Tongiorgi; *Instit. Philosoph. Log. part. II. lib. 2. c. 5. Cons. Compend. Histor. Philo-*

291. PROPOSITIO I.^a *Habet humana mens ideas universales.*

Etenim si nullæ essent ideæ universales, termini communes nullas significarent ideas. Sed hoc est contra conscientiaë testimonium. Ergo etc.

Prob. major. Termini communes non significant unum aut alterum individuum, ut patet. Sed neque ideam collectionis, seu plurium simul individuorum exprimunt. Nam nomina, quæ ideam collectionis significant, v. gr. *familia, populus, mille*, de singulis dici non possunt, sed de pluribus copulatim dicuntur. At nomina communia, ut *homo, animal, planta*, dicuntur é contrario de singulis, non vero de pluribus copulatim.

Restat ergo ut termini communes exprimant conceptum exhibentem aliquid, quod in pluribus individuis æque inveniatur, videlicet, conceptum universalem (29. 4.º) Si hunc non exprimunt, nulla plane est idea, quam significare possint.

Prob. minor. Intimo teste sensu, terminus communis, cum voce fertur, plane ut quivis alius terminus, duos in mente excitat conceptus, quorum alter est soni materialis, alter est significationis illi subjectæ, rei nimirum á loquente cogitataë. Ergo terminus communis, intimo teste sensu, aliquam ideam significat, et ad aliquam ideam significandam profertur.

Advertite, porro omnia fere vocabula, quibus homines utuntur, si nomina individuorum propria excipimus, vocabula esse communia. Si ergo nullæ essent ideæ universales, omnia fere vocabula nullam ideam exprimerent, essentque soni inanes, omni prorsus significatione destituti.

soph. Victor. Arn. de Lamb. Madrid 1847. quart, periodo; it. Caj. Sansev. *Institutiones Log.* pars. 2.^a c. 18; id. *phil. Christ. in comp.* Idealog. c. 3.

Qua re quid magis incredibile, aut absonum dici possit, equidem non video.

292. PROPOSITIO II.^a *Nihil est extra intellectum in rebus, ex se et ante omnem intellectus operationem, universale.*

Sane, siqua natura ex se universalis esset, nullo modo posset fieri singularis. Si qua enim res est, cui per se unum ex duobus oppositis conveniat, huic alterum oppositorum convenire non potest. Universale autem et singulare opposita sunt, quemadmodum opposita sunt unum et plura; indeterminatum et determinatum; immultiplicabile et multiplicabile. Jam natura v. gr. humana in Socrate et Platone certe singularis est. Ergo nequit huic naturæ secundum se convenire ut sit universalis (1).

293. PROPOSITIO III.^a *Universalitas omnis constituitur per intellectum cum fundamento in re.*

Expl. et prob. Ut enim universale constituatur, duo necessaria sunt: 1.^o Ut quod universale dicitur, sit *aliquid unum*; 2.^o ut sit *pluribus communicabile*; videlicet, ut in pluribus individuis realiter multiplicetur, et ita multiplicatum numerari possit, sicut ipsa illa individua numerantur. His duobus universalium definitio continetur (num. 29. 3 (2)). Huc igitur redit quæstio tota de universalium realitate; quomodo scilicet cum veritate cognosci ac dici possit esse in rebus aliquid unum et in multis communicabile et multiplicabile. Jam hæc duo quæ, ut modo ostendimus, non sunt in ulla natura ut est in se et ante omnem intellectus operationem, hæc duo, inquam, rerum naturis conveniunt, prouti hæc intellectus operationi subsunt.

(1) Cons. Cajet. Sansev. *Elem. Philosoph. Christ. etc.*, Dynamilog. cap. VIII. art. 2. (2) Erratum 4.^o

294. Operatio autem intellectûs qua hoc perficitur, est cognitio individuorum *præcisiva et comparativa*.

Cum enim objectum individuum per sensationem intellectui offertur, intellectus essentialis individui notas apprehendit, conceptumque format, quo individui essentia exhibetur á conditionibus omnibus individuantibus *præcisiva et abstracta*. Hæc est cognitio *præcisiva*: essentia vero cognitione tali concepta, dicitur universale *directum*, ac *ratio specifica*.

Essentia autem ita apprehensa, quamquam ex se nec singularitatem dicat, nec universalitatem, tamen revera universalitatem jam inducit, ut quæ nil retinet jam, quo ad unum potius, quam ad alterum individuum determinetur: potestque tam de illo á quo abstracta est, quam de aliis similibus prædicari, sed nihilominus non cognoscitur adhuc ejus universalitas, nisi accedat comparatio. At si intellectus ex plurium individuorum cognitione conceptus *præcisivos* haurit, eosque inter se *comparans* deprehendit eos in omnibus notis identicos esse, deprehendit quoque eos non plures esse conceptus, sed vere unum.

Sic igitur 1.º erumpit ex individuis menti oblatis naturæ unitas, non quidem *realis*, sed *logica*, nempe unitas naturæ per *abstractionem* conceptæ; 2.º hæc natura, una cum sit, potest tamen in multis deprehendi, multisque uniformiter attribui. Natura autem sic cognita est id, quod dicitur *universale reflexum*, et *species*, vel *genus*. Hoc igitur pacto ex individuis per mentis operationem naturæ universalitas constituitur.

295. Hæc ita confirmantur. Notiones universales, ut in scholis traditur, et nunc explicavimus, fiunt per *abstractionem*, et *intentionem universalitatis* (1); per abstractionem, quatenus intellectus avocatur cogitationem ab

(1) Cons. Alb. Mag. *De prædicab.* Tract. IV. c. 5.

individuis, in quibus aliqua natura invenitur, aut inveniri potest, et non aliud cogitat, nisi ea, quæ essentialiter ipsam constituunt. Per *intentionem universalitatis*, quatenus intellectus reflectitur super abstractam notionem illius naturæ, et cogitat ipsam ad plura individua indeterminate referri posse. Atqui abstractio, et intentio universalitatis non nisi opus intellectûs sunt. Ergo universalitas constituitur per intellectum (1). Sed:

296. Natura, quam intellectus abstractam á conditionibus singularibus, atque universalem cogitat, eadem est, ac illa, quæ determinata conditionibus singularibus in rebus invenitur, adeo ut illa vere prædicetur de singulis individuis; puta, cum dicimus: Petrus est homo, etc. Atqui, si ita res se habet, liquet intellectum in ipsis rebus fundamentum invenire, ex quo naturam ipsis communem velut universalem considerat. Ergo universale constituitur cum fundamento in *re*: ergo *per intellectum cum fundamento in re* (2).

297. Hinc patet:

1.º Universales conceptus habere in rebus *fundamentum*. Fundamentum hoc sunt individua omnia, quorum essentialitatis abstractæ unico conceptu exhibentur.

2.º Individua hæc merito dici universale fundamentale; eademque esse *materiam* universalium conceptuum, secundum naturam, quam habent. Hanc vero naturam per

(1) Cons. S. Tho. *De Ente et Essentia*. c. 4.

(2) «Si quæretur, ait S. Thomas, *De Ente et Essentia*, utrum ista natura (Socratis v. gr.) possit dici una, vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, nunquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu, et ratione ejus, tunc esset una et eadem natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus pluralificari.»

cognitionem præcisivam et comparativam *formam universalitatis* accipere, ac fieri *universale formale*.

3.^o Hinc universalium idearum objectum esse reale, spectatâ earum materiâ, non vero formâ.

4.^o Diverso modo universale esse in *ordine reali* ac in *ordine ideali*. In ordine reali est *plura in actu, unum in potentia*; in ideali *vice versa*.

Per hæc principia objectiones omnes, tum nominalium, tum realium exaggerantium, non difficulter diluuntur.

Difficultates.

Ob. 1.^a Universale nullum reale est. Nam

1.^o Quidquid existit in rerum natura, vel existere potest, singulare est.

Universale autem non est singulare; ergo etc.

2.^o Quidquid existit, certo loco ac tempore existit; sed universale non existit certo loco ac tempore; ergo etc.

Resp. Dist. ant. Secundum materiam, nempe spectatis rationibus specificis, vel genericis, *nego*; secundum formam ipsam universalitatis, *conc.*

Ad 1.^m *Conc. Maj. et dist. Min*; universale fundamentale, *nego*; universale formale, *conc.*, et eodem modo *dist. conseq.*

Ad 2.^m *Trans. Maj.* Ubi enim est mundus, aut quo tempore est *Deus*? Sed hoc in præsentî quæstione parum refert. Permissa igitur majori; *dist. min.* ut in responsione præcedenti.

LECTIO 39.^a—DE SENSU INTIMO ET CONSCIENTIA.

298. Sensus intimus est: *Nativa quædam animi dispositio, quâ fit, ut animus, quod in se ipso accidit, intime sibi præsens habeat et experiatur ut suum.* Igitur sensus intimus ab evidentia distinguitur; sic non est sensus in-

timus, qui judicat circulum esse rotundum: sensus intimus tantum testatur hoc iudicium esse in anima. Itaque ejus objectum sunt *facta interna*; videlicet, præsentēs affectiones, tum quæ sunt animæ solius propriæ, ut *ideæ, judicia, actus volendi*; tum quæ ad totum humanum compositum pertinent, ut *dolor, aut sitis*. Non tamen omnes compositi affectiones sensus intimus distinctè renūtiat, sed quasdam ex iis confusè tantummodo refert, cujusmodi sunt v. g. affectiones perpetuæ et uniformes; *ab assuetis enim non fit passio*; nec ullo modo refert sensus intimus ea, quæ sensum sui nullum faciunt actu, ut sunt causa, vel objectum externum affectionum, vel affectiones præteritæ vel futuræ, quæ tantum ope ratiocinii cognoscuntur, neque, ob eandem causam, refert gratiam, vel maculam peccati.

299. Humanus animus, cum intelligens sit, id, quod intime sentit, reflexo in se mentis obtutu, apprehendere potest ac de eo judicare; ut cum homo capitis dolorem sentiens, de hoc suo dolore recogitans, intelligentia ejus super *internum factum* reflexa reflexione psychologica fit *conscia sui*, unde *conscientia*: est igitur conscientia: *Cognitio intellectualis reflexa interiorum factorum, prouti sunt subjecti affectiones, quæ per sensum intimum fiunt animo præsentēs*.

300. Sedulo tamen hic animadvertendum est, minime confundendam esse illam conscientiam, de qua loquuntur Theologi moralistæ, cum hac nostra: illa enim nihil aliud est, quam iudicium, quo, propositis ex una parte moralitatis regulis perspectis per *synderesim*, legeque honestatis, et ex alia proposita actione, vel omissione, iudicatur et discernitur de earum convenientia, vel disconvenientia. Nomen hujus conscientiæ translatum est ab illa prima acceptione, de qua nos loquimur. Hæc, de qua loquimur, conscientia infallibilis est, et factum internum assumens sibi in objectum elevat illud ad ordinem idealem tribuens ipsi formam intellectualem; moralis vero conscientia, utpote

judicium practicum, seu actus intellectus applicans vel determinans principia universalia practica habitualiter nota per synderesim ad opus singulare proprium (1), varias ob causas potest esse erronea, vel dubia.

301. Multiplex est differentia inter sensum intimum et conscientiam:

1.^a Sensus intimus est primitiva et essentialis animi dispositio, id est, est facultas se ipsam sentiendi, quæ essentialis animæ est; conscientia vero activitatis intellectualis exercitium est.

2.^a Sensus intimus est perpetuo in actu, est necessarius, et essentialis; conscientia vero est tantum propria animi intelligentis, nec perpetua est nec semper *actu*; et est essentialis solum in potentia, non in actu.

3.^a Expressio sensus intimi sunt ejulatus, suspiria etc., conscientiæ vero est propositio.

Nota. Sensus intimus nominatur á nonnullis *conscientia directa*, actum vero, quem nos nominamus conscientiam, vocant ipsi conscientiam *reflexam* (2).

302. Denique animadvertite, omnem certitudinem, ex quocumque fonte ipsa hauriatur, certam de aliquo facto interno conscientiam supponere. Ut enim mens certitudinem acquirat, saltem *conscia* sibi esse debet, et se percepisse motivum aliquod veritatem propositionis suadens, et omnem errandi formidinem á se esse exclusam; et si de sensus intimi veracitate dubitare liceret, nunquam de internis hujuscemodi factis certam conscientiam habere mens posset. Enimvero sensus intimus est quidem principium *manifestativum*, est *medium*, quo *internas* affectiones cognosci-

(1) S. Thom. 1.^a 2.^æ a. 4.—5—6.

(2) Gutierrez, *Psychol.* Sect. 1.^a *Estetica* c. 1., Balm. *Filosof. Elem. log.* 1. 3. c. 1. sect. 1.; id. *Fund.* 1. 1. c. 23.; Tong. *Log. part.* 2.^a 1. 2. c. 2. art. 1.; Pacetti; *Ethi. tract.* 1. *Pars* 2. cap. II. art. 1.

mus, non vero omnes cæteras cognitiones eo solo comparamus; est *conditio* ad omnem subjectivam certitudinem, non est tamen *ratio*, quæ omnis propositionis veritatem manifestet. His præjactis sit

PROPOSITIO. *Sensus intimus est motivum veritatis assequendæ omnino infallibile, dummodo proprii objecti fines non exeat.*

303. Notandum in primis, propositionem hanc proprie, seu directe demonstrari non posse. Ut enim demonstratio quælibet me suadeat, quædam percipiam necesse est, nempe ea, quæ demonstrationem constituunt, et certum mihi esse debet, me ea percepisse.

At quo tandem modo hoc mihi certo constabit? profecto non aliunde, quam ex intimi sensûs testimonio. Si igitur demonstrare velim intimi sensûs veracitatem, ante omnia intimi sensûs testimonium tanquam infallibile admittere deberem, nimirum supponere necessario deberem id, quod in quæstionem adducitur (1).

Nec vero propositio hæc demonstratione eget ob tantam quâ fulget evidentiam; impossibile enim cuique est dubitare, utrum reipsa habeat affectiones, quas experitur.

304. Cæterum, hujus propositionis evidentia per contradictionis principium distincte explicari potest. Si enim sensus intimus aliquando me fallere posset, ideo foret, quia affectionem, quam mihi sensus intimus renuntiat, eo ipso tempore, quo eam sentio, possem non habere, non sentire; sed hoc apertam contradictionem implicat. Sentire enim aliquam affectionem et illam habere, identica plane sunt; subjectumque sentiens et objectum, quod sentitur, sola ratione distinguuntur, at re vera sunt unum et idem. Et profecto: Ecquid erit sentire, nisi sensatio-

(1) Cons. Tong. *Log. Pars. 2. l. 2. c. 2. á 2.*; cl. P. Cuevas. *Log. L. 2. Diss. 2. c. 1. a. 2. §. I. Thes. I.*

nem intus quis experiatur? Quid imaginari, nisi phantasiæ quid obversetur? Quid cogitatio, si mens nihil percipiat? Quid velle, nisi velimus? Interna præsentia sublata, hæc omnia evanescent, et nihil superest præter nomina vel inanæ, vel contradictoriæ significationis (1). Non potest ergo affectio aliqua esse in sensu subjecti, quin hoc ipso sit in objecto, quod sentitur.

305. Insuper, nemo negare, aut in dubium revocare potest infallibilitatem sensûs intimi, quin eo ipso eam affirmet; qui enim negaret, aut in dubium vocaret sensûs intimi infallibilitatem, deberet ita dicere: *nescio, dubito* utrum existam, utrum cogitem, utrum sentiam aliquid; atqui hoc dicendo affirmat se cognoscentem; affirmat se cognoscere statum mentis, et quidem certo; ac proinde affirmat certitudinem sensûs intimi; quia nihil aliud est, sensus intimus, ut dictum est, quam mens ipsa quatenus seipsam et statum suum præsentem cognoscit; ergo repugnat cum seipsa negatio, aut dubium infallibilitatis sensûs intimi. Hinc S. P. Augustinus Academicos, seu Scepticos ita perstringit (2): «Intima scientia est qua nos vivere »scimus, ubi ne illud quidem Academicus dicere potest, »Fortasse dormis, et nescis, et in somniis vides. Visa »quippe somniantium simillima esse visis vigilantium quis »ignorat? Sed qui certus est de vitæ suæ scientia, non »in ea dicit, Scio me vigilare; Sed, Scio me vivere; sive »ergo dormiat, sive vigilet, vivit. Nec in ea scientia per »somnia falli potest, quia et dormire et in somniis videre, »viventis est. Nec illud potest Academicus adversus istam »scientiam dicere, Furis fortassis et nescis; quia sanorum »visis simillima sunt etiam visa furentium: sed qui furit »vivit. Nec contra Academicos dicit, Scio me non furere;

(1) Cons. Balm. *Filosof. Fund.* L. 1. cap. 23.; id., *Elem. log.* lib. 3. cap. 1. Sect. 1.

(2) Lib. 15. de Trin. c. XII. n. 21.

»sed Scio me vivere. Numquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire». Ex quibus

Colligetur: Existentiam nostram et existentiam affectionum nostrarum, utpote objecta propria sensûs intimi, veritates esse per se notas, quæ á nulla alia derivantur; perceptio enim istarum veritatum et seipsam, et istas veritates eodem actu manifestat, quemadmodum eodem splendore Sol et corpora et seipsum videndum præbet: rationes ergo modo allatæ non sunt, nisi explicationes et declarationes illius veritatis evidentissimæ (1).

306. Statuimus in propositione, hoc criterium sensûs intimi esse infallibile, *dummodo proprii objecti fines non exeat*. Objectum sensûs intimi quale sit, videsis supra numero 298. Istius ergo criterii errores ex eo proveniunt, quod ab interna animi affectione, ab eo quod est pure subjectivo, ad objectum, vel causam, vel circumstantias, quæ internum factum non afficiunt, affirmandas, sive negandas transimus. Si dolorem patiar punctioni similem, falli non possum, si dicam me pati, me sentire hunc dolorem, me habere ejus conscientiam; hæc identica cum sint, nequeo alterum affirmare, alterum negare, nisi contradictoria loqui velim.

Si aliquis interiorem impulsum expiritur, ita ut sibi videatur vocem audire se aliqua docentem, vel inspirantem aut ad aliquam viam ducendam, aut ad aliqua patranda, non fallitur utique, nec falli potest, si tantum dicat: *intus hoc, vel illud sentio*: at vero si his internis factis innixus addat, *hoc, vel illud mihi Deus inspiravit: Spiritus Dei loquutus est mihi*; tunc facile errare potest, quia á phænomeno, seu interna affectione ad causam transit. Hinc fanatica deliramenta sectarum achatolicarum, quæ auctoritatem infallibilem despicientes, spiritum privatum,

(1) Fourn. *loc. cit.*

nescio quid, velut unicam, ut ajunt, veri regulam sibi constituerunt.

Igitur apparet, hoc motivum certitudinis, *conscientiam*, scilicet, esse *infallibile*, cum ad ea tantum refertur, quæ animo experimur.

Cum vero phænomeni interni limites prætergreditur, atque ad ejus causas, effectus, vel alias circumstantias sese extendit, cum ad ipsum non spectent, sed ad alios fontes, nullam meretur fidem (1).

Dissolvuntur Difficultates.

307. *Obj.* 1. Duo contradictoria nequeunt esse simul vera; atqui sensus intimus sæpe testatur esse in amina duas sensationes, vel affectiones contradictorias: v. g. frigus et calorem, amorem et odium, etc.; ergo falsum testatur.

Resp. Duo contradictoria etc. C. M. *Atqui sensus* etc. *N. Min.*

Ratio, quia ad veram contradictionem requiritur simultanea affirmatio et negatio *ejusdem de eodem et sub eodem respectu*. Jam vero in sensationibus, vel affectionibus, quas experimur, semper datur vel diversitas *temporis*, quo eas sentimus; vel diversitas *objecti*, ad quod referuntur; vel diversitas *modi*, quo idem subjectum consideratur; vel diversitas *actûs*, quo hujusmodi affectiones eliciuntur. Insuper, quamvis causæ externæ in corpus nostrum agentes forent contradictoriæ in se, v. g. quamvis frigus non sit nisi privatio caloris; mutatio tamen facta in corpore est quid positivum et reale, et mens nostra ex lege unionis cum corpore est determinata ad percipiendam quamcumque mutationem realem; unde in anima talis sen-

(1) Balm. Fil. el. Log. cap. 1. lib. 3. sect. 1.

satio est quid reale et positivum, ac proinde sensatio frigoris dici nequit contradictoria sensationi caloris.

Obj. 2. Sæpe sensus intimus testatur somniantibus et amentibus plura, quæ falsa sunt; ergo etc.

Resp. 1.° Nos cum vigilantibus, et sana ratione utentibus loquimur, nec dormiendo, aut insaniendo veritatem inquirimus.

Resp. 2.° *N. Ant.* Duo enim sunt hîc distinguenda, scilicet, *causa*, cui somniantes et amentes tribuunt suas sensationes, aut affectiones præsentis, et *sensatio ipsa*, seu *mentis affectio* jucunda, vel ingrata, quam experiuntur. Jam vero, si ab ipsa affectione, aut sensatione transeunt ad designandam et determinandam ejusdem causam, circumstantias, etc., falli utique possunt non solum somniantes et amentes, sed quicumque; at minime á sensu intimo, quo tales affectiones et sensationes experiuntur; alioquin et eas haberent ex supposito, et non haberent simul, quod repugnat; ergo amentes et somniantes habent affectiones, quas *sentiunt*, jam siquidem non habeant quas *judicant*, vel *dicunt* se habere.

Obj. 3.° I.° Ii, quibus brachium amputatum est, non infrequentè in brachio dolent, quem non habent; immo, II.° dolor non est in corpore, sed in anima; atqui sensus intimus testatur et esse in brachio, et ideo in corpore; ergo etc.

Resp. *Ad* I.^{am} *diff.* Illi, quibus brachium amputatum est, vel crura etc.; *Dist.* Sentiunt dolorem confusum in ea ramificatione nervorum, qui antea protendebantur in brachium, et hunc dolorem *judicant* esse in brachio vi habitudinis, et phantasie, *conc.*; Vere sentiunt dolorem in brachio, quo carent, *neg.* *Ad* II.^{am} Dolor non est in corpore, *disting.*; quatenus corpus per se, ut corpus, non est doloris capax, *conc. maj.*; quatenus dolor non pertineat ad compositum ex anima et corpore; *neg. maj.*

Et *contradist. min.* Sensus intimus testatur dolorem

vel esse in brachio amputato, vel esse in corpore per se spectato, *neg. min.* Testatur sensus intimus dolorem esse in composito, et in ea partium ramificatione, quæ in compositum unum unamque naturam coalescebant, *conc. min.*

In Psychologia, cum agamus de *physica*, atque *substantiali* unitione animæ et corporis in unam naturam et personam, seu suppositum rationale, melius hæc intelligetis.

Obj. 4.° Affectiones, quæ sensibilem mutationem inducunt, distincte non refert sensus intimus; ergo etc.

Resp. N. Ant.

Prob. Ant. Dubitamus sæpenumero utrum affectio habitæ sit ista, vel illa: v. g. an actus intellectus sit, an vero voluntatis; an moveamur ad agendum odio aliquo, aut præjudicio, an vero amore justitiæ ac veritatis; ergo non refert distincte etc.

Resp. Dist. Ant. Dubitamus de natura affectionis habitæ aut de denominatione illi tribuenda, *Conc. ant.*; dubitamus de ipsius præsentia clara et distincta, *nego antec.* Jam dictum est sensûs intimi relationes ad puram facti interni præsentiam coartari; ideoque facti interni naturam, causas etc., ad alios veritatis fontes pertinere. Ut elementa jam satis vobis videbitur, transeamus igitur ad alia. D. q. d. e.

LECTIO 40.^a—DE MEMORIA.

308. PRÆNOTANDA. Memoria à me moror (detenerse, pararse) generice sumpta: *Est animi vis, seu facultas reproducendi affectiones tum sensibiles, tum intellectuales olim habitas.*

309. Quisque sibi conscius est, se non modo præsentis suas affectiones interno sensu experiri, externoque percipere objecta, quæ organa afficiunt, sed etiam conscius est, internas hasce externasque sensationes, *cum præsentis*

amplius non sunt, instaurare se posse, iterum producere atque ut præsentis relegere. Insuper, non modo conscius est, se posse revocare, ac recognoscere affectiones olim habitas, sed insuper earum imagines (omnia cognoscit intellectus per conversionem ad phantasma) variis ac miris modis posse dividere ac componere (1). Demum, se probe cognoscere, plures affectiones, quas in intimo sensu conuenerunt reviviscere, olim præsentis fuisse.

310. Jam vero; ad actum memorandi ut perveniamus nonnulla requiruntur; ac 1.^m Ut præteritam affectionem mens aliquo modo retineat, quod pertinet ad ipsius vitalem activitatem. 2.^m Ut illas iterum reproducat, quod, si sponte fiat, pertinet ad *phantasiam* (2), si vero aliquo intellectuali conatu indigemus vocatur *reminiscentia*; reminiscentia enim, ait S. P. Aug., *nihil est aliud, quam inquisitio alicujus quod memoria excidit* (3). 3.^m Ut recognoscat eas affectiones reproductas easdem olim fuisse à se habitas, quod quidem supponit notionem temporis diversi quoad subjectum et ideam.

311. Dividitur igitur memoria in *intellectivam* et *sensitivam*.

Sensitiva est: *Vis reproducendi phantasmata, seu imagines rerum purè sensibilibus olim habitas*; quæ communis est homini et bruto (4); si huic vi accedit quoddam collustrans lumen intellectuale com vi inventrici, quâ species, seu sensibiles imagines pro libitu componimus et in unum aptamus, quin ad ordinem, quo eas accepimus, attendamus, vocatur et est *imaginatio*, seu *memoria inventiva*. Est igitur imaginatio, ut ex ipso nomine colligitur: *Subfacultas intellectualis diversimode componendi ideas*

(1) Cons. S. P. Aug. *Conf. lib. X. cap. 8.*

(2) Cons. S. P. Aug. *Contra Epist. fundam. cap. 17.*

(3) Cons. S. P. Aug. *Conf. lib. X. caps. 13—19.*

(4) Cons. S. P. Aug. *Ibid.*

in nostra mente, easque disponendi, ita ut quid novum in mente creetur.

Memoria intellectiva, quæ proprie est memoria, et de qua loquimur, est.: *Rationalis reproductio: ac recognitio comparativa actuum spiritualium.*

Hæc sola est illa sub-facultas, quæ retinet anima intellectualis post separationem á corpore: at de iis iterum in Psychologia (1).

312. Cum hæc intellectiva memoria, cujus existentiam propria conscientia testatur, non distinguatur á facultate perceptiva intellectus, nisi in eo, quod illa respicit præterita, sit

PROPOSITIO. *Memoria, quamvis debilitari, aut etiam deficere possit, nunquam tamen per se sanam rationem in errorem adducit.*

Prob. Facultatis hujus fidelitatem (quæ proprie demonstrari non potest) facile intelliges, clare perspicies: 1.º in ipsa hujus facultatis natura. Nam cum reproductione, et recognitione ejus actus constet, nec in illa, nec in ista potest esse falsitas ante judicium.

Non in reproductione ut patet. Nam reproductio ideæ non potest aliam habere falsitatem, quam quæ omnibus ideis per se conveniat; sed ideis per se nulla falsitas convenit; ergo etc.

Non in recognitione. Recognitio enim est mera apprehensio comparativa, qua percipimus identitatem præsentis ideæ cum ea, quæ in reproducta serie continetur; sed nec apprehensio comparativa falsitatem inducere per se potest: ergo etc.

313. 2.º Teste intimo sensu, memoria quasdam affectio-

(1) Cons. S. Th. Sum. Th. 1. p. q. 77. á. 8. ad. 4.; et q. 89. á 6 ad. 1. et ad. 2.; it. qq. disput. De Ver. q. 10. á 3. c.; Alb. Mag. *de Mem. et Remin. tract. 2. c. 2.*

nes olim habitas ita menti exhibet, ut constanter, uniformiter et invincibiliter compellamur ad judicandum, eas in nobis olim extitisse, et quo diligentius ope reflexionis eas examinamus, de eis certiores efficimur, majorique impetu ferimur ad judicandum nos tales affectiones olim habuisse; v. g. *nos in tali loco habitasse; cum parentibus vixisse; his vel illis studiis operam dedisse:* etc. atqui hæc mentis nostræ dispositio necessariam habet connexionem cum existentia præteritarum affectionum; hæc enim indeliberata, et invincibilis dispositio mentis suam causam habeat necesse est, habebit igitur vel in *actione ipsius mentis*, quæ sibi hæc falso effingit; vel in *alio agente* menti extrinseco; vel in *ipsa vi veritatis cognitæ*; atqui

Non in 1.º Si enim mens ipsa sibi ipsi talia effingeret, conscia esset istius actionis sibi propriæ, at nedum ita, sunt omnia contraria; ꝫ nam quis umquam sibi persuadere possit se nunquam talem scholam frequentasse, tales amicos habuisse, tales parentes, talia loca invisisse, sed hæc omnia ipse sibi effingere, hasque affectiones minime olim habuisse? ergo etc.

Si autem in 2.º: id est, si *ens menti extrinsecum est auctor memoriæ nostræ*, tunc necessario memoria connectitur cum existentia affectionum præteritarum; nam illud ens, quod in nobis producit ideas illas mirabiles, á quibus pendet religio, societas et omnis vita rationalis, summa potentia, intelligentia, et sapientia erit præditum, ac proinde erit Deus; atqui absolute repugnat, Deum producere in nobis hujusmodi ideas, si non extitissent affectiones ad quas constanter et invincibiliter referuntur; Deus enim utpote essentialiter verax non potest esse auctor erroris: esset tamen auctor erroris, ut patet, si produceret in nobis istas ideas cum propensione invincibili ad judicandum eas referendas esse ad existentiam affectionum, quæ non extitissent, nullum enim nobis superesset medium detegendi errorem; ergo etc.

Si denique 3.^m; id est, si ab ipsa vi veritatis cognitæ proveniat ille status, quem memoriam vocamus; ergo stiterunt illæ mentis affectiones, quas refert memoria, ac proinde memoria est motivum certitudinis tale, quod *nunquam sanam rationem in errorem adducat*.

314. Hoc ipsum perpetua experientia confirmatur: perpetuo enim contingit, ut ideam, quam memoria suggerit, cum præsentī rerum experientia comparantes, utramque omnino convenire deprehendimus, et si aliquando unum pro alio admittimus, non memoria causa fuit, sed *ipsius defectus*, ipsaque memoria nos monet de errore admissō, vel paulisper ei attendentes.

315. Nihilominus hæc non capientibus mos est dicere, memoriam esse labilem, fallacem, nullamque fidem mereri; quia, ajunt, aliquando affectionem nunquam habitam memoria refert.

Falluntur tamen: quod tunc contingit est, ut reprodu- cendi vis ex parte, vel ex toto circa aliquid deficit. Unde de quibusdam omnino silet memoria, quædam alia refert ex parte nonnullis circumstantiis notisque oblitteratis, quædam denique obscure, aut confuse restaurat. Jam vero hi omnes defectus negativi sunt, et efficere quidem possunt, ut ex metaphora quadam memoria infidelis dicatur, non tamen jus præbent, ut fallax ac mendax ejus testimonium aliquando æstimetur. Cæterum, memoriæ defectus, attentione aliqua adhibita, ut insinuabimus, facile advertuntur ac corriguntur; quod si fiat in errorem per se inducere non possunt. In forma sic respondetur: Memoria sæpe fallax invenitur *Dist.*; quatenus deficit in reproducendo, *Trans.*, vel *conc.*; quatenus fallitur in recognoscendo, *Neg.*

316. Accipite canon. *Nunquam memoria erit vobis erroris occasio, si tantum affirmaveritis id ipsum ac solum, quod memoria recognoscit, eoque modo, quo recognoscit*, quod ut facilius recordari possitis omni cura satagite, ut id, quod deinceps memoria retinere vultis, alicui loco prin-

cipi, *eventui præcellenti* connectite, annotando *tempus*, quo evenit, *causas* et effectus, quasdamque *similitudines*, quæ á rerum natura proficiscantur: «memoria enim, ut ait S. Tho. (1), non solum á natura perficitur, sed etiam habet plurimum artis et industriæ». Quod si adhuc dubium aliquod vos torquet, consulite rationem, sensus, naturæ leges, aliorumque hominum sententiam.

Præcipue vero Dei gratiâ satagite ut procul á vobis sint omnes dominantes passiones malæ. Hodie satis. D. q. d. e.

LECTIO 41.^a—DE TESTIMONIO SENSUUM EXTERNORUM.
PRÆNOTANDA.—PROPOSITIO.

317. Anima humana, quandiu in hac terrestri sede exsulat, arctissimis copulatur nexibus substantiæ extensæ, organis instructæ, *corporisque* nomine insignitæ, quocum physicè et substantialiter unita *unum suppositum* rationale, seu personam constituit, quæ nec corpus est, nec anima tantum, sed quid perfectius resultans ex utriusque unionione, unde potest hoc compositum seipsum sentiens ac cognoscens sentire ac cognoscere suum proprium corpus, cujus etiam ope sentit, percipit, ac cognoscit substantias corporeas extra se positas; veruntamen cum *nullum agens agat ubi non est*, necessario sequitur, quod ut anima has eliciat operationes circa corpora extra se posita, hæc ipsi quodammodo uniantur (2), quod fit per sensibiles repræsen-

(1) 1.^a 2.^æ q. 49. á 1. ad 2.

(2) Non mihi latet hodiernos *Mesmeristas*, nempe magnetismi animalis assertores, pertendere animum, cum in somnum magneticum incidit, corpora vel ab eo longissime dissita videre per alias corporis partes, quam per oculos; puta, occiput, ventrem, pugnum etc. Id autem alii fieri putant ex eo quod vis videndi in illas transfertur; alii ex eo quod animus cum novas facultates in se latentes evolvat sine

tationes, seu *species* sensibiles impressas in organa sensoria. Mirabilis Deus in omnibus operibus suis!

318. Est autem *organum* in generè; *Pars viventis ad aliquam vitæ functionem naturaliter destinata*. Sensoria sunt: *Animantis organa ad sensationes recipiendas destinata*.

Sensatio igitur, quantum ad rem nostram modo attinet describi potest: *Agentis externi in corpus animatum impressio quædam animæ præsens*.

Animæ facultas experiendi quascumque affectiones, quæ in ipsa accidunt, ideoque eas, quæ ab agente externo, modo dicto, proveniunt, dicitur *facultas sentiendi*, et in generè *sensibilitas*.

Cum maxima sit varietas corporum externorum, varia sunt etiam *organa sensoria*, quæ *sensus externi* communiter nuncupantur, quinque recensentur, videlicet, *oculi*, unde *visus*; *nares*, unde *odoratus*; *ures*, unde *auditus*; *palatum*, *linguæ superficies* et *labia*, unde *gustus*; *nervi* denique toto corpore contexti, unde initium ducit *tactus*.

319. Verumtamen neque organa sensûs, neque nervi, qui in illis difunduntur, nec quidquid corporeum est, sensum per se habere potest, sed omnis sensus est ab anima, quæ corpus informat. Etenim *sensatio* est actio vitalis, animæque operatio propria, adeo ut si non haberet in se principium hujus operationis minime sentire posset; sed ita est quod non concipitur actio vitalis absque principio intrinseco vitæ; ergo in organis corporeis impossibile est

auxilio ullius organi corporei videt. At hæc doctrina secundum utramque hypothesim absurda est. Pugnat enim cum naturæ constantibus legibus, et cum sensu intimo. Consulite Joh. Perrone, Opus de *Virt. Relig. nominatim vero de Mesmerismo etc.* Part. 2.^a Sect. 2.^a c. 1. et 4, Propo. 1.^a et 2.^a sed de iis alibi.

invenire ratio sufficiens sensationum, uti insipienter placebat M. Broussais (1), et Cabanis (2), alisque.

320. In sensatione igitur duo sunt distinguenda: 1.^o organi materialis modificatio ex agentis externi actione: 2.^o hujus impressionis experientia; quæ proprie ac formaliter sensatio est. Anima igitur *principium* est sensûs; organum vero animatum est ejus *subjectum*.

Sensationes, quæ per visum et tactum accipit anima, vocantur *sensibiles intuitiones*, vel etiam *sensationes discretivæ*; quia exhibent objectum externum distinctum à subjecto experiente; cæteræ autem solum his mediantibus, usuque accedente tales evadunt.

321. *Objectum proprium* cujusque sensûs est aliqua sensibilis qualitas prout sequitur *esse* corporis, nam una cum his qualitatibus excipit anima substantiam corporum, id est, subjectum, cujus operationes sunt (3).

Igitur *Objectum proprium Visûs* est lux cum suis diversis coloribus à corporibus reflexa: *Objectum Auditûs* sunt motus vibratorii corporum vel per aliud corpus propagati. *Objectum Gustûs* est actio quædam corporum in palatum et superficiem linguæ, quâ excitatur sensatio saporum: *Objectum Olfactûs* est actio tenuissimarum particularum, quæ quaquaversus à corporibus efflantur naribusque excipiuntur. *Tactus* denique *objectum* est in primis resistentia, quam corpora exercent, eorumque diversæ modificationes, ut durities, mollities, asperitas, caloris sive communicatio, sive substractio etc.

322. At, si tum qualitates, cum substantia sunt objec-

(1) *De irritatione ac dementia*, T. 1. p. 246., T. 2. P. 63.

(2) *Relatio inter physi. ac mora. homi.*, T. 1., et Lett. posth. ad M. F., de *Causis prim.*

(3) Con. Cajet. Sansev. *Phil. Christ.—cum ant. comp.*; *Dinam.* vol. 1. Pars. spec. c. 1. art. 2.^o

tum sensibilitatis, certe neque omnes qualitates, neque qualitates et substantia eodem modo ad sensus referuntur, ex quo fit ut diversa genera sensibilibus existant. Jam vero qualitates, de quibus immediate sermonem fecimus, *primo ac per se* sensus immutant ac determinant, ideoque vocantur *sensibilia propria*. Cæteræ vero, ut *figura, magnitudo, distantia, numerus, quies, motus*, non *immediate ac per se* aliquem determinatum sensum immutant, sed, eo quod cum sensibus propriis in eodem subjecto conjungantur, ad omnes, vel plures sensus immutandos concurrunt, ideoque vocantur *sensibilia communia* (1). Denique substantia (2), quia in cunctis sensibilibus munus subjecti obit, in eaque qualitates subsistunt, vocatur *sensibile per accidens*.

Sensibilia per se, seu propria, et sensibilia communia *distinctè*, sensibilia per *accidens obscure* per sensus cognoscimus (3).

Nulla tamen modo sensus possunt nobis referre corporum *essentiam, intimam constitutionem*, nec quid sint ipsæ sensiles qualitates in se, hæc omnia investigare ad rationem pertinet sensitiva intuitione et intimo sensu adjunctam.

(1) *Colores visui, voces auditui, sapes gustui, vapores odorati, tactui vero mollities aut durties*, Verba hæc sunt *Philonis Judæi, De mundi opif.*—*De somniis*. Et S. P. Aug. in lib. 2 *De liber. arbitr.* ait: Quid corporum formas, magnas, breves, quadras, rotundas, et si quid hujusmodi est, nonne et tangendo, et videndo sentimus, et ideo nec visui proprie, nec tactui tribui possunt, sed utrique? *Intelligo. Intelligis ergo et quædam singulos sensus habere propria de quibus renuntient, et quædam quosdam habere communia? Et hoc intelligo.*

(2) Hic per substantiam, ut facile colligitur, intelligimus *subjectum qualitarum*.

(3) Cons. S. Tho. QQ. Disp. *De ver.* q. 8 à 2.; Sum. 1. P. q. 78. à 3 ad 2.^m

323. Cum sensibilia *communia*, et sensibilia per *accidens* absdubio in corporibus ipsis existant; quæritur utrum sensibilia propria sint etiam in corporibus? estne in nive albedo, in melle dulcedo etc.? *Resp.* In *actu*, id est, quatenus dicunt modificationem organicam cum sensibili perceptione earum, sunt solummodo in ipsa organica modificatione, quæ est *species*, per quam sensus apprehendit res, seu corpora, in quibus sunt veluti in *potentia*; corpora enim habent aptitudinem modificandi organa, eo tali modo, quo has diversas qualitates sentiamus; sic cum dicimus: *dapes sunt dulces*, significare volumus, non quod dapes hanc dulcedinem in se habeant, sed ipsas habere aptitudinem, seu qualitatem eam excitandi, nec, ut patet, est talis dulcedo in ipsa sensatione *in se*; sensatio enim, ut sensatio, nec dulcis, nec amara est. Vapulat á seipso Mallebranchius, qui contrarium delirat.

324. Sensatio relate ad intellectum, cujus actibus, dum in præsentī conditione versamur, præcedit, materiamque subministrat, dupliciter considerari potest: 1.º ut est *subjecti affectio*: 2.º ut est *objecti externi repræsentativa*. Primo modo considerata dicitur vera, vel falsa, prout veram, vel falsam de se existimationem in intellectu gignere potest; secundo modo considerata dicitur vera, vel falsa propter conformitatem, vel diformitatem cum objecto, quod repræsentat. Nunc breviter huic Lectioni finem imponentes sit quoad 1.º sequens

325. PROPOSITIO. *In sensationibus, prouti subjecti affectiones sunt, nulla potest esse falsitas.*

Hujus propositionis evidentia ex dictis de sensu intimo immediate dimanat (198 et seqs.). Quidquid enim sint affectiones istæ in se, et quomodocumque in subjecto excitentur non potest subjectum non habere affectionem, quam sentit, nec diversam habere ab ea, quam sentit; igitur sensatio nequit offerre intellectui affectionem, quæ

in subjecto non sit, aut aliter, quam sit; igitur in se nunquam potest esse falsa (1).

326. Nec sufficit dicere ad labefactandam hanc veritatem: quandoque ex organi vitio receptas ab objecto impressiones immutari; ut cum v. g. ægroto dapes videntur insipidæ, vel iis, qui rheumate laborant, aromata sine odore.

Etenim verum quidem est organa sensuum secundum dispositionem, in qua sunt, ab iisdem objectis diversimode affici; unde actio eadem ex parte objecti, quæ in sani palato sensum grati saporis excitat, in palato ægroti, vel nullum saporem, vel ingratum ciet. Sed hoc ipsum confirmat, quod asserimus.

Munus enim sensuum est, non ut objecti actionem utcumque, sed ut actionem hanc, prout organa afficit, referat, quare fideles nuntii habendi sunt, si cum diversimode afficiuntur, diversimode se affectos renuntiant.

Veritas hujus propositionis nec ab ipsis scepticis in dubium revocatur, ipse eorum antesignanus David Hume aperte eam profitetur: *homines*, ait, *sentiunt se sentire ac percipere apprehendereque corpora, de quo minime dubitare possumus* (2). Satis pro nunc, cætera introspicere pertinet ad Psychologiam. Transeamus ad considerandas sensationes prout sunt objectorum repræsentationes.

LECTIO 42.^a—REGULÆ, SEU CONDITIONES ADHIBENDÆ IN USU SENSUUM. IDEALISMI BREVIS HISTORIA.—UTRUM ANIMI *activitas*, VEL IPSE *Deus* POSSINT ESSE CAUSÆ, ET RATIONES SUFFICIENTES APPARITIONUM CORPORUM, QUAS IDEALISTÆ ULTRO CONCEDUNT.

327. Agredimur nunc quæstionem *facti*, non *juris*, id est, agimus in præsentia de certitudine comparata testimo-

(1) Cons. S. P. Aug. *Lib. de vera Rel.* cap. 33.

(2) *Essais. sur l'entend. humam.* Ess. XII Oeuv. phil. T. 2.

nio sensationum; non vero de *modo*, quo ad hanc certitudinem adducimur, hæc est alia quæstio ardua, de qua alibi.

Sicut in cæteris naturalibus facultatibus, sic etiam in sensibus requiruntur quædam conditiones, ut modo naturæ proportionato suum objectum ac finem attingant, cum enim potentia de qua loquimur sit potentia organica (1), quæ non habet radicem in sola anima, sed in essentia compositi, quod resultat ex ipsius substantiali unione cum corpore, cumque anima quamvis sit in toto corpore *totalitate essentiae*, non sit tamen *totalitate virtutis*; virtus enim ejus ad quosdam actus exercendos diversa organa tamquam instrumenta requirit; necesse igitur est ut hæc instrumenta

I.° *Sint secundum intentionem naturæ*, id est, *sana, integra, ac vegeta*, quorum defectu non attingunt finem naturæ in ebriis, icteris, febricitantibus etc.

II.° Requiritur, *ut organica potentia* (cum sit actu primo passiva (2)) *ad actum determinetur*; quod non fit nisi organum á suo objecto *modificetur secundum proportionem naturæ*; hinc si objecta sunt nimis disita, vel propinqua, vel exilia, non recte afficiunt organa.

III.° *Ut vis sensitiva animæ sit proxime expedita*, ideoque ab alia vehementiore affectione non abstrahatur, ac veluti absorveatur, uti evenit si vehementissime afficitur organum, hoc læditur ac corrumpitur, cæteraque organa inordinate afficiuntur; his igitur in casibus adhibenda est.

(1) S. P. Aug., *Ep. 3. ad Volusianum*, ait.; Sunt quinque partiti corporis sensus, qui nec sine corpore, nec sine anima esse possunt, quia neque sentire est nisi viventis, quod ab anima est corpori, neque sine corporis instrumentis, et quasi vasis atque organis videmus, audimus, cæterisque tribus utimur sensibus; Cons. Salv. Tong. *Psych.* l. 3. c. 3. á l. prop. 1.

(2) Cons. S. Tho. 1. P. q. 79 á 3. ad. 1.

IV.^a *Conditio, propensio, scilicet, vere invincibilis ad præstandum assensum sensationi*, quæ propensio supponit: 1.^o *concordiam sensuum* in testimonio; 2.^o in sensationibus *constantiam*; 3.^o *reflexionis usum*, et rationis *examen*, et cum cæteris sensationibus *comparationem*. Defectu horum delirantes, et somniantes falso existimant videre corpora, quæ non existunt; brachium amputatum sentitur existens; baculus rectus in aqua obliquè immersus apparet fractus; rota citissime agitata videtur non moveri.

V.^a Habenda est denique *ratio mediæ*; ut sunt corpora interjecta inter sensum et objectum, ut patet in illusionibus opticis: item *actualis sensus dispositionis* provenientiis, vel ex vestigiis præcedentium sensationum, vel ex nimio frigore in tactu, aut si organum sit sordidum etc (1).

328. His aliisque cautionibus, quas ipsa natura ultro suggerit, non possumus non esse certi tum de existentia reali proprii corporis, tum de existentia corporum externorum, eorumque qualitatibus sensibilibus, tum denique de generalibus naturæ legibus.

Et profecto judicamus ac invincibili persuasione ratum habemus, et nos corpore extenso reali, et spiritu coalescere, et objecta, quæ per sensationes nobis exhibentur, vere extra nos esse, eaque nos habere præsentia, cum sensationes experimur. Attamen, quis crederet!! non defuerunt á prisca antiquitate, mente capti philosophi, qui, contra suam ipsorum convictionem, obtrudere non dubitaverint certitudinem, quam de existentia corporum habemus omnes, esse merum præjudicium minime rationi consonum, quodque Philosophia potest evertere. Ipsi concedunt corporum species menti obversari; negant vero corpora esse, vel saltem dubitant. Qui dubitant *idealistæ sceptici*, quos supra retulimus ac refutavimus (Lect. 33.^a n 247. et seqq.); qui

(1) Consulite S. P. Aug. *De vera Relig.* cap. 33., S. Th. 1. q. 17. á. 2.; et QQ. dispp. de vero, q. 1. á 11.

negant *idealistæ dogmatici* passim dictitantur; ii fingunt mundum quemdam imaginarium, corporaque nonnisi in ideis nostris existere docent. Longum nimis esset referre horum historiam ab antiquioribus usque ad ineptias, quibus sese implicarunt philosophiæ *emendatores* Emmanuel Kant (1724.) ejusque prognati Joh. Thof. Fichtè (1762), Guill. Joseph. Schellingius (1775) etc. (1).

Igitur idealismus dogmaticus duplex est; *subjectivus*, et *objectivus*. Idealismus *subjectivus* ponit corporum repræsentationes *ab ipsa mente produci*. Hic pertinet ad idealistas veteres, quem etiam profitentur eorum pejores *Egoistæ transcendentales* ex principiis Kantianis (2) Fichteum sequentes ducem. Idealismus *objectivus* statuit, *ab ipso Deo*, in ipsaque mente produci corporum phænomena. Hunc idealismum docuit Pseudo-Episcopus anglicanus Georgius Berkelejus (Hibernia 1684) (3).

329. Nicolaus vero Malebranchius, quamquam dipticis idealistarum non accenseatur, argumentis tamen usus est ipsorum propriis. *Singularem* enim iniens sententiam, putavit corporum existentiam per sensationes non posse demonstrari, ideoque certitudinem, quam de corporum existentia habemus, habemus per solam divinæ revelationis auctoritatem (4). Hoc Malebranchii paradoxon per se ipsum concidit; etenim divina Revelatio continetur in Libris Sacris, qui utique corporales sunt, et in Tradictione, quæ duæ supponunt *societatem visibilem, perennem, et infallibilem*; divina igitur Revelatio, seu fides supponit existere corpora; *quomodo crederent ei, quem non audierunt?*

(1) Cons. M. Bouvier *Hist. El. de phi. to. 2. lib. 9. sect. 3.*; *Civilt. Cath. ser. 2. vol. 4.*

(2) *Critic. rationis puræ.*

(3) *Theor. visionis.*

(4) *Recherche de la verité, Eclairc VI sur le 1^{er} liv.*

ergo fides ex auditu, inquit Apostolus (1). Et cum Christus Dominus ex mortuis redivivus sese discipulis conspiciendum præbuisset, et ipsi dubitarent utrum verum Christi corpus cernerent, sic eos alloquitur: *palpate, et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere etc.* (2); et Joannes ait (3); *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ etc.* (4); ergo ex ipsis Jesu-Christi verbis, id est, ex ipsa Revelatione manifestum apparet sufficere *sensuum testimonium* ad demonstrandam corporum existentiam; ludit igitur Malebranchius, et á se ipso vapulat.

330. His igitur prætermisissis ad scopum nostrum animo intendere conabimur sequentibus propositionibus, in quarum prima videbimus: Utrum ipsius animæ activitas, aut Deus ipse possint esse causæ sufficientes apparitionum corporum, quas *idealistæ* ultro admittunt. Deinde vero probabimus nos per sensum testimonium certos esse de existentia corporum, eorumque qualitatibus sensibilibus, insuper et de quibusdam etiam generalibus naturæ legibus; sit itaque

331. PROPOSITIO. I.^a *Non ipsius animi actio, non Deus ipse sunt per se, sine corporibus, causæ sufficientes repræsentationum sensibilium.*

Prob. 1.^a Pars. Subjectum cogitans non potest

(1) Rom. 10.—14, 17.

(2) Luc. 24—39.

(3) Joan ep. 1.^a V. 1.

(4) S. P. Aug. ait: *Subjucent sensui corporis quæcumque corpora.* Lib. 3 de lib. arb. c. 25. Et, de *Genes. ad litt.* c. 15 ait: *Qui carne vivit in carne sentit et dolores carnis fugit in quantum potest.* Et alib. *Sensibus tenemus, quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut gustando, aut odorando cognoscimus.* De decem Categor. cap. 5. *Hoc opus non est S. P. Cons. S. Greg. Magn. super Apoc. cap. 17; et lib. 11 Moral. Super illud Job. XII, Nonne auris verba dijudicat?*

esse causa apparitionum corporum corporibus non existentibus.

1.° Si apparitiones corporum prodirent unice ab activitate subjecti cogitantis, nihil aliud essent in se, quam *internæ* simplices subjecti modificationes, ut sunt actus cogitandi, intelligendi, judicandi, eligendi etc.; atqui corpora apparent, non ut cæteræ modificationes internæ, intra subjectum et in subjecto, sed tamquam objecta extra animam constituta ab eaque plane distincta; semper atque constanter exhibent aliquid extensum ac divisibile, per easque animus in seipso invenit (utpote principium simul cum corpore potentiæ sensibilis) extensionem, partes superiores et inferiores, internas et externas etc.; ergo præter subjectum simplex, est in repræsentationibus aliquid extensum, divisibile, externum, etc.; ergo animi activitas neque est, neque esse potest causa unica apparitionum corporum, corporibus non existentibus.

2.° Sensu intimo evidenter constat, nos non excitare illas apparitiones corporum, sed recipere; non formare, sed cum suis omnibus conditionibus accipere et nedum in his animus se agentem non experitur, sed potius contrarium, se patientem et determinatum sentit; ergo non *libere* est earum apparitionum causa, seu ratio sufficiens animus, ut placuit Fichteo, cum sæpe non possimus habere coram, quas maxime *vellemus*, et eas experiri cogamur, quas maxime nollemus, easque nullatenus declinare possimus; neque *necessario* est animus earum causa, ut placuit Leibnizio, quia variis modis eas pro libitu acquirere, vel impedire animus potest, uti lumen extinguendo, vel accendendo, oculos in hanc, vel illam partem convertendo etc. Insuper quomodo animus potest sibi corpora repræsentare, si nullam ideam hujus repræsentationis habeat? Unde haurit ideas corporum, ut ipsorum apparitiones sibi repræsentet? Igitur corporum apparitiones nec habent, nec

habere possunt causam sufficientem in animi activitate, corporibus non existentibus.

3.^o Postremo, horum phænomenorum mira varietas, pulchritudo, nexus, ordo etc., demonstrant animum non esse rationem sufficientem eorum; nam si esset, haberet in se mirabilem vim tum inveniendi, tum disponendi sine labore ullo conceptus suos, quam quidem vim non habet, teste sensu intimo, experientia, ipsaque ratione: *sensus intimus* testatur, nullam á nobis poni actionem ordinatricem, quæ sine conscientia utique poni non potest; *experientia* testatur, nos cum volumus aliquos conceptus ordinare vel phantasmata, animæ facultates exercere, et non sine magno labore illud assequi possumus: *ratio* testatur, nos cum ordinare ac nectere volumus affectiones, seu repræsentationes sensibiles ad ipsarum causas extra nos positas ordinandas ac nectendas recurrimus; quis sibi persuadere potest ut cum legit poëma Virgilio, vel Homeri, vel videt magnum palatium, aut Bibliothecam nec legere, nec videre, sed solum sibi interius hæc omnia efigere et ordinare? Patet igitur prima propositionis pars, scilicet: *repræsentationes corporum non habere sui causam in sola activitate subjecti cogitantis.*

332. *Prob. 2. Pars.* Nempe: *Deum non posse esse causam apparitionum corporum*, quas per sensationes accipimus, corporibus non existentibus. Etenim

1.^o Repugnat Deum, qui est ipsa veritas ac bonitas, in errorem invincibilem inducere rationalem creaturam, quæ ad veritatem facta est, et veritatis possessione maxime perficitur. Atqui si Deus, non existentibus corporibus, excitaret in nostris mentibus corporum repræsentationes, uti eæ nobis exhibentur, induceret nos in errorem, eumque invincibilem. Ergo Deus non potest etc.

333 1.^o *Induceret nos in errorem*, id est, in falsam persuasionem de corporum existentia, et in perpetua iudicia falsa: etenim cum corpora menti repræsentantur tam-

quam objecta, Deus oggereret perpetuo nobis objectum, quod non est objectum, realitatem fictitiam, res, quæ non sunt, tamquam si essent, ac proinde pertraheret nos ad judicandum vere esse ea, quæ non sunt; hoc repugnat Dei bonitati ac veracitati; ergo etc.

2.° Præterea, tota hominis vita super terram est in fugiendis iis, quæ fugienda ope sensuum percipit; exquirendis, quæ exquirenda; timendis, quæ timenda; custodiendis, quæ custodienda etc., et sicut actiones bonæ ac honestæ speciem accipiunt ab his objectis per sensum perceptis, si sunt rectæ rationi ac legibus conformia, ita actiones inhonestæ ac malæ, ut crapula, adulterium, etc.; dicemus igitur Deum esse insidiosum agens horum fraudum? itane sapientissimus purissimusque Creator noster ludibrio et illusionibus crudelibus ac perpetuis nos cruentare satagit? absit, ut talia cogitemus; maxime cum hic error foret *invincibilis*, ut probat

1.° Ipsa omnium invincibilis persuasio de corporum existentia, quam nec ad instans deponere possumus, ut cuique experientiâ patet. Videant idealistæ an possint deponere hanc persuasionem, vel saltem an dubitent vel semel de proprii capitis existentia.

2.° Insuper, hæc persuasio est quædam naturæ necessitas; non enim ab educatione, non ab studio, non ratiocinio eam comparavimus, nos adinstar infantis quædam naturaliter quærimus, naturaliter quædam fugimus; hujus persuasionis, hujus agendi rationis originem non invenimus; nobiscum orta nobiscum adolevit, et ipsa ratione confirmata est. Igitur si corpora non existunt, et ipsorum repræsentationes Deus nobis obtrudit, plane consequitur humanam naturam ab ipso Deo artificiose impelli in errorem naturalem, necessarium, perpetuum, invincibilem; quæ cogitare cum absurdum sit, profecto ruit altera idealistarum hypothesis, et manet demonstrata 2.ª *propositionis pars*.

Igitur cum nec subjectum cogitans, ut autumat idealismus *subjectivus*, nec Deus, ut vult *objectivus*, possint esse causæ sufficientes apparitionum corporum corporibus non existentibus, sequitur aliam earum apparitionum causam assignari debere, quæ alia esse non potest, nec idealistæ excogitarunt, quam realis existentia corporum agentium in organa sensibilia.

Solvuntur difficultates.

334. *Obj. I. Ego* (anima) nihil percipere potest, nisi seipsum, id est, proprium ego (non ego est nihil), alioquin ageret ibi ubi non est, quod est impossibile; igitur sensatio nihil aliud est, quam intrinseca evolutio ipsius *ego*; ergo nihil aliud per ipsam nobis constare potest, quam diversæ ipsius modificationes.

Resp. N. Ant. Ad rationem add. *Dist.*; si sentiret corpora, quin hæc in ipsam mediantibus organis corporeis agerent, ageret ubi non est, *Trans*, vel *conc.*; si vero corpora animæ quodammodo uniuntur organis mediantibus, ageret ubi non est *N.*; igitur sensatio etc. *Dist.*, id est, sensatio est actio vitalis et immanens et tamen repræsentativa, seu discretiva animi patientis et externi agentis, *Trans.*, vel *C.*; est evolutio aliunde proveniens sine sufficiente ratione, *N.* et *N. conseq.*

Inst. Inter sensationes et corpora nulla est ratio, vel proportio; ergo etc.

Resp. Dist. Ant. Nulla est ratio dependentiæ logicæ *N.*; Similitudinis quoad naturam; *subd.*; si sensatio formaliter consideretur, *conc.*; si materialiter, *Nego*. Inter sensationes et corpora est ratio dependentiæ physicæ, ejus nempe dependentiæ, quæ est inter effectum et causam. Sed non est necesse, ut huic insistamus; sufficit enim dependentia logica, nempe quod corporum existentia á sensationibus deducatur: potest autem ratio dependentiæ sive



physicæ, sive logicæ, esse inter res naturâ diversas.

Obj. II. Ab actu ad posse datur illatio; atqui Deus, nullis corporibus existentibus, sensationes ad corpora relativas producit, ut in Tobia, in Abraham, atque in aliis, quibus Angeli apparuerunt (1), quotidie idem præstat in SSma. Eucharistia; Ergo etc.

Resp. Conc. Maj. nego min. Ad exemp. de Angelis; *Resp. Dist.* Idque fecit Deus in aliquo peculiari casu, ex fine se digno, iisque in adjunctis, ut hic error vitari, vel detegi posset á paululum attendente, eo quod invincibilem adjunctam non habebant propensionem ad judicandum, C.; Secus, *Nego.* Insuper verisimile est Angelos, qui variis in circumstantiis apparuerunt, habuisse aliquod corpus, saltem aëreum.

Ad exemplum de Eucharistia; R. Ad sensus minime pertinere renuntiare naturam, seu substantias rerum; *Nec possunt* (ait Lucretius) *oculi naturam cognoscere rerum*; sed tantum qualitates sensibiles, quas utique percipiunt in Eucharistia; verum enimvero nec in errorem prolabamur *fides divina*, et consequenter ipsa ratio fidei innixa nos monent nec iis fidamus, cum sub speciebus panis et vini (quæ utrum ibi maneant virtute divina sustentata, utrum Deus per se ipsum sine ipsis efficiat quoad nos, quod per ipsas efficit; Deus enim potest eminentiori modo facere per se quod facit per creaturas, non est hujus loci determinare) nec sit panis, nec vinum, sed corpus reale, et sanguis D. N. J. C.; hocque consonum rationi est; ratio enim et ipsa suadet potius debere nos credere Deo, quam sensibus; errori igitur reclusa est via (2).

(1) Genes. 18—2, id. 28—12.—id. 32—30. Judic 6.—22.; Tob. 5—5 seqq.

(2) Cons. Berg. *Tract. Hist. et Doqm. de vera Rel.* T. 4. et 10; Emm. Maig. *Phil. Sacra.* vol. 1.

Inst. Deus potest non existentibus corporibus omnes sensibiles repræsentationes, quibus afficimur, in nobis producere; ergo etc.

R. 1.^o *Nego consequentiam.* *R.* 2.^o *Dist. Ant.*; potentia absoluta, *trans.*; potentia comparata cum ejus bonitate, veracitate etc. *N.*

Obj. III.^o Ratio docet Deum non facere per plura, quod fieri potest per pauciora: atqui Deus potest corporum repræsentationes nobis exhibere, his non existentibus; ergo ratio docet, Deum per se corporum repræsentationes exhibere, quin ad hoc corpora crearet.

R. 1. *Dist. Maj.* Deus non facit per plura etc. si nullum finem habet adhibendi plura, *C. M.*; secus, *N. M.* *Omitto min.*

Ad, Conseq. *R.* 1.^o *Dist.* Si nullum alium finem sibi proposuit creando corpora præter sensationes in nobis excitandas; *Trans. vel conc.* Si alios fines sibi proposuit; *Neg.*

R. 2.^o; *Trans maj. Ad min.* Deus potest. etc. *Dist.* Potest potentia absoluta, *trans. vel C.*; Potentia ordinata, *Nego*; vel *subdist*; potest in aliquibus particularibus casibus, talibusque in adjunctis ut error á paululum attendente facile detegi possit, *C.*; secus; *Nego.*

R. 3.^o *Retorqueo arg.* Si enim corpora non existunt multa Deus frustra operaretur; ad quid invincibilis propensio ad judicandum ex speciebus sensibus acceptis corpora existere? ad quid amor, vel timor circa corpora non existentia? ad quid sensuum organa? etc. etc. Omittamus alias nonnullas idealistarum nenas.

335. Animadvertite, quod cum Deus non possit per se excitare in mentibus nostris ideas corporum iis non existentibus propter hoc, quod repugnet ejus divinis attributis moralibus, neque potest permittere, ut natura humana ludibrio perpetuo habeatur á quopiam alio, maxime cum nullum medium præsto sit ad errorem detegendum.

Hactenus in hac quæstione elenticam sequentes viam,

indicabimus insufficientiam et falsitatem hypotheoseon idealistarum protrahentes hanc lectionem nonnihil plus justo: apologiam igitur pro testimonio sensationum agrediemur in sequenti.

LECTIO 43.^a—DE CERTITUDINE TESTIMONII SENSATIONUM.

336. Testimonium sensuum, seu melius, testimonium sensationum, nihil aliud est, quam: *Propensio nobis ingenita, quâ sensationes nostras ad res corporeas, tanquam actu existentes et tanquam earundem sensationum causas et rationes sufficientes invincibiliter referimus.* Sit itaque

PROPOSITIO II.^a *Ope sensationum nostrum, et ALIA extra nos posita corpora in se ipsis percipimus; seu: Ex relatione sensuum omnimoda certitudine judicamus existere corpora.*

Dicimus, «*in se ipsis percipimus*», cujus assertionis fundamenta alibi perpendemus, interim notate

1.^o Actus sentiendi est *actus conjuncti*; id est, non est actus animi tantum, multo minus corporis; sed illius suppositi sentientis, quod ex intima, physica ac substantiali animi et corporis unione resultat, quodque vocamus *subjectum sentiens*, ideoque in organis perficitur sensatio.

2.^o Sensationes minime considerari debent, ut animi cogitationes, quæ occasione motûs nervorum in mente excitentur, ut placuit Cartesio (1), Lockio, D. Alembert, et aliis; nec cum cl. Balmesio nostro admittere possumus, sensationes esse (ut ipse ait) phænomena mere interna, corporumque existentiam ex ipsis deduci eo pacto, quia cum singulis internis sensationibus assignari debeat causa, aliam assignare non possumus præter substantiam extensam, quam

(1) Medit. 6.

corpus apellamus (1); sensationes enim sunt objectivæ, et corpora externa sunt non solum earum causa, sed et objecta (2).

3.º Denique in cognitione nullus est transitus (*pons*) de subjecto ad objectum, nam, ut vere observat S. Thomas (3), *cognitio non dicit effluxum á cognoscente in cognitum sed magis dicit existentiam cogniti in cognoscente*: quod est decretum sensûs communis: *pons* igitur, quo objectum transit ac ingreditur in subjectum, sunt species, id est, motus moleculares inducti á viribus activis corporis in organum animatum quosque ipsum objectum in sensum imprimit (4), et hos, cum in conjuncto recipiantur, sequitur necessario quædam *reactio* ex parte principii vitalis et sentientis, quæ reactio, hoc secundo momento, *est ipse actus, quo animal objectum externum cognoscit per illam impressionem ab eo in organum receptam*. Hinc est quod cum has impressiones accipimus, dicimus: *apprehendo, percipio, video, audio*, id est, *sentio*. Etenim cum res externæ in cognoscente esse non possint secundum suum *esse reale ac materiale*, superest ut sint in ipso secundum aliquam sui similitudinem, aut speciem agentem determinantemque immediate subjectum sentiens ad *actum sentiendi*.

337. *Prob. nunc prop.* Ac primo quidem, hæc propositio ex dictis in præcedenti facile vera colligitur, etenim cum non aliæ causæ assignari possint sensationum præter Deum, activitatem animi et actionem corporum realium agentium in organa, et cum duæ primæ necessario

(1) *Philoph. Fund.* 1. 2. C. 1.—4—6.

(2) Cons. Gallup. *Elem. Philos. Psych.* c. 2.; Prisco, *Phil. Specul.* T. 1. *Dinam. spec.* c. 1. art. 2.—4.—5.

(3) QQ. disp. de vero q. 11 á 5. ad 16.

(4) Cons. S. P. Aug. *de Trin.* lib. 11. c. 8-9.

excludendæ sint, sequitur esse corpora realia agentia in organa immediate, quæ determinant potentiam sensitivam ad sentiendum.

338. Tamen ita eam astruimus.

1.° Sensus est potentia cognoscitiva (1); jam vero principium est omnibus notum, quod nulla potentia cognoscitiva, præsuppositis debitis conditionibus, possit errare circa suum proprium objectum (2), alioquin enim, cum omnis cognoscitiva potentia naturaliter ordinetur ad proprium apprehendendum objectum, si circa ipsum errare posset, *esset potentia ad non posse*, quod implicat; potentia autem sentiendi est organica, sensatio enim est actus conjuncti et in organo perficitur; atqui potentiæ organicæ objectum sunt corpora realia, seu apparientia; sed apparientia non possunt movere ac determinare ad actum potentiam realem et organicam, ut patet; ergo necesse est ut sint corpora realia; ergo ex relatione sensuum certi reddimur existere corpora realia.

2.° Sapientissimus mundi auctor Deus omnia posuit in numero, pondere et mensura, sive invariabiles quasdam constituit leges naturæ, quibus perenniter regatur Universi machina; jam vero quotiescumque nostrorum sensuum organa vivide, constanter ac uniformiter afficiuntur phænomena sentiunt, ut effectus prædictis naturæ legibus conformes; sed organa affici non possunt, nisi immediate tangantur ac veluti jungantur objecto aliquo, quod potentiam sensûs determinet ad actum; hoc autem objectum aliud esse non potest præter agens reale; patet autem ex supra dictis (231), hoc agens non posse esse aliud nisi corpora, alioquin frustraretur finis naturæ, ac consequenter læderentur Dei summa sapientia ac boni-

(1) *Quædam enim cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus.* S. Tho. 1. P. Q. 85. á 1. in corp.

(2) Cons. S. Thom. 1. 3. *cont. gent.* c. 108.

tas; sed hæc positio metaphysice repugnat; ergo supposita relatione sensuum metaphysice certi sumus existere corpora (1).

3.° Denique, sensu intimo teste dum illas experimur sensationes, quibus nostrum et alia extra nos posita corpora videre, tangere etc. dicimur, vere eadem in se ipsis tangimus, videmus etc.

Hoc enim apud omnes homines clarissime in comperto est, si vera fateri volunt ; Nonne possibile est, ut aliquis, dum librum legit, aut amicum amplectitur, aut dapes degustat etc., in animum inducat suum, se nec dapes degustare, nec amicum amplecti, nec librum legere, sed hæc nihil aliud esse quam phænomena pure interna, affectiones vanis simillimas imaginibus? ; Ecquisnam erit, qui, dum famem cibus depellit, sitim aquæ potatu extinguit, aut oculi pupillâ lucis radios contuetur, sibi persuadere possit, ut nec lux, nec aqua, nec cibus immutent organum sensationum, et nec cum ipso, nec in ipso immediate horum præsentiam experiatur, sed solummodo adinstar somniantium et delirantium vanis deludi illusionibus, usquedum instituto ratiocinio certitudinem acquirat de eorum præsentia? minime profecto; genus humanum naturæ legibus obsequens sensu intimo impellitur ad plane contrarium judicandum; judicat enim organa sensuum immediate affici ac determinari á suis objectis, quæ organa, cum sint animata á principio sentienti, semel ac hujuscemodi impressione modificantur, hoc principium determinant ad suam exercendam activitatem, quâ elicit actum sentiendi. Ita credimus, ita ratio suadet, ita Philosophia devitat barathrum ad *celebrem pontem* construendum.

(1) Cons. Tertull. de *Anima*. c. 17.; S. P. Aug. de *Musica* lib. 7. cap. 5-9; *Positio Balmesii*, Philo. fund. lib. 2. c. 6. §. 32, non videtur veritati conformis.

dum, et tot illos errores psychologicos, quibus in hac, sicut in aliis materiis, á fatali Cartesiano edicto, deturpata est.

339. Quod attinet vero ad nostrum corpus, præterquamquod ejus existentia nobis constat ex relatione sensuum externorum, nam eum tangimus et videmus, constat etiam ex sensu intimo.

Etenim sensus actualis sui ipsius est animæ essentialis; est anima enim vis semper expedita ad agendum et identica suo objecto; ergo necesse est, ut simul sentiat statum in quo est; jam vero anima est corpori conjuncta, atque ita conjuncta, ut unam cum corpore naturam constituat; ergo si sentit se semper corpori conjunctam atque unum cum illo constituentem, sentit semper præsentiam proprii corporis. Hoc ipsa experientiâ comprobatur; unusquisque enim se ipsum extensum sentit; sed si anima se solam sentiret, extensionem sentire non posset; ergo etc. Hinc iterum confirmatur quod supra statuimus (236), scilicet, corpora esse non solum *causas*, sed præcipue *objectum* sensationum, et immediatum; etenim si sensationes considerantur ut actus omnino simplices, sicut omnes animæ modificationes, nunquam liceret inferre earum causas esse substantias extensas; nam causa effectûs simplicis non debet necessario esse composita; sed semel posito, ut poni debet, quod subjectum sensûs se ipsum sentiat compositum, et modo in hac, modo in illa parte, necessario debet ab aliquo objecto composito immediate attingi.

Nota 1.º Hic sensus proprii corporis appellari potest *sensus fundamentalis*, quia est «communis radix et principium exteriorum sensuum» (1).

Nota 2.º Quamvis sensus sui ipsius sit animæ essentialis, sensus *sui ipsius in corpore* non est, sed consequitur

(1) S. Tho. *Suman Teh.* l. P. Q. 78. á 4. ad 2.

unionis statum, et sentit se in ea corporis parte, quam informat, videlicet, in toto nerveo systemate.

Manet igitur aliquatenus probatum; *Nos ope sensationum* etc. (1).

340. PROPOSITIO III.^a *Per sensuum relationem certi quoque sumus tum de corporum qualitatibus absolutis, seu de sensibilibus communibus, tum de existentia legum naturæ.*

Prob. 1.^o pars. Ac primo quidem, si per sensus nobis constat certo et immediate corporum existentia, á fortiori constabit eorum illæ proprietates, quæ ad plures sensus simul referuntur variaque organa immutant. Et profecto qualitates sensibiles per se, seu sensibilia propria (quæ absdubio per sensus certo cognoscimus, siquidem eæ ipsæ sunt, quæ subjectum determinant ad corporum præsentiam sentiendam) ita sensus referunt, ut ipsas referant quibusdam limitibus circumscriptas, qui limites constituunt *figuram* (39—4.^o), quosque si permanentes visus et tactus referunt, referunt quoque corporis limitati *quietem*; si successivos variosque, tum constabit corporis *motum* saltem *relativum*; si hos motus comparamus cum internis factis, etiam constabit motus corporum *absolutus*, et ita de cæteris.

2.^o Quæ omnia sensus naturæ communis demonstrat, videte si forte magis certi estis de existentia alicujus corporis, v. g. libri, quem præ manibus habetis, quam de ejus figura etc.

3.^o Hoc ipsum demonstrat finis ob quem naturæ auctor, Deus sapientissimus, nobis sensus tribuit; etenim non solum ex corporum existentia in genere, sed precipue ex eorum *existendi modo* vitæ necessitatibus occurrimus.

341. *Prob. 2.^a pars. 1.^o* Jam vero, si, ut constat ex sen-

(1) Cons. S. P. Aug. *Confess.* L. 10. cap. 10; *de quantitate animæ* c. 23.; S. Joan. Damasc. L. 2. *de Fide Orthod.* c. 18.

su intimo aliisque rationibus (231), nec animi activitas, nec Deus ipse possunt esse rationes sufficientes sensationum, quas constanter, vivide invincibiliterque experimur, quibusque certo judicamus existere corpora, iisdem certo judicamus existere quædam generalia constantiaque facta, quibus corpora subduntur obediuntque, et quæ naturæ leges vocamus, ut e. g. leges gravitatis, impulsionis, affinitatis, *reproductionis* etc.; hæc enim rationem sufficientem habeant, sicut et illæ, necesse est.

2.º Insuper, cognitio existentia corporum eorumque qualitatibus sive propriis, sive communibus, instituta *inductione* omnimoda certitudine, maxime si hæc fundatur in rerum natura, ascendimus ad quædam principia generalia statuenda atque adstruenda, ut ex physicis scientiis constat. Ergo per sensuum relationem certi quoque reddimur de existentia legum naturæ.

342. Præstat hæc omnia argumento Tertulliani, *lib. de anima cap. 17*, claudere; «Quid agis, ait ipse, Academicæ (scepticæ, idealistæ) procacissime totum vitæ statum evertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei providentiam excæcas, cum cunctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces, et mendaces dominos præfeceris sensus. An non istis universa conditio accesit, tot artes, tot ingenia, tot studia, negotia, officia, commercia, remedia, consilia, solatia, virtus, cultus, ornatusque? Omnia totum vitæ saporem condierunt, dum per hos sensus solus omnium homo animæ ratione dignoscitur intelligentiæ capax, et ipsius Academicæ». Prosequitur ipse, et ostendit nutare et ipsam Catholicam fidem, si nulla habenda sit ratio evidentiae sensûs.

Igitur de existentia corporum in genere habemus certitudinem metaphysicam hypotheticam; de existentia alicujus corporis singularis et legum naturæ habemus certitudinem physicam. Deus enim ob suum absolutum domina-

tum in mundo, potest his aliquo peculiari casu, et ob fines se dignos derogare; sed tunc hanc derogationem certo nobis patefaciet.

343. *Solvuntur difficultates.*

Obj. I.º adv. 2.º Prop. Sensationum ope corpora in se ipsis non percipimus, si sensationes nihil aliud sunt, quam meræ affectiones animi internæ. Atqui ita se res habet, ergo etc.

R. Conc. major. Nego min.

Prob. min. Sublatis corporibus externis, quæ sensationum objecta dicuntur esse, easdem adhuc experimur, quibus afficiebamur præsentibus corporibus; ergo sensationes affectiones sunt purè internæ. *R. N. ant.*

Prob. antec. Ii, quibus aliquod membrum amputatum est dolorem sentiunt in illo, cum jam non habeant; et vice versa, ille, qui lucem cæli miser non aspexit, si subito hanc facultatem ei conceditur, objecta, quæ nos externa putamus, ipsi oculis adhærere videntur, nullius rei formam percipit, nec alteram ab altera secernit; ut patet exemplo pueri tredecim annorum, cui Cheseldenius Londini cataractas detersit; ergo etc.

R. ad 1.º ante. part. Ii, quibus etc. Sentiunt dolorem *confusè in iis nervorum ramulis, qui prius in membrum illud* ac in varias ejus partes extendebantur, et vi phantasiæ et assuetudinis de hujus doloris sede judicant ut prius; *Trans* vel *Conc.* alio sensu, *Nego.*

Quad 2.º *Part.* Ille, qui etc. *R. 1.º* Potest negari ob generalitatem asserti; contrarium accidit, ut refert Rosminius ex relatione Joannis Janin et Ludovici Gregorii (1) *R. 2.º*; Et hoc potest evenire circa sensibilia communia, circa quæ varii adhibendi sunt sensus mutuo se corrigentes et adjuvantes, *Trans*, vel *Conc*; circa propria sensibilia; *Subd.*;

(1) Saggio sull' origine della idee , p. 5. c. 4.

ita fortasse potest conjici ex novi illuminati relatione, *Trans*; ita revera evenit, *Nego*.

Etenim dum lumine captus quis est, non potest intelligere quid veniat nomine coloris, figuræ, distantia, visionis etc. Quid igitur mirum si insulse et inepte ad interrogata respondeat? Hic addendum est, quod relatio Cheseldenii, quæ ad exemplum adducitur, pugnantia inter se loquitur. Asserit enim puerum non secrevisse externa objecta, quamvis magnitudine et figurâ valde diversa. Postea tamen subjungit, ei gratiora visa fuisse corpora, quæ majori symmetria et ordine constabant, quod fieri non posset, nisi figuras et distantias discrevisset.

Obj. II.° Sensus etiam si cum debitis conditionibus adhibeantur res non percipiunt ut in se sunt. Et re vera ipsæ sensibiles qualitates non sunt in corporibus eodem modo ac á nobis percipiuntur; ergo etc.

R. Distin. ant. Non percipiunt etc., i. e. non percipiunt essentiam intimamque naturam corporum, *conc.*; non percipiunt eorum proprietates reales, *subd.*; ut hæ proprietates sunt in illis *absolute, trans.*; ut sunt in illis *respectu nostri, nego.*

Ad prob. Sensibiles qualitates non sunt in corporibus absolute uti á nobis percipiuntur, *trans.*; non sunt in corporibus respectu nostri, ut á nobis percipiuntur, *nego.* Quid sint hæ qualitates absolute in se, investigare spectat ad philosophiam naturalem.

Ob. III.° De objectiva realitate nihil potest per sensationes cum certitudine decerni. Etenim

1.° Idem objectum diversa animalia diversimodo afficit, quædam enim animalia fugiunt ea, quæ homines appetunt, et vice versa.

2.° Hominum quoque judicia circa corporum qualitates sunt omnino diversa: ex. gr. hoc quod uni sapit, alteri displicet, hoc delicias uni, alteri nauseam creat. Ergo etc.

R. Nego ant. Ad 1.^m *trans ant.*; *nego conseq.^{am}* Una-

quæque animalium species á sensibilibus qualitatibus, quibus afficitur, ita afficitur, ut natura fert et objecti et subjecti. Et hoc ipsum confirmat assertum nostrum.

Ad 2.^m *Dist. ant.* Ea diversitate, quam potest inducere varietas inclinationum, assuetudinum, præjudiciorum, etc. *Conc.*; ea diversitate, quæ repeti debeat á diversitate sensationum, *subd.*; á diversitate accidentali, *conc.*; á diversitate essentiali, *nego*; et juxta hanc postremam distinctionem, *distin. conseq.*

Obj. IV.º Fieri nequit, ut corpus in spiritum aliquid agat, proindeque ut spiritus á corpore aliquid patiatur. Ergo fieri nequit, ut sensibile speciem suam in sensum imprimat eamque sensus excipiat, id est, nequit immutare ac movere principium sentiens ad actum; ergo etc.

R. *Dist. antec.* Si spiritus est purus, sive corporis expers, fieri nequit etc. naturaliter, *Conc.*, Sin autem cum corpore naturaliter spiritus conjungitur unione physica et substantiali, vel, quamvis non conjungatur, potentia divina fieri id nequit, *nego*.

Ultero concedimus neque corpus posse aliquid directe et immediate in spiritum agere, neque idcirco spiritum posse per se et immediate quidquam á corpore pati. Nam cum passio proprie et strictè accepta, uti S. Thomas inquit (1), transmutationem materialem in patiente producat, animus, qui transmutationis materialis capax non est, nequit aliquid á corpore immediatè pati, nihilque idcirco corpus directe et immediate in animum agere potest. At dicimus ac defendimus, sensibile non agere quidquam directe et immediate in animam, sed in organa corporis, atque hæc, quippe quæ *animata* sunt, *efficere*, ut animus per corpus et cum corpore, quod *informat*, aliquid á sensibili compatiatur.

(1) QQ. Dispp. de pass. ani. á 2.

Qua in re S. P. Augustinum auctorem sequimur, qui inquit: «quamvis non sentiat corpus *exanime*; anima tamen commixta corpori per instrumentum sentit corporeum, et idem instrumentum sensus vocatur» (1).

344. *Notate.* Si forte vobis occurrit quomodo igitur animæ damnatorum torquentur igne, qui juxta Catholicam sententiam est materialis? (quamvis elementaris). Audite S. P. Augustinum (2).

«Hic occurrit quærere, ait ipse, si non erit ignis incorporealis, sicut est animi dolor, sed corporalis, tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari; quomodo in eo erit etiam poena spirituum malignorum?.... Quamvis *miris*, tamen *veris modis* etiam spiritus incorporeos posse poenâ corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?

»Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, immo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum juncturâ inspirentur, et animalia fiant, quæ constant spiritu et corpore; sed, ut dixi, *miris* et *ineffabilibus modis* adhærendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, ne comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est.»

Obj. I. adv. 3.^{am} Prop. Testimonio sensuum nulla fides adhibenda in his, quæ ad sensibilia communia perti-

(1) *De Trinit. lib. 11. cap. 2.*; Cons. id. S. P. Aug. *De Musica*, lib. 6. c. 5.; B. Albert. Mag. *de ani. lib. 2. tract. 3. P. 71. et.*; S. Tho. 1. C.

(2) D. Civ. Dei lib. 21. c. 10.

ment, ut docent 1.^o Astronomia, Physica, Metaphysica: 2.^o innumeri errores á sensibus proveniunt circa figuram, magnitudinem, distantiam motumque corporum; 3.^o et sæpe sensus rem unam pro alia, quæ ipsis obversatur percipiunt. Ergo etc.

R. *Nego ant.* Ad. 1.^m *dist.*; docent hæ scientiæ falsas esse ideas, quæ cum sensibili perceptione formantur, *nego*; falsa esse judicia, quæ emittuntur juxta sensationes, *subdist.*; cum sensus applicantur ad propria objecta, ut par est, adhibitis certis conditionibus, *nego*; secus, *conc.*

Ad. 2.^m *Dist.*; et ii innumeri errores versantur circa propria cujusque sensûs objecta, *nego*; circa objecta mediata, *subdist.*; et proveniunt á sensibus positis debitis conditionibus, *nego*; iis non positis, *Conc.*

Circa sensibilia communia, et sensibilia per accidens, planum est, quod plures cautiones adhibendæ sint, quam cum agitur de sensibilibus per se; in illis plures sensus et etiam quædam rationis comparatio requiruntur.

Ad. 3.^m *Nego.* Hæc substitutio non est á sensationibus, sed á judiciis præcipitanter et sine debitis cautionibus elicitis.

Obj. II. Magnitudinem corporum eorumque formam referunt sæpissime sensus diverso modo ac in ipsis sunt; etenim magnitudinem modo majorem, modo minorem; et formam rotundam loco quadratæ; baculum obliquè aquæ immersum offerunt fractum, rectum cum sit, etc. Ergo etc.

R. *Dist. ant.* Et hæc omnia accidunt, eo quod contra jus fasque sensus applicantur modo indebito, vel ad objecta non propria, *Conc.*; secus, *Nego.*

Diversitas magnitudinis dependet ex diversitate imaginis depictæ in oculi reticulata membrana, illiusque magnitudo dependet á majori vel minori *convergentia*, vel *divergentia* radiorum lucis á corporibus reflexæ, quæque angulum visualem majorem, vel minorem format, et ideo á majori, vel minori distantia, vel corpore inter-

medio dependet. Idem dicitur de rotunditate. Quoad baculum, dependet hoc ex eo quod radii lucis á corpore densiori ad minus densum transeuntes refringuntur sejungentes sese á perpendiculari formandoque angulum visionis majorem, in cujus directione videmus baculi cuspidem immersam, et ideo elevatam; sed hanc opticam illusionem tactus corrigere debet.

Forsitan molestiâ vos afficit extensio harum Lectionum, obsequentissimus vestris desideriis, jureque ipso impulsus aliam materiem assumam.

LECTIO 44.^a—DE AUCTORITATIS CRITERIO. PRÆNOTIONES.
—DE DIVINI TESTIMONII UTILITATE, NECESSITATE ET CERTITUDINE.

345. Veritates, quæ rationis captum exsuperant, impossibile est, ut aliunde sciamus, nisi per divinam Revelationem; facta etiam quamplurima, quæ, sive ob distantiam loci, sive temporis, quoniam ante annos nostros acciderint, scire minime possumus, nisi ex aliorum narratione et testimonio; sed etiam plurimas veritates ordinis naturalis, quæ *absolute* per nosmetipsos cognoscere possemus, nihilominus *varias ob causas* moraliter et physice impossibile est, ut absque auxilio divini et humani testimonii cognoscamus, ut oportet.

Quæremus igitur 1.^o Quid sit testimonium et quotuplex. 2.^o Quanta sit utilitas, necessitas et certitudo divini Testimonii, utrum existat divina Revelatio, et an sit unicum certitudinis motivum. 3.^o Deinde quæremus de humani testimonii necessitate, utilitate et certitudine circa facta coæva datis quibusdam conditionibus. 4.^o Denique de certitudine testimonii humani circa facta præterita, sive de fide, quam merentur *historia, documenta et monumenta*; quibus addemus appendicem de arte Critica et Hermeneutica. 1.^m Quæsitum expediemus hac in Lectione.

Hæc materia, si, ut par est et sese præstat, tractaretur, volumina implere posset: noster autem scopus est solummodo hîc principia quædam firma et immobilia statuere studiosis indicando loca, ubi possint ea evolvere; itaque

346. 1.° Qui alteri propriam cognitionem signo aliquo communicat vocatur *Testis*; græce *Martyr* (1), igitur *testimonium* est ipsa cognitionis significatio; *testis* (ait Cicero) *est qui dicit, quæ scierit, aut audierit, cum veritate sermonis* (2). Metaphorice testis et testimonium dicuntur etiam de rebus et factis; res enim et facta dant testimonium. *Assensus*, quem alterius testimonio præstamus, vocatur *fides*.

2.° *Jus*, quod habet testis, ut fidem sibi demus, vocatur testis *auctoritas*, hoc jus ipsi tribuunt sua ipsius *scientia* de eo, quod testatur, et *veracitas cognitæ*, id est, si constat ipsum *scire* quod dicit, et *dicere* quod scit. Si hæc duo certa nobis sint, testis auctoritas est sufficiens, et certitudinem gignere potest. Si alterutraque, vel una est tantum probabilis, vel ignota, auctoritas est insufficientis, et solam probabilitatem gignere potest.

3.° Testimonium, si personam testantem, seu originem spectamus, aliud est *Divinum*, aliud *Humanum*.

Ratione materiæ significatæ, aliud est *dogmaticum*, aliud *historicum*. Testimonium est *dogmaticum*, si versatur circa cognitiones doctrinales, sive scientificas rationis lumine et discursu comparatas. Est *historicum* si versatur circa *facta sensibilia*, quæ proinde sensuum testimonio cognoscuntur.

Si hæc *facta* naturæ vires et ordinem non exsuperant, vocantur *naturalia*, sin autem totius naturæ creatæ ordi-

(1) Cons. S. P. Aug. sup. PS. 68. conc. 6. in illud.: *testimonia tua exquisivi*.

(2) Lib. 4. de arte Rhetor.

nem ac facultatem excedunt, vocantur facta *supernaturalia*, seu *miracula*. Ad rem nostram idem est.

347. 4.° Testes, qui factorum notitiam communicant, vel ipsi propriis sensibus *facti* experientiam et notitiam acceperunt, vel ab aliorum testimonio: si primum vocantur *testes oculati*, seu *immediati*; si secundum vocantur *auriti*, seu *mediati*, in hoc secundo casu, si vixerunt eodem tempore, quo *factum* contigit, vocantur *cocævi*, si non eodem, sed proximo tempore, vocantur *suppares*, si temporibus subsequentibus, *remoti*.

5.° Si factum verbis significatur, testimonium appellatur *narratio*; si illud plures testes, iique mediati sermone celebrent, incerto tamen teste immediato, hoc testimonium dicitur *fama*, vel *rumor*; vix aut ne vix quidem fidem meretur rumor, sed sufficit, ut homo prudens ejus fundamenta investiget.

6.° Jam vero narratio, seu memoria facti duobus potissimum mediis ad nos usque et posteros pervenire potest, *orali*, scilicet, *traditione*, et *documentis*, quibus addi jure possunt varii generis monumenta; seu quod idem est, per *traditionem oralem scriptam*, et *practicam*.

Traditio oralis est: *Facti narratio per testium continuatam seriem ad nos usque viva voce transmissa*.

Documentum est: *Facti testimonium scripto consignatum*. Ad documenta pertinet *Historia*, quæ ita definiri solet: *Narratio eventuum verorum eo fine, ut, cum majori possibili probabilitate, nos doceat à factis præteritis futura prævidere*. Ex propria experientia, ex testium relationibus, et ex monumentis deducitur ac formatur historia; habet ut auxiliaries varias scientias, uti sunt *Geographia*, *Cronologia*, *Philologia*, *Paleographia*, etc.

Ut historia scientiæ nomine digna sit, non sufficit ut facta enarret simpliciter, sed illi necesse est ut ad eorum causas investigandas assurgat, facta ipsa ordinando et probando, cur ita sint, cur tales sint, cur ad invicem talem

ordinem servant. Variæ sunt ejus divisiones, quæ non sunt hujus loci (1).

Monumentum est: Facti testimonium aliquo artis opere ex materia, quæ longius duratura sit, significatum, et expressum; ut statuæ, columnæ, numismata, sepulchra, etc.

348. *Nota.* Actus *fidei*, et actus *scientiæ* non possunt esse simul in eodem intellectu circa idem objectum; nam actus scientiæ est essentialiter *evidens*, et ejus motiva sunt rerum rationes intrinsecæ; fides autem est essentialiter *inevidens*, docet rem esse, sed non ejus intrinsecæ rationes sunt motiva assensûs; attamen verissimum quoque est *actum* fidei posse esse simul in eodem intellectu circa idem objectum cum *habitu* scientiæ, et vice versa; tum quia actus et habitus non opponuntur, tum etiam propter diversa motiva, quæ ad eos eliciendos impellunt (2). His breviter declaratis veniamus ad Divinum Testimonium.

349. PROPOSITIO. I.* *Dantur plures veritates, quæ absolutè ac per se captum cujuscumque humane rationis excedunt.*

Notate 1.º Veritas aliqua est supra rationem, ideo quod non possit intellectus habere per se ideam prædicati, quod convenit rei, aut eo quod non possit apprehendere certe convenientiam, aut discrepantiam inter rem et prædicatum illi conveniens, aut non-conveniens; seu illa, cujus notas, seu terminos cognoscimus, sed minime cognoscimus eorum nexum.

(1) Cons. Cæsarem Cantú. *Discurso sobre la historia universal*; edición de Madrid, 1866.

(2) Cons. S. Tho. 2.^a 2.^æ q. 175 á. 3. ad. 3; et id. q. 1. á. 5. ad 4.; et de ver q. 13. á. 2. ad 5; S. P. Aug., *Tract.* 68 in *Joa*, ait: *Si vides jam non est fides.*

2.° Iterum, veritas aliqua dicitur supra rationem

a) *Absolute*, et *secundum quid*. *Absolute* est supra rationem ea veritas, quam mediis naturalibus assequi nullo modo possumus. *Secundum quid* est illa, quam mediis iisdem non possumus cum certitudine, aut cum perfectione cognoscere, ut v. gr. quædam futura libera, vel rerum essentias physicas.

b) *Per se*, et *per accidens*. Mentis humanæ vires *per se* illa excedunt, quibus cognoscendis hæ vires ex sese impares sunt. *Per accidens*, quæ cognosci nequeunt propter difficultates præpedientes virium exercitium; ut v. gr. numerus stellarum.

Prob. nunc prop. 1.° Intellectus humanus est evidenter finitus, ut qui contingens est et successive perfectibilis, et ad se perficiendum tot adminiculis egens; ergo intellectus essentialiter infinitus, non solum quoad modum cognoscendi, sed et quoad amplitudinem, seu numerum possibilium cognitionum infinite humano necessario superare debet. Et profecto si inter intellectus humanos, quorum differentie sunt accidentales et finitæ, tot nihilominus discrimina inveniuntur quoad amplitudinem cognitionum, quodnam non erit inter finitum et infinitum? *Ergo dantur plures veritates etc.*

2.° In ipsis rebus humanis quamplurima sunt, quorum notas quamvis cognoscamus, quid in se sint plane ignoramus. Quid v. gr. est vita animalis? Quid generatio? Quæ est intima corporum natura? Quid est motus? Quid....

Sed si in naturalibus, quæ videmus, quæ tangimus, tot mysteria, seu veritates, quæ capere non possumus, quid erit in illa infinita Essentia, cujus existentia est suum esse, et suum esse est actus purissimus, vita ipsa perfectissima? Admirande et ineffabilis Deus! adorande et colende, confitemur, Domine, in omnibus á te vinci, de quo, Pater amantissime, gaudemus et tibi gloriam damus.

Concludamus, mentem infinitam plurima cognoscere, quæ limites humanæ rationis excedunt. *Ergo dantur etc.*

350. PROPOSITIO II.^a *Veritates, quæ humane rationis captum excedunt, aliter cognosci non possunt, nisi per divinam Revelationem.*

Nota. Revelatio divina est illa actio Dei specialis, per quam aliquid homini notum facit aliter, quam per rationem aut media naturalia.

Explic. Prop. Veritates hujuscemodi, neque sensuum testimonio aut experientia, neque idearum comparatione seu naturali discursu cognosci possunt, neque ex aliorum hominum testimonio primitus accipi. Si enim possent aliquo hujusmodi medio addisci, jam humanæ rationis vires non excederent.

Aliunde vero, neque ex parte Dei, qui est intelligentia summa, infinite sapiens et potens, repugnat earum veritatum revelatio; neque repugnat ex parte hominum, qui cum intelligentia ac ratione præditi sint, nulla certe re vetantur propositam sibi veritatem excipere, sicut et alia quæcumque solent homines inter se mutuo communicare; neque repugnat tandem ex parte rerum revelatarum; enim si istæ veritates conferunt ad majorem Dei cognitionem et gloriam, et hominum utilitatem, dignum Deo est ipsas manifestare.

Quæ omnia vel *ipso naturæ sensu* comprobantur; divinas enim revelationes gentes semper et ubique crediderunt et acceperunt.

Merito igitur SS. D. N. Pius PP. IX. damnavit seq. prop. «Omnia indiscriminatim dogmata religionis Christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; »et humana ratio historice tantum exulta potest suis »naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus »etiam reconditionibus dogmatibus scientiam pervenire, »modo hæc dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint» (1).

(1) Encicl. *Quanta cura*, 8. Decem. 1864. *Syll. prop. num. 9.*

351. Dicetis forsitan; esto, sed si veritates, quæ absolute rationis captum excedunt, Deus revelat, vel humanus intellectus eas minime capiet, et nihil profecimus; vel, si capit, desinunt esse supra rationem, quod implicat.

Resp. Utrumque ex parte verum est; humanus enim intellectus per revelationem non capit intrinsecam connexionem terminorum propositionis significantis veritatem revelatam; sed verum est, ipsum cognoscere per revelationem existentiam veritatis revelatæ; id est, scit tale subjectum habere tale prædicatum, seu notam, esto ignoret *quomodo*; quam existentiam omni ex parte ignoraret, nisi ei manifestaretur.

352. PROPOSITIO III.^a *Veritates, quæ sunt supra rationem, minime possunt dici esse contra rationem.*

Esplicatur. Etenim supra rationem est ea propositio inter cujus terminos, nec convenientiam, nec discrepantiam ratio suis relictis viribus deprehendere sufficit. Contra rationem est ea propositio, quæ evidenti veritati opponitur, nempe quæ in terminis, quibus constat, vel absolute vel hypothetice, vel mediate vel immediate contradictionem aliquam manifestat. Jam vero hæc duo: *non posse cognosci; cognosci contradictionem involvi*, non solum infinite inter se differunt, sed opponuntur. Igitur quæ sunt supra rationem, quamvis *non sint secundum rationem*, quia ratio mediis sibi propriis non cognoscit necessariam connexionem earum cum principiis, quibus ipsa regitur, nisi per summum nefas dici nequeunt esse contra rationem.

1.^o Jure ac merito igitur in Concilio 5.^o Lateranensi sub Leone X damnati sunt illi, qui contendebant, aliqua posse esse falsa secundum principia philosophiæ, vera autem secundum principia fidei Christianæ. Unde sic conclusit, sacro aprobante concilio, Summus Pontifex: *Cum*

verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse defendimus (1).

2.º Nedum veritates revelatæ repugnent rationi; maxima est concordia inter revelationem et rationem; nam ex una parte ratio percipit omnem propositionem á Deo revelatam debere necessario veram esse, ex altera autem parte percipit Deo revelanti esse firmiter credendum; percipit enim Deum esse veracem, Deum habere jus in actus nostros, Deum posse veritates captum humanum superantes revelare, ac proinde percipit hominem teneri Deo revelanti præstare obsequium, tum intellectûs, veritati revelatæ adhærendo; tum voluntatis, auctoritati Dei revelantis se subjiciendo. Igitur contra rationem agit, qui rationem Deo subjicere detrectet, detrectat vero, qui assensum negat veritati á Deo revelatæ.

3.º Denique veritas á Deo revelata, etsi supra rationem sit, non potest unquam alicui propositioni metaphysicè certæ esse repugnans, ac proinde nec argumentis ullis evidentibus oppugnari; etenim horum argumentorum evidentia esset vel *intrinseca*, vel *extrinseca*; sed neque *intrinseca* potest esse, cum essentialem connexionem subjecti ac prædicati ex supposito plane ignoremus; neque *extrinseca*, hæc enim evidentia extrinseca esset, vel contra Dei veracitatem, ideoque absolute impossibilis, cum evidens sit *Deum esse veracem*; vel contra existentiam revelationis, quæ etiam impossibilis est supposito, ut supponitur, *facto* revelationis.

353. Potest tamen veritas revelata opponi propositionibus physice certis, quia divina Omnipotentia virtus potest has aliquando derogare, sed exinde nullum verum argumentum contra ipsam opponi potest, etenim leges physicae, quamvis hypothetice sint necessariae, absolute

(1) *Apud. Labb. tom. 14. P. 187. E.*

tamen contingentes et variables sunt; ergo est possibilis earum derogatio; ergo si constat *factum* revelationis alicujus veritatis legibus physicis oppositæ, nihil inde sequitur, nisi quod in hoc casu derogatas à suo Auctore fuisse.

354. Ex his patet solutio omnium difficultatum contra quamcumque revelatam veritatem. Verumtamen adducamus unam ex Bayllo.

Obj. Veritas est objectum intellectûs; ergo quidquid verum est potest esse ejus objectum.

R. Dist. ant. Veritas etc., nempe veritas est id, ratione cujus intellectus assensum adhibet, *conc.*; veritas etc, i. e. omne enuntiabile, quod verum sit, est objectum intellectûs, *subd.*: si est in eodem ordine et natura ac est intellectus, *conc.*; si est in ordine et natura sublimioribus, *iterum subd.*; si vires intellectûs augentur, ac veritas ei manifestatur, potest ea esse objectum intellectus vel ex toto, vel ex parte, *conc.*; alio quocumque sensu, *nego*. In eodem sensu, *nego consequ.* et *consequentiam*.

Inst. Sed si est in ordine supra rationem eo ipso veritas est contra rationem: quod enim est supra, rationi conforme nequit esse; ergo etc.

R. Nego ant. et Disting. prob. Quod supra rationem est non est rationi conforme, *negative*, i. e. quatenus non continetur iis, quorum falsitatem ratio per naturalia media cognoscit, *conc.*; *positive*, i. e. quatenus continetur iis, quorum falsitatem ratio cognoscit, *nego*. Eo ipso quod hæ veritates sunt supra rationem nihil positive ratio de iis decernere potest, et si solummodo investigare utrum opponantur aliquo naturali principio metaphysice certo, quod non demonstrabit in æternum.

Obj. Rousseau. Homo non debet assensum præbere, nisi iis propositionibus, quas ratio suadet veras esse. Assensus enim rationalis esse debet; sed ratio nequit suadere veritatem eorum, quæ sunt supra ipsam; ergo etc.

R. Dist. maj. Homo etc.; quas ratio suadet esse veras

per motiva *intrinseca*, vel *extrinseca*, *conc.*; per motiva solum *intrinseca*, *nego*. *Ad mino*. *Distin.* Sed nequit ratio etc., per motiva *intrinseca*, *conc.*; per motiva *extrinseca*, *subd.*; si constet de divina revelatione, *nego*; secus, *trans.*

Etenim si de divina revelatione constet, jam ipsa ratio perspicit, non posse id, quod proponitur, verum non esse, proinde irrationabile plane esset, assensum negare aut suspendere.

355. PROPOSITIO IV.^a *Utile est humano generi, ac summo opere conveniens, ut veritates quoque naturalis ordinis, quæ ad cognitionem sive Dei, sive moralium officiorum pertinent, fide divina accipiat.*

Not. 1.^o Nos loqui de veritatibus sive theologicis ordinis sive moralis, quæ deductione aliqua ex primis principiis, et fundamentalibus veritatibus educuntur et applicantur.

2.^o Loquimur de hominibus *collective* consideratis.

3.^o Longissime nos abesse á sententia illorum, qui ad omnem prorsus veritatem assequendam, divinæ revelationis opem esse homini necessariam putant; sed nec in ipso theologico, ac morali ordine negamus rationi individuali sufficientiam ad cognoscendas saltem veritates primitivas ac fundamentales.

Abstinemus á determinanda necessitate revelationis, et solum loquimur de ejus summa convenientia, ne longius, quam par est, progrediamur (1).

Assertio ita demonstratur á S. Thoma (2). 1.^o Necessarium est homini accipere per modum fidei, non solum ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt. Et hoc propter tria.

Primo quidem, ut *citius* homo ad veritatis divinæ cog-

(1) *Cons. Joa Perrone, Præl. Theol., de vera. Relig. adver. incred.* c. 2.; *Melchior. Can., de Locis theol.* L. 9.

(2) *Summ. Th. 2. 2. q. 2. á. 4.*

nitonem perveniat. Scientia (1) enim, ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis aliis scientiis; et sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret.

Secundo, ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes, et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi, qui omnino á Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei.

Tertio propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. Cujus signum est, quia philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes, in multis erraverunt, et sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur, quasi á Deo dicta, qui mentiri, non potest (2).

Jam quod S. Thomas ex his rationibus necessarium esse concludit. quocúmque tandem sensu hæc necessitas intelligenda sit, hoc certe utile ac summopere conveniens dicere licebit; ergo etc. (3).

2.º Id ipsum confirmatur generis humani historia. Etenim constat nullum esse populum divina destitutum revelatione, qui in gravissimos absurdosque errores prolapsus non fuerit, sive circa Dei naturam et cultum ei debitum, sive circa sanæ ethices principia, hocque non solum inter antiquos populos, sed et etiam inter hodiernos, qui divinam fastidiunt revelationem (4).

(1) Metaphysica scilic.

(2) Cons. S. Hilar. l. 5. c. 20.; Origenes, *Cont. Cels.* l. 7.; Platon, *in Timæo*.

(3) Cons. *Sum. cont. gent.* l. 1. cap. 4.

(4) Cons. S. P. Aug. *De Civ. Dei*, plurimis in locis, præsertim

Merito igitur damnata fuit á SS. D. N. PP. Pio IX in alloc. Maxima quidem 9 Junii 1862.) sequens prop. *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.*

356. Sed dicent *obj. I.*° Vel intellectus humanus potest omnes veritates ordinis naturalis cognoscere, vel non: si 1.^m esset revelatio *superflua*; si 2.^m *deficit* ratio in *necessariis*; ergo etc.

R. *Conc. disj. Ad memb. min.* ad 1.^m; si potest *absolute* esset *superflua*, *trans.* Si quamvis absolute possit, non potest cognoscere collectionem veritatum, ut oportet, esset revelatio *superflua*, *nego.* Ad 2.^m *dist.*; deficit in *necessariis*, si sermo est de statu *supernaturali*, in quo homo realiter constitutus est, ratio humana deficit in *necessariis per se, conc*; si sermo sit de statu *pure naturali*; *Resp. 1.*°, ad nihil difficultas, cum sit *falsum suppositum.* R. 2.^o *Dist.*; deficit ob hominis culpam, peccatum nempe originale, ex quo ignorantia et concupiscencia, *conc.*; deficit ex natura sua, *nego.*

Obj. II.° Humanum genus potest has veritates addiscere á philosophis. Ergo non est illi necessaria revelatio, neque ad id ut eas *cito, communiter* et *cum certitudine* assequatur.

R. *Nego. Primo* quidem, quia moraliter impossibile est ipsis philosophis, ut per se has veritates complete ac sine erroris admixtione teneant (2).

vero L. 2.; L. 7; L. 14 c. 20.; L. 21. etc. Et *Epist.* 21 ed. Maur.: Orig. *Cont. Cels.*; Diog. Laert. *de vita Philol.*; Tertul. *lib. de idolatri.*; Horat. *Satir. Lib. 1. Sat. 8.* etc.; Aug. *Nicol. Stud. philosoph. l. 1. c. 5.* et 6.; quamvis tantillum exaggeratus hic est.

(2) Legatur quæcumque historia antiquorum philosophorum, et hodiernorum, qui revelationem abjiciunt, vel sola philosophia Germanica; Cons. *Civitatem Dei* S. P. Aug.; Joseph. Cuevas, *Histo. phil.*

Secundo vero, quia, dato et non concesso, quod assequerentur, moraliter item impossibile est, ut philosophi universum genus humanum in his erudiant, ex defectu potissimum *consensionis* in opinando, et *auctoritatis* in docendo, ex defectu *persuasionis*, et ex defectu *conformitatis actionum cum doctrina*; merito de ipsis ait Juvenalis: *Curios simulant et Bacchanalia vivunt* (2). Ecce jam

357. PROPOSITIO V.^a *Quaecumque docentis Dei testimonio nituntur, infinitam habent auctoritatem.*

Hæc propositio nulla indiget probatione, vel enim atheismum profiteamur necesse est, vel, si Deum admittimus, per sese evidens est. Deus enim ex Essentia sua est absolute infallibilis, et absolute verax, est ipsa essentialis veritas; repugnat ergo, quam quod maxime, ut vel decipi possit, vel decipere; quaecumque igitur Deus revelet, sive dogmatica sint, sive facta; sive præterita, sive presentia, sive futura metaphysicam habent certitudinem.

358. Idem de Ecclesiæ docentis testimonio sentiendum est;

1.^o Est enim divinæ revelationis custos et magistra à Deo constituta cui promisit jugem sui ipsius assistentiam, in his quæ ad fidem et mores pertinent; nulli igitur errori potest esse obnoxia Ecclesia catholica, nec quod falsum sit docere, sive in his, quæ à Deo immediate accepit, sive in discernendis ac judicandis his, quæ docent homines, propter jus à Deo acceptum regendi, pascendi ac dirimendi et discernendi nociva à salutiferis paschuis. Si enim Ecclesia Christi (quæ est Catholica, Apostolica, Romana) in docendo et judicando aliquando falleretur, non homines tantummodo errarent, sed Deus ipse deceptor esset, cum nobis præceperit ei obedire, cum pœnis comminando æternis eis, qui obedire detrectarent, promittensque Ecclesiæ suam jugem assistentiam usque ad consummationem sæculi, repugnat

(1) Cons. Cicer. l. 2. *tusc.* n. 12.; Perr. lo. cit.

igitur ipsa errare æque ac repugnat errare ipsum Deum (1).

2.º Quia ipsam Christi personam quoad missionem gerit in terris.

359. PROPOSITIO VI.ª *Existit divina revelatio, quæ etiam veritates ordinis naturalis complectitur, eaque est præcipuum subsidium, quo philosophus in investigatione veri tuto progreditur.*

Prima propositionis pars, præterquam quod ex historiæ documentis valde exploratis constat (2), ita probatur: veritates, maxime quæ ad religionem et mores pertinent, hujusmodi sunt, ut earum cognitio ab omni errore immunis necessaria sit omnibus hominibus et quidem vix cum ratione eâ uti incipiunt. Atqui si soli rationi eæ inquirendæ relinquerentur, nonnisi á paucis, et post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum cognoscerentur, ut prop. I. cum S. Thom. dictum est. Ergo necessarium fuit, quod homines de iis per divinam revelationem instruantur; ex divina Providentia, et ex hominis fine et dignitate evidenter hoc consequitur; ergo etc.

Præterea, primus homo, quippe qui totius generis humani parens et doctor futurus erat, *institutus est in statu perfecto, ut posset alios instruere* (3), ac proinde ea omnia scire debuit, quæ homini cognitu necessaria sunt, tum ad vitam agendam, tum maxime ad finem supernaturalem, ad quem assequendum destinatur, et ad cujus ordinem elevatus fuit. Ergo duplici scientia, naturali, scilicet, et supernaturali, divinitus infusa fuisse

(1) Cons. Theol., qui de hac materia pertract., inter alios Card. Robert. Bellarm. *Controv.* T. 1.; Melch. Can. *de Locis.*; Perrone. *de Locis the.* par. 1. Sect. 1. cap. 4.

(2) Cons. Perrone, de Ver. Relig. pars. 1. cap. 4.

(3) Cons. S. Tho. *Sum. Th.* 1. P. Q. 94 á 3.

Adam instructum pro certo habendum est. Divina hæc Revelatio, quam Deus identidem auxit absolvitque penes Ecclesiam Catholicam, quam Christus servator noster fallendi nesciam instituit, integra atque incorrupta existit; ergo etc.

Altera propositionis pars primam consequitur. Si enim existit Divina Revelatio, philosophus, quoties verum ratione inquirat, in iis maxime, quæ ad religionem et mores pertinent, illam præ oculis habere debet, non ut inde argumenta petat ad rem, quam quærit, demonstrandam, sed ut cognoscat, utrum demonstrationem rite confecerit. Nam si qua conclusio dogmati revelato contradicit, pro certo habendum est, demonstrationem perperam institutam fuisse, eamque diligenter excutere oportet, ut ejus vitia detegantur. Revelatio igitur est primum et præcipuum instrumentum, quod ratio in sui subsidium advocare debet, ne in suis inquisitionibus vacillet, aut à recta via aberret (1).

360. PROPOSITIO VII.* *Divina autem auctoritas non est unicum certitudinis motivum, neque ut motivum ordine primum haberi potest.*

Explic. Et sane antequam Deo revelanti fidem quis adhibeat certum illi esse debet: 1.º *Deum esse*, quod evidentia mediata, seu rationis discursu ei constabit, 2.º *Deum esse veracem*, et ideo Deo revelanti esse credendum, quod immediata evidentia ipsi manifestabit; 3.º *Deum aliquid credendum proponere*. Jam vero hæc omnia, ut videtis, certa nobis sunt per rationem individualement *sensu intimo, sensibus externis, idearum comparatione, et memoria* utentem. Ergo etc.

(1) Cons. Perr., *de Locis Theo.* De Ecclesia; it. Rob. Bellarm. *Controv.* T. 1. de Eccles; Petrum Fournier, *Tract. de Relig.*

Dicetis; ergo si his mediis adducti fidem Deo damus hæc fides nec est absolute certa, nec virtus Theologica.

Resp. Hæc fides non est absolute certa, *nego*. Quod per talia media, *præsertim per evidentiam* constat, est necessario et absolute certum, ut videbimus cum de ipsa paulo infra agamus.

Non est fides Theologica, *Concedo*. Fides enim Theologica, ut actus, est assensus, quem intellectus *divina gratia præventus et adjutus* præstat veritatibus á *Deo revelatis* et ab *Ecclesia* propositis *propter ipsius Dei auctoritatem* (1).

361. *Obj.* Quidquid verum est, ideo est, quia adæquat suam mensuram, id est, Intellectum divinum, á quo ut *exemplari formali* habent quidquid sunt; atqui plane ignoramus quid res sint in divino Intellectu, si Deus nobis non manifestat; ergo ut aliquid de rebus affirmemus, aut negemus, necessaria est divina manifestatio, seu revelatio; ista ergo est unicum veritatis criterium.

R. Dist. maj. Quidquid etc.; verum est veritate transcendentali, seu rerum, *conc. maj.*; verum est veritate subjectiva, seu formali intellectûs nostri, *subd.*; quatenus etiam intellectus noster *quidquid* habet *esse* et *operari*, habet ab illo divino exemplari, *conc.*; quatenus ut aliquid affirmet, vel neget de rebus, necessario egeat ut ipsi manifestetur, *subd.*; ut ipsi manifestetur vel ab ipsa rerum entitate, seu realitate, vel ab ipso Deo, *conc.*; á Deo tantum, *nego*.

Ad min. Planè ignoramus etc. Si Deus nobis non manifestat vel per media naturalia, ut sunt ipsa rerum essentia, existentia, vires intellectûs, cui res sese offerunt ac manifestant, per sensum intimum, etc., vel per se Ipsum, *conc.*, per se Ipsum tantum, *nego*.

(1) Cons. Joa. Perrone, *Prælec. The. de Virt. fid. sp. et cha. pars. 1.^a cap. prælim. et cap. 3., Prop., et cap. 4. Prop. 1. et 4.; et cap. 5. Prop.*



362. Intellectus noster est quædam participatio Intellectus divini; ergo sicut Intellectus divinus cognoscit perfectissime omnia possibilea non solum in sua divina Essentia, sed etiam in se ipsis; ita intellectus noster potest cognoscere ea possibilea, quæ *limites* hujus participationis non excedunt, quin necesse sit, ut sciat á priori quid hæc sint et quomodo sint in divino Intellectu, cum aliunde certo certius sciat, res nihil posse habere in se ipsis, quod non adæquet perfectissime divinam earum ideam (1).

LECTIO 45.^a—DE TESTIMONII HUMANI UTILITATE ET NECESSITATE; DE EJUS CERTITUDINE QUOAD FACTA COÆVA.

363. PROPOSITIO I.^a *Utile est omnibus, immo plane necessarium, ut testimonio humano sive historico, sive dogmatico fidem in pluribus adhibeant.*

Prob. Et primo quidem hoc quod dicimus perspicuum est in primis rationalis vitæ initiis. Nascimur enim sine experientia, nec ratione recte uti possumus, dum in infantia versamur; plurimas igitur veritates, quæ in his initiis necessariæ scitu sunt, quasque nec experientiâ, nec ratiocinio tunc assequi datur, non aliter quam majorum auctoritate confisi addiscere possumus. Esse autem hujusmodi necessarias veritates tum speculativas, tum practicas, tum dogmaticas, seu doctrinales, tum historicas nemo sanus dubitare potest.

Igitur sine fide in auctoritate humani testimonii plane ignoraremus, qui sint parentes nostri; ubi fuimus nati; quo populo, civitate, natione vivimus; quæ jura et hæreditates á parentibus et majoribus accepimus; qui sint legitimi magistratus, et superiores; ignoraremus valorem et legitimitatem legum, quibus societas regitur, ipsamque religionem revelatam; uno verbo, *sine fide in hominis*

(1) Cons. S. P. Aug., *Tract. 1.^m in Johan.*

auctoritate genus humanum necessario periret (1). *Divina providentia et ineffabili beneficentia geritur animæ medicina, cum auctoritas præcedit, et rationi præparat hominem*, ait S. P. Aug. (2).

2.° Nec in infantia solum, at in omni deinceps ætate utilis est omnibus ac necessaria fides in aliorum testimonio.

Multæ enim sunt veritates apprime utiles et necessariae tum ad vitæ physicæ, tum moralis usus, quas maxima hominum pars varias ob causas nullatenus sibi comparare potest. Atque illi ipsi, qui docti dicuntur, multis in rebus rudes sunt et indocti, in quibus, nec sint imprudentes, aliis fidem adhibent; ita mathematicus credit medico, medicus legisperito, legisperitus theologo etc. Quisnam enim latebras omnium scientiarum perscrutatus est? Hinc illud: *peritis in arte credendum est*.

Quoad facta vero historica idipsum á fortiori dicendum est. Etenim quisnam hominum præsens est omni tempori, omnique loco? facta igitur, quæ extra angustum spatium, cui sese extendit experientia nostrorum sensuum, in æternum ignoraremus, si fidem aliorum auctoritati pernegamus. Ergo: *Utile est etc.*

364. PROPOSITIO II.ª *Humanum testimonium dogmaticum certitudinem proprie dictam ex se gignere non valet.*

Ante omnia animadvertite, nos hîc minime loqui de consensu SS. Patrum, vel christianorum Doctorum in iis,

(1) Præcl. Balm. *phil. funda.* T. 1. Cons.; S. P. Aug. *De util. credendi*, c. 12. n. 24. et 26; Lib. *De fide rerum, quæ non videntur*. mun. præsertim 2. et 4.; Berg. *Traité de la ve. relig.* tom. 4.

(2) *De vera Relig., et de Morib. Eccl. Catho.* L. 1. c. 1. et Confes. lib. VI. c. 5. ait: De quibus parentibus essem ortus, scire non possem, nisi audiendo credidissem.

quæ ad fidem et mores pertinent: eorum enim consensus, vel saltem eorum majoris partis, cum cæteri non contradicunt, non est solum testimonium dogmaticum, sed simul est testimonium *historicum*, quo certi reddimur quid sentiat et doceat ipsa Ecclesia (1).

Prob. prop. Omnis homo per se spectatus et falli potest, et fallere; ergo ejus testimonium nunquam formidinem oppositi excludere potest; quantumcumque enim verax homo sit, quid prohibet ipsum errare? quamvis nobis aliunde constet ipsum sufficientem scientiam habere, quid prohibet ipsum mentiri? maxime cum et ipsa experientia id non semel confirmavit.

Insuper, veritates doctrinales, seu dogmata, vel sunt theologica, vel philosophica. Theologica non humanâ, sed divina nituntur auctoritate; philosophica admitti non debent sine intrinseca ratione; hinc quadrat illud Platonis: *Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas* (2). Tamen si quis in aliqua disciplina valde versatus cognoscatur, et de ejus probitate non dubitemus, hujus auctoritas potest esse motivum sufficiens, quo ad assensum adhibendum prudenter moveamur, (sit. v. g. S. Alph. M. Ligorius in *Moralibus*). Hoc de testimonio *per se spectato*, si autem accedant rationes à nobis cognitæ, tunc hæ magnum robur accipiunt, eo quod auctor probatus easdem receperit.

Igitur quamvis verum sit, auctoritatem dogmaticam, seu doctrinalem ex se omnem oppositi formidinem non excludere, possunt talia concurrere, ut oppositi formidinem impossibile reddant, itaque *non jurare in verba magistri* bonum est, sed attente considerandæ sunt ejus

(1) Cons. Melch. Canum. *de Locis. Theo.* Lib. 7. cap. 2. et 3.; lib. 8. cap. 4.; Perrone, *de Locis The. Sect. 2. de Trad.* cap. 2. § VI.; Petrus Ann. *Appar.* tom. 1. Lib. 4 art. 3.

(2) Apud. S. Th. 1. *Ethic. Lect. 6.*

rationes; et ne in extrema labamur summa prudentia et veritatis amore indigemus.

365. Quæ de unius testimonio dogmático, eadem de plurium quoque in eandem sententiam consensu generatim dicenda sunt. Nisi quod quando plures sunt, qui eadem docent multo facilius constare nobis potest de eorum veritate (1). Sententiæ autem veritas erit tanto probabilior:

1.º Quanto plures sunt Auctores, quæ eam tradunt; vide dicta Lect. 32.º

2.º Quanto sint magis ab invicem independentes.

3.º Quanto aptiores cognoscantur ad ferendum iudicium in materia, de qua agitur: hinc quod unus præ pluribus valere potest.

4.º Quanto materia, de qua agitur, est minus errori obnoxia, minoremque præbet præjudiciis locum.

Postremo: Si qua est sententia, in quam Doctores omnes uniformiter consentiunt, ejus probabilitatem omnino maximam esse putandum est, nec ab ea recedendum credimus sine temeritatis nota, nisi evidens ratio, aut experientia contrarium demonstret, aut saltem constet cognitiones ad rem, de qua agitur, definiendam eis defuisse.

Hæc, quæ diximus de auctoritate sapientum in quæstionibus scientificis, dicenda ex æquo credimus de auctoritate prudentum et experientium, ubi consulitur de rebus agendis, imo in istis plurimum auctoritati concedendum est.

366. Sed nunc quæri potest: utrum si omnes homines in unam convenient sententiam, hæc sententia evadat erroris experts?

Respondemus *distinguendo*: si hæc consensio non est quasi naturæ congenita, ideoque nec indelebilis, nec constans, aut non est rectæ rationi conformis, tunc potest

(1) Cons. S. P. Aug. *de Ordine*, lib. 2. c. 3.

considerari non ut necessitas et vox naturæ, sed potius ut strepitus illusæ multitudinis, præjudiciis passionumque æstu raptæ, nullamque fidem meretur. Scientiarum, ipsiusque generis humani historia hanc conclusionem evidenter comprobant.

Sin autem consensus est naturæ rationalis principiis conformis, ejusque necessitatibus apprime satisfacit, ideoque non patrimonium *commune* et vox omnium, sed patrimonium uniuscujusque, et effectus necessarius naturæ constans et talis, ut destrui minime possit, tunc hæc universalis consensus infallibilis est: Etenim: *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est*, ait Tullius (1): sit itaque

367. PROPOSITIO. *Judicia sensûs naturæ communis falsa esse nequeunt.*

Animadvertite, quod, ut hæc universalis consensus nobis constet, non est necesse, ut ab unoquoque interrogetur quid sentiat circa aliquam doctrinam; hoc enim præterquamquod est impossibile, est absurdum; sufficit, ut ex traditione, documentis et monumentis, atque ex sensu intimo constet ejus universalitas, uniformitas et constantia.

Prob. prop. Ubicumque inveniatur effectus constans, uniformis et universalis, necessario requiritur et supponitur causa constans, uniformis et universalis; alioquin aliquid esset sine ratione sufficiente, quod repugnat. Jam vero sunt quædam judicia universalis, constantia, indelebilia, et uniformia apud omnes gentes, quamvis ætate, culturâ, ingenio, moribus, educatione etc. diversissimas, ut sunt quæ respiciunt animæ immortalitatem; poenas et præmia futura; existentiam supremi alicujus numinis; justi

(1) De Natura Deorum, lib. 1. c. 17.

et injusti differentiam etc. Ergo hæc judicia non possunt aliam habere causam, seu originem, quam ipsam humanam naturam unam et essentialiter invariabilem semper et in omnibus, non obstantibus tot accidentalibus differentiis; atqui absurdum est dicere ipsam humanam naturam esse intrinsecam erroris causam; ergo hæc judicia sunt infallibilia.

368. Insuper, si intimius quæramus causas multarum veritatum, quæ *sensûs naturæ communis* vocantur, inveniemus profecto aliam evidentem rationem ipsas confirman-tem; etenim invenimus harum aliam non posse esse causam, quam vel ipsarum *evidentem* connexionem cum primis universalissimis principiis, quæ ipsam rationem constituunt, vel si difficiliore sunt, divinam primitivam revelationem, quæ, quamvis plus minusve corrupta ac deturpata, quoddam nihilominus imperium in omnes populos obtinuit, propter ejus perfectissimam conformitatem cum naturæ rationalis necessitatibus (1).

369. Cæterum, minime agemus communis testimonii magisterio, ut veritates istas addiscamus, neque ejus auctoritate, ut ratas illas certasque habeamus. Sunt enim unicuique certissimæ propter eam evidentiam, quâ omnibus affulgent, ut patet in principiis, quæ rationis patrimonium constituunt.

Tamen hæc communis persuasio in his veritatibus ad duo juvat: 1.° ad hoc ut veritates adeo necessariæ facilius ac promptius addiscantur, ac menti validius inhæreant: 2.° ut protervis earum impugnatoribus pudor injiciatur.

370. Et nec mihi *objiciatis*, quod si ita est, admittere oportet plurimos errores et fabellas universaliter admissas,

(1) Investigando originem legitimitatis veritatum sensûs communis turpissime, sicut in aliis, aberravit Thomas Reid. *Cons. Orig. Cont. Cels.* lib. 4. cap. 79. et 80.; S. Tho l. P. q. 94; et *qq. Disp.* q. 18.

ut v. g. Pantheismum in fere omnium populorum theogniis, et Politheismum in eorundem cultu generaliter professum. Nam

Resp. 1.° Creationis mysterium et veritatem potius á philosophis ignoratam, quam oppugnatam fuisse.

Resp. 2.° Fidem mysterii Creationis constituere unam ex fundamentalibus veritatibus universim admissis et creditis á generationibus antidiluvianis, et postea á populo á Deo electo; non erat igitur Pantheismus universalis, nec talis, ut deleri non posset.

Quoad Politheismum dico:

1.° Intime persuasum me esse, politheismum proprie dictum nunquam exitisse; omnes enim populi gentiles inter multitudinem deorum, quos adorabant, nunquam crediderunt eos esse *æquales ac independentes*, sed contra, super omnes eos agnoscebant, vel solo naturali rationis lumine, quoddam supremum numen, jam vocassent *Jovem* vel alio quocumque nomine (1).

2.° Politheismus igitur nec universalis erat, ante diluvium enim et aliquod tempus post diluvium monotheismus omnes populos obtinebat, et semper obtinuit populum electum; nec talis, ut deleri non posset, ut patet post Evangelii promulgationem.

Transeamus ad examen humani testimonii circa *facta*: cum vero facta possint esse testibus coæva, vel præterita; naturalia, vel supernaturalia; et cum præterita ad nos usque veniant vel per *oralem traditionem*, vel per *historiam et monumenta* (Lect. 43.^a), breviter agemus de singulis.

(1) Cons. *Tert. Apolog.*; Euseb. *Præparatio Evang.*; Huet, *Nova demonst. Evang.*

LECTIO 46.^a—PRÆNOTANDA CIRCA FACTA, ET CIRCA
TESTES.—PROPOSITIO.

271. CIRCA FACTA.

1.^o *Factum sit publicum et illustre*, id est, tale ut non solum testibus facile innotescere potuerit, sed etiam ut eorum attentionem et diligentiam facile excitarit.

2.^o *Sit metaphysice possibile*, alioquin á quacumque auctoritate proponatur rejiciendum est. Nihilominus antequam metaphysicè impossibile declaretur sedulo accuratio-rique examine omnia adjuncta iterum iterumque consideranda sunt.

3.^o *Si facta sint physice impossibilia*, id est, naturæ legibus contraria, non idcirco repudianda, sed accuratius examinanda sunt; nam divina Potentia potest naturæ legibus derogare.

4.^o *Factum, quod est contra exploratas morales leges, si de multitudine aliqua narretur, est plane rejiciendum*, quia est moraliter impossibile; *si vero de uno vel paucis individuis non sine accurato examine recipiendum*. Lex moralis hîc est: *modus constans et uniformis, quem homo naturâ ductus in suis servat operationibus*.

5.^o *Si factum sit contrarium aliis factis certis, est rejiciendum, si sit contrarium factis probabilibus accuratius examinanda sunt omnia facta, ut appareat ex parte cujus sit veritas*.

6.^o *Factum non est rejiciendum eo solo, quod præsentibus moribus sit contrarium, vel opinionibus*.

7.^o *Cum agitur de remotis antiquisque populis diffidendum de narrationibus, quibus describuntur regionis divitiæ, mores, cultus, religio, rei publicæ administratio- nis forma, etc.*

8.^o Denique, *accurate distinguendum inter facti substantiam, et circumstantias ejus*.

372. CIRCA TESTES.

1.^o *Communiter sint plures.* Dico *communiter*, quia accidere aliquando potest, ut unus testis plenam faciat fidem, si singularem justitiam prudentiæ conjungat præcellenti; aut rem coram iis enarraverit, qui eventui interfuere, vel aliunde quorum maxime intererat mendacium coargüere; tunc enim non unus, sed plures putari possunt testes.

2.^o *Sint independentes*, id est, non unus ab alio, et omnes fortasse ab uno hypodicascalorum more facta decantent.

3.^o *Ocularis anteponendus mediatis, domesticus extraneis, mediatus remotis; cæteris paribus.*

4.^o *Depositiones testium inter se conferantur*, eorum opiniones, religio, secta, studia, mores, lucra vel detrimenta ipsis ex factis narratis obvenientia accuratè sunt perpendenda.

5.^o Denique, *plurimum interest attendere an dubitanter, vel é contra, diserte, simpliciter, et sine ulla ambage testes facta enarrent*, quâ constantia, et an asserant se facta vidisse etc.

373. PRINCIPIA MORALIA.

1.^m *Homines naturâ sua verum scrutantur et amplectuntur.* Nihil animis nostris tam innatum est atque insitum, quam veri cupiditas: *labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus* (1). Ideoque certum est homines non omittere attentionem necessariam ad verum deprehendendum, maxime cum ex eo aliquid sibi sperent vel timeant eventurum; præsertim cum nec laborem, nec studium hæc inquisitio affert; multoque magis cum inquisitio ipsa affert voluptatem.

2.^m *Omnes homines amant ac quæerunt laudem veritatis, et nihil magis ægre ferunt, quam mendaces haberi.*

3.^m Denique, *Moraliter necessarium est, ut bonum,*

(1) Cicero, *De officiis*, l. 1. c. 6.

quod in mendacio homo apprehendit, in ejus saltem æstimatione, difficultatis, quam in mentiendo experitur, sit compensatio sufficiens: Hinc illud, nemo gratis mendax.

Quidni vero si ex sua narratione persecutiones, ludibria, bonorum jacturam, dicteria, mortem ipsam certo videant eventura? estne possibile naturaliter, ut tunc testes mentiantur? His præjactis, aliis omissis, aut ad appendicem remissis, sit

PROPOSITIO. *Testimonium hominum circa facta coæva, datis quibusdam conditionibus, est motivum infallibile certitudinis.*

Prob. 1. Tunc infallibiliter constat factorum veritas, cum eorum testes nec decipi potuerunt, nec decipere volunt, nec possent etiamsi vellent. Atqui sunt plurima facta, quorum testes nec decipi potuerunt, nec etc. Ergo etc.

1.^o *Nec decipi potuerunt.* Nam, testes plures, et studiis inter se diversi, necessario supponi debent graves, attenti, prudentes, diligentes in re scrutanda, quia agitur de re magni momenti, ut est v. g. defectus totalis solis, resurrectio mortui jam semiputridi, existentia urbis aut hominis celebris etc.; ergo circa hujusmodi facta sensibus obvia decipi non potuerunt, nisi fingantur facultatibus, organis et sensibus omnes orbat, quod fieri nequit, sine ingenti miraculo, quod sane Deus facere non potest; repugnat enim divinis attributis miraculum facere ad homines decipiendos. Etenim necesse est supponere testes existimare se vidisse, quod non viderunt; audivisse, quod non audierunt; tetigisse, quod non tetigerunt, quæ omnia repugnant, maxime si agitur de ingenti multitudine. Ergo
1) *Sunt quædam facta, quorum testes decipi non potuerunt.*

2) *Nec alios decipere volunt.* Nam, vel sunt certo probi, integri et veraces, vel saltem numero plures, ætate, indole, educatione, natione, religione, studiis, inge-

nio, moribus diversi; atque hujusmodi testes impossibile est velle constanter in eandem deceptionem consentire; 1.° ob principia supra dicta (273); 2.° quia quod uni utile esset, alteri noxium accideret; quod aliis gloriam, lucrum et commoda reportaret, aliis causa esset periculi, dedecoris et detrimenti, ut accidit Apostolis et discipulis Christi, qui omnes nec in hoc mundo, nec in futuro, cum Deum justissimum prædicarent ac crederent, aliquod emolumentum sibi promittere potuerunt; in his igitur casibus impossibile est testes velle decipere. His igitur in casibus concordia testium, saltem quoad facti substantiam, aliam non potest habere causam, nisi veritas facti testati; nisi supponamus testes sibi ipsis infensissimos, quod quidem repugnat absolutæ necessitati; quâ rationalis natura suum appetit bonum. Ergo concludamus necesse est, 2.° esse *plura facta in quibus referendis testes decipere nolunt.*

3) *Nec possent decipere, etiamsi vellent:* Et hoc quamvis testes sint pauci, imo vel unus tantum; etenim rem enarrat suis contemporaneis, inter quos impossibile est aliquos non invenire, qui ex tali facto aliquid nec sperent, nec timeant, quique mendacium et deprehendere, et redargüere facile possint. Fac ex. gr. hodie esse aliquem, qui adeo audax est, ut non vereatur divulgare vel viva voce, vel in aliqua historia, aut periodico libello, hispanos debellatos fuisse á marochanis anno 1860; vel hoc ipso anno (1868) hispanos expulsos esse ab insulis Philippinis; vel anno 1808 non grassasse fere totam hispaniam Gallos; vel istos ingenti sanguinis jacturâ á pæninsula non fuisse ejectos etc. ¿nonne millia millium mendacium redarguerent, et impudentem exhibilassent? Quid est, quod quotidie accidit nonnullis calumniatoribus impudentibusque scriptoribus circa facta, aut mendacium vel parvi momenti? Nunc advertite, quod id, quod hodie accidit, plus minusve semper evenit: homines enim semper eosdem invenietis.

Jam vero in his adjunctis nemo quantumvis malus mentitur. Etenim quicumque mentitur, mentitur ut alios decipiat, hi vero testes certi sunt se non posse quemquam decipere; et norunt se mendacii notam, atque infamiam incururos, si mentiantur; quia norunt impossibile esse, cæteros non reclamare, et ipsorum dictorum falsitatem non demonstrare. Si igitur factum enarratur vel á pluribus, vel etiam á paucioribus, cæteri autem tacent et consentiunt, facti veritas stabilitur, et ad posteros firmius in dies perveniet; enim, ut ait Cicero: *Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat* (1).

375. Pone factum, quod quidam testantur, publicum et magni momenti contrarium esse opinionibus, quibus ipsi imbuti sunt; parti, cui favent; sectæ, cui sunt addicti; insuper testimonium, quod reddunt, neque gloriam, neque commoda, neque voluptatem ipsis parere, sed infamiam, bonorum jacturam, vexationes, cruciatus, mortem. ¿Poteritne quisquam suspicari num forte hujusmodi testes cupiditate aliqua ad mentiendum adducantur? Tales testes fuerunt Apostoli et Martyres; illi testes immediati, isti mediati et ex auditu; insuper illi infensissimi inimici Christi nominis facta non negabant, sed pro suo odio perperam interpretabantur.

Ergo sunt facta cœva, in quibus referendis testes nec falli potuerunt, nec voluerunt, nec possent etiamsi voluissent; ergo his in casibus testimonium hominum est motivum judicandi infallibile.

376. Præterea, repugnat divinæ providentiæ testimonium hominum non esse infallibile circa plurima facta cœva; nam Deus nobis præcipit observare leges charitatis, pietatis, obsequii etc. erga parentes, patriam, magistratus; credere veritates religionis revelatæ etc., quæ omnia aliunde nobis constare non possunt, nisi per tes-

(1) Cons. Cic. *De natura Deorum*, lib. 2. cap. 2.

timonium hominum; ergo Deus qui vult finem, debet subministrare ¶ media, alioquin nec providus, nec Deus esset; ergo etc.

377. Ex iis omnibus apparet, certitudinem testimonio hominum partam esse moralem, utpote legibus naturam rationalem dirigentibus fundatam, sed aliquando æquivalere certitudini metaphysicæ, aliquando physicæ; si vero desiderantur in testibus conditiones et adjuncta proposita, tunc testimonium majorem, vel minorem probabilitatem gignet.

378. COROLLARIUM. Ex testimonio hominum eodem modo nobis constare potest veritas factorum, *quæ totius nature create ordinem ac facultatem excedunt*. Etenim hæc facta non minus sensibilia sunt ac cætera ordinis naturalis; insuper magis magisque excitant attentionem, diligentiam et examen testium, difficiliusque admittuntur; ergo, si testes horum factorum in iisdem versentur adjunctis ac testes factorum naturalium, potiori ratione admitti debent, cum ex alia parte minime repugnet eorum patratio (vide supra Lect. 43.); ergo dummodo testes habeant oculos ad videndum, aures ad audiendum, manus ad palpandum, et aliunde non unus, sed plures et coram pluribus testentur, non commoda, sed omnium generum mala ex testimonio sibi promittantur; quare non nobis, non dico æquali, sed majori ratione, eorum testimonium veracem esse constabit?

Sit in exemplum pro multis resurrectio D. N. Jesu-christi. Insignis hujus miraculi fidem faciunt: 1.° *Testimonium numerosum*, siquidem illius testes fuere plus quam quingenti discipuli, quibus Christus è mortuis redivivus apparuit: 2.° *Testimonium constans*, cum testes sæpissime interrogati, gravissimis etiam suppliciis vexati, ut factum illud reticerent, hoc tamen ultro prædicarunt: 3.° *Testimonium unanime*; illius enim testes locorum et temporum intervallo disjuncti, ejusdem facti veritatem asseruere: 4.° *Testimonium sincerum*, utpote datum cum fortunæ, famæ

et vitæ periculo: 5.° denique, *Testimonium fuso sanguine consignatum*; testes quippe ad stabiliendam resurrectionis Christi veritatem, acerbissima inter supplicia vitam abjicere; atqui testimonium his characteribus vestitum omnem prorsus excludit erroris suspicionem; ergo ex testimonio hominum constare certo potest veritas factorum, quæ totius naturæ creatæ ordinem et facultatem excedunt, id est, veritas miraculorum (1).

Solvuntur difficultates.

379. *Obj.* I. Testimonium unius dumtaxat hominis non est motivum certum; ergo nec testimonium plurium.

R. 1.° *Dist. ant.* Generaliter loquendo, *trans. ant.*, vel *conc.*: in quibusdam positus testis adjunctis, *nego ant.*

R. 2.° *Trans ant.*; *nego conseq.* Etenim motiva, quæ possent impellere unum ad mentiendum, non possunt movere omnes; maxime si sunt religione, natione etc. diversi.

Inst. 1.° Quod competit uni, competit omnibus, nam singulorum testimonii natura non mutatur per collectionem; ergo etc.

R. *Dist. ant.* Quod competit uni, convenit omnibus in iis, quæ in natura rerum fundantur, *conc. ant.*: in iis, quæ in ipsa collectione, *nego ant.* *Ad ratio. add. disting.*; natura singulorum etc. non mutatur in se ipsa, *conc.*; non mutatur quoad effectum, *neg.*: quia numerus suppeditat adjuncta, ex quibus certum veracitatis indicium resultat.

Inst. 2.° Testium quoque collectio non est certum veritatis argumentum. Nam unusquisque 1.° potest errare, 2.°

(1) Phil. Lugd. Log. §. IV. sect. 4. prop. Quamvis ipsi, et D. Prade, D. La Lucerna, aliique non consentimus in eo, quod ex sola auctoritate plurium testium et de factis simplicibus et illustribus certitudinem obtinere volunt. Nam, si non semper, haud raro testimonium unius testis certitudinem gignere potest.

potest mentiri; atqui quod unusquisque potest, possunt omnes; ergo etc.

R. *Dist. maj.* Quæcumque collectio, *trans*, vel *conc.*; Collectio sub quibusdam conditionibus, *neg. maj.*

Ad rat. add. R. ad 1.^m part.; unusquisque potest errare si non adhibeat eam attentionem quam res postulat, *trans.*, vel *conc.* Non agimus de testibus dormitantibus, vel fatuis. Si adhibeant modo ut testari possint, *nego.*

Ad 2.^m part. Possunt mentiri, *dist.*; possibilitate absoluta, vel physica, et tamen constat eos non mentitos fuisse, *conc.*; possibilitate morali, *subdist.*; sub quibusdam positi conditionibus, *conc.*; sub quibusdam aliis, *nego.*

Ratio sumitur ex probationibus.

Obj. II.° Singuli testes, quamvis in collectione existentes, vel possunt uti sua libertate ad fallendum, vel non: si prius, ergo non repugnat ut fallant etiam collective sumpti; si posterius, ergo non sunt amplius liberi in collectione; atqui hoc falsum; ergo etc.

R. *Conc. disjunct.* *Ad 1.^{am} Condit., Dist.*; Si prius, id est, si possunt uti sua libertate ad fallendum potentiâ ad actum reducenda, *Conc.*; si possunt potentiâ absoluta ad actum non reducenda, *nego.* *Ad 2.^m Dist.*; si posterius, id est, si absolute non possunt uti sua libertate ad fallendum, non sunt amplius liberi, *conc.*; si non possunt propter adjuncta, quæ facta comitantur, et deceptioni obstant, *nego.* Hac data distinctione, *nego cons. et conseq.* Testes utique etiam collective sumpti retinent potentiam abutendi sua libertate ad fallendum; attamen certo certius est in collectione testium, qui moribus, opinionibus, commodis, etc., sunt dispares, talem potentiam ad actum reduci non posse. Non potest enim assignari ratio sufficiens ad eorum conspirationem iis in adjunctis, nisi ipsa factorum veritas.

Obj. III.° Certitudo moralis non est sapiente digna. Nam auctoritas non potest demonstrationis locum tenere.

R. *Nego ant.* *Ad prob. dist.*; non potest tenere locum

demonstrationis á priori, conc.; á posteriori, nego. Quod est indignum sapiente est exigere semper demonstrationes á priori; multa enim ignorare se profiteretur, v. gr. suam existentiam, et per consequens omnia scibilia.

Obj. I.º Contra facta supernaturalia. Quæcumque humana auctoritas certe nihil valet, cum agitur de miraculis.

Nam 1.º infirmior probatio validiori cedat oportet. Jam vero miraculum quodvis, licet pro se auctoritatem habeat testimonii, habet tamen contra se constantem experientiam; auctoritas autem est probatio infirmior; ergo etc. Ita Humius, qui hoc argumentum vocat munimentum æternum contra superstitionis illusionem.

380. R. *Nego ant.* Nam facta miraculosa, seu quæ vires totius creatæ naturæ excedunt, sensibilia cum sint eodem modo ac quæcumque alia percipi possunt, imo majorem excitant curiositatem.

Ad 1.º Prob. Trans maj., et nego 1.º part. mino.; i. e. miraculum quodvis constantem contra se experientiam habere. Nam experientia hoc solummodo docet: *miracula communiter non fieri*; at nulla experientia docet: *miracula fieri non posse*. Imo vero ratio contrarium docet, et hoc quod docet ratio est metaphysice certum. (vid. Lect. 37. seqs.)

Nego quoque 2.º partem min.; i. e. auctoritatem, si plena sit, esse probationem infirmiolem eâ, quæ ab experientia est: utraque enim probatio omne errandi periculum æque excludit.

Ita concidit æternum munimentum increduli Humii.

Obj. II.º Ex duobus, illud est potius credendum, quod non est miraculum; atqui homines errare aut mentiri non est miraculum; ergo istud potius credendum est, quam miraculum, quod narrant.

Ita Diderot, qui *reticet maj. prop. arg.*

R. *Nego maj:* Si enim pro miraculis sunt aliquæ rationes, et pro alia re quavis nullæ sint; quare miraculum non est credendum? Jam vero pro miraculo est testium aucto-

ritas ; quænam ratio est contra ipsum? nulla: non leges physicæ, quia contingentes cum sint derogari possunt, et derogatæ in casu supponuntur.

Dist. min. Homines errare, aut mentiri non est miraculum; si homines non habeant conditiones legitimorum testium, *Conc.*; si habeant, *subdist.*; non est miraculum in ordine physico, *trans*, (miraculum est enim plures homines simul facultatibus sensibilibus orbari); non est miraculum in ordine morali, *nego*. Quod miraculum tantum supponitur, verum Deus patrare non potest, obstant ejus attributa moralia.

381. «Quæstio de possibilitate miraculorum, ait Jacob. Rousseau (1), si serio proponatur esset non solum «impia, sed perabsurda; punire negantem, nimis honorare esset, in amentium domo includi deberet. Quis unquam audet interrogare, utrum Deus miracula patrare possit? Hebræum esse necessarium est ad quærendum «si Deus in deserto dapes præparare possit». Et in Emilio ait: «quo magis Dei naturam considero, eo minus intelligo. Existit tamen, et hoc mihi sufficit. Quo minus comprehendo, eo magis adoro et dico: Ens entium! Ego sum quia tu es. Nihil magis rationi meæ convenit, quam ad nihilum redigi ante te.»

Tamen incredulus semper in inconstantia constans miracula irridet! (2) De hoc autem argumento agimus in Cosmologia (vide Disp. 8.^a et 10.^a).

LECTIO 47.^a—DE TRADITIONE ORALI.—MONUMENTIS.—ET DOCUMENTIS, SEU HISTORIA.

382. Quoniam vidimus in præcedenti Lectione quam-

(1) *Cartas de la montaña*, edic. de 1793. A. 13, pag. 104.

(2) Cons. S. P. Aug. *Trat.* 24. in *Joan. n. 1.*, S. Tho. 1. P. Q. 106 á 6. ad 3.; *Sum. Cont. Gent.* lib. 3. C. 99. n. 7.

plurima facta coæva sive naturalia, sive supernaturalia ex hominum testimonio infallibiliter constare posse, restat ut nunc videamus, quomodo, seu quibus mediis hæc facta ad nos usque et ad posteros perveniunt, et an eandem mereantur fidem. Jam media sunt plurima, quæ reduci possunt, ut supra dictum est, ad Traditionem oralem, Historiam, seu documenta scripta, et Monumenta; (vid. Lect. 44. n. 347. 6.^o seq.); quam hæc media fidem mereantur objectum erit hujus Lectionis. Primo de traditione, deinde de monumentis, postremo de documentis.

I.

PROPOSITIO. I.^a *Traditio, quæ est constans et ampla certam factorum præteritorum notitiam nobis largitur.*

In primis notate quod dicimus *constans*, seu perpetua, nempe in qua ab ultima linea traditionali ad caput traditionis, seu testes coævos et immediatos regressus pateat: secundo *ampla*, hoc est, in qua singulæ lineæ multos habeat testes; addimus tertio quod debeat esse circa *factum publicum et illustre*, quod á multis cognosci debuerit. Aliquid amplius exigimus ergo, quam pro factis coævis; ratio est obvia.

383. *Prob.* Contra Lockium, Bayleum aliosque incredulos rationalistas. Etenim si traditio dictis dotibus ornatur certum in primis est, testes facti coævos ejusdem facti notitiam sine erroris periculo acquirere potuisse. (Lec. præc.)

Jam vero eos noluerit decipere ob easdem rationes, quia factum narratum impossibile est omnibus esse utile, quin contra pluribus non solum inutile, sed noxium accideret: sed nec possent atiamsi vellent. Nam 1.^o impossibilis est omnium conspiratio in mendacium; quæ conspiratio 2.^o ita constans et uniformis esse deberet, ut á nullo audientium detegi posset, aut á nullo eorum, qui veritatem noverant,

redargüi, quod est incredibile inter multos testes opinionibus, nationibus, religione etc. diversos, et inter quos sunt viri, mulieres, matres, materteras, pueri, etc. Nunc itaque hæc generatio, quæ connectitur cum testibus immediatis et coævis certo certius notitiam de factis certam accepit; jam vero evidens est itidem dicendum de hac generatione respectu sequentis, quæ cum ipsa interseritur; 1.º quia impossibilis est eorum conspiratio; 2.º quia prima generatio obstitisset. Etenim generationes hominum non ita sibi succedunt, ut altera penitus sublata, altera ejus loco subintret, sed contra evenit, adeo ut pueri, juvenes, viri secundæ, vel tertię generationis cum parentibus, avis, proavis et etiam atavis vivant, ab ipsisque notitiam accipiant. Quidni evenit Hispanis de bello pro libertate contra Gallos? Quod si quis processu temporis aliquid á se confictum evulgaret tamquam á senibus acceptum, hic illico præter æquales suos contradictores haberet et senes primæ generationis, et eos omnes adolescentes, qui ab hominibus præcedentis generationis edocti fuerunt.

384. Eodem modo demonstratur, nullam insequentium generationum aut deceptam esse, aut decipere potuisse, saltem quoad facti substantiam, si eadem perseveraverint, quæ supra posuimus, adjuncta.

385. Neque dicatis cum Baylio (1), facta, cum per vulgi ora transeunt, corrumpi. Etenim hæc corruptio evenire potest circa quædam adjuncta levia, numquam tamen circa summam adjunctorum magni momenti, et circa facti substantiam; ad hoc enim dicendum foret testes duorum saltem generationum concordasse in corrumpendo, quod legibus moralibus repugnat (2). Diversitas autem

(1) Dict. hist. crit.

(2) Dixi, *duorum saltem generationum*; nam, ut dictum est, generationes non uno temporis momento sibi succedunt, sed sensim et sine sensu interseruntur pueri, juvenes, viri, senes, et eodem vivunt tempore.

adjunctorum non solum non evertit, sed magis magisque confirmat veritatem facti, cum hæc variantes inter gentes locis, generationibus, moribus etc. diversas supponant necessario existentiam facti. Cæterum, si ipsa substantia facti corrumpatur, tunc factum re ipsa destrueretur, unde traditio ad facti ipsius originem non ascenderet, hoc est, non esset *constans*, et ideo non esset de iis, quæ fidem merentur.

386. Postremo traditio attingit ad summum certitudinis, si insuper:

1.° Integra natio facti memoriam sancte custodiat, ut in Hispania 2.^{um} Majii diem.

2.° Si apud diversas nationes hoc ipsum verificetur, ut evenit in anniversario mortis SS. Petri et Pauli Romæ, etc.

3.° Si solemnibus cæremoniis, ac ritibus, ludis publicis etc. factum commemoretur.

4.° Si proprio gentis idiomate, nomina quædam urbium, fluminum etc. facti vestigia præ se ferant.

5.° Si traditio concordat cum monumentis et documentis. Nam:

II.

387. PROPOSITIO II.^a *Monumenta certam notitiam factorum vel remotissimæ antiquitatis nobis comparant.*

Prob Monumenta, v. gr. arcus triumphales, lapidum inscriptiones, numismata, columnæ etc., testantur, factum quoddam eo tempore, quo illa erecta et confecta sunt, ab omnibus pro vero habitum fuisse. Atqui dubitandum non est, uti ostendimus, de factis, quæ omnes coævi pro certis habent. Ergo ex monumentis certa cognitio factorum obtineri potest. Et sane, nemini sui compoti in mentem venire potest, incolas cujusdam civitatis in eo conspirare potuisse, ut publico monumento factum commendarent, cujus falsitas omnibus patesceret, aut si pauci

id aggressi essent, cæteros de illius falsitate siluisse. Recole, v. gr. monasterium *Eschoriale* nuncupatum et tibi in mentem veniet triumphale bellum *S. Quintini*, vel ipsam callem Matriti ita denominatam: recole numismata anno 1867 Romæ cusa et obsignata in memoriam novendecim sæculorum, á quo tempore Apostoli Petrus et Paulus ibi pro Christo sanguinem fuderunt etc. ¿Nonne concipis possibilem fraudem?

388. Verumtamen, ut monumenta fidem faciant debent esse:

1.º *authentica*, i. e. ad illum populum, illudque tempus pertinere, quæ præ se ferunt.

2.º *factis contemporanea*.

3.º *Traditioni legitimæ, et certissimis documentis non adversari*.

De quibus ut rectum feratur iudicium, varium ac multiplex eruditionis instrumentum requiritur; historia v. g. civilis, politica et artium; chronologia, numismatica, paleographia, philologia, quibus fere disciplinis archæologia constat (1). Sed totus hic apparatus ad nihil fere valet, sine quadam sagacitate ac rectitudine naturali, ingenio, imaginatione et usu.

389. Si Traditione, et Monumentis veritas antiquissimorum factorum sarta tectaque usque ad nos transmitti potest, id potiori jure de Historia tenendum est (2): sit itaque

PROPOSITIO III.º *Historia tum vetus, tum recens certam præteritorum factorum notitiam nobis præbet, dummodo in ea criticæ regulæ serventur.*

Prob. prima pars. Vetus historia civitatum tabulariis,

(1) Cons. Emmi. Card. N. Wisseman, *Discurs. de relatione inter scientias et Relig. revel.* Romæ.; Perrone Præl. th. de locis Sect. 2.

(2) Cons. Melch. Can. *de locis theo. lib. XI.*

cæterisque publicis actis, vel aliis id genus instrumentis innitur. Ergo eam saltem fidem meretur, quam hisce instrumentis inesse demonstravimus; imo, ni fallimur, majorem, quam in traditione, et monumentis, propterea quod difficilius est corrumpere scripturam, quam traditionem, difficiliusque est monumenta interpretari, quam scripturam intelligere.

Prob. secunda pars. Scriptor historiæ recentis, nempe factorum, quæ sua ætate, vel proxime evenerunt ea enarrat, quæ quamplurimi vel oculis suis hauserunt, vel ab aliis exceperunt, quæque idcirco plurimos testes aut oculos, aut auritos habent; quapropter ipsum mendacem suspicari non possumus, nisi sumamus aut eum mentiri voluisse his in rebus, in quibus æquales eum mendacii facillime redargüere potuerunt, aut æquales mendacia illius excepisse, quin unus quidem contra ea reclamaret; atque ideo una cum historico teste totam suam ætatem ad fraudem perpetuandam conspirasse. Atqui neutrum horum, quemadmodum ex jam dictis patet, sumi potest. Ergo historia recens nostram meretur fidem.

390. Ex his perspicitur, narrationem unius historici testimoniis multorum æquivalere. Ex. g. Cum Josuë scribit (2), se, suamque gentem vidisse Solem in diurna revolutione stantem ferme per integrum diem, atque universa natio Hebræorum non solum hoc factum non rejicit, sed tamquam verum servat, posterisque mandat; profecto hujus eventûs veritas testimonio non unius Josuë, sed universæ nationis fulcitur. Idem dicito de testimoniis Moysis atque Apostolorum, necnon omnium historicorum, qui eventus omnibus notos litteris consignarunt; maxime si scriptor publico nomine historiam suorum temporum exaraverit, et integri, probi, morumque sanctimonia præstantis apud coævos et posteros floruerit, ejusque

(2 Jos. 10—13.

historia multiplicata apud diversas gentes, sancteque ab ipsis semper custodita fuerit.

391. Ad refellendas autem Baylii aliorumque rationalistarum objectiones diximus in enuntiatione: *dummodo critices regulæ serventur*. Etenim nos ii non sumus, qui pugnemus æque digna esse fide cuncta facta, quæ ab historicis narrantur; sed in illis legendis vera á falsis, certaque ab incertis discernenda esse asserimus. Has regulas in summam redactas ad calcem hujus Lectionis in Appendice *apponemus*. Interim solvamus præcipuas eorum objectiones (1).

Obj. I.º Historia antiqua omnium gentium, et eorum religionum obvoluta est mythis, scatetque fabellis; ergo nulla fides meretur. Hoc dicunt rationalistæ, eo solo intuitu, ut sacram, si possint, evertant historiam, sed in his, sicut in aliis, *mentitia est iniquitas sibi*.

392. *R. Dist. ant.* Traditiones circa ethnicarum gentium origines obvolutæ sunt mythis et fabellis, ita tamen ut præcipuorum factorum historia, ex quibus imperia et religiones constituta sunt, corrupta non sit; *conc. ant.* Historia sacra quoad omnia adjuncta, *nego ant.*; et juxta hanc distinctionem, *nego cons.* et *conseq.* Etenim primo Religionum hebraicæ et christianæ origines, quas Rationalistæ tenebris circumseperere student, omnino historicæ sunt, siquidem, illa etiam, quæ gaudent, divina auctoritate seposita, certum est libris, qui illas narrant, non mythos, sed sinceram historiam contineri. Et sane Moyses ea, quæ narravit, partim ipsemet suis oculis usurpavit, partim á senioribus sincere accipere potuit, cum inter ipsum atque Adamum non nisi paucæ generationes intercessissent. Apostoli vero et Evangelistæ tum non tradita ab aliis per longam annorum seriem, sed á se suis oculis et auribus hausta scripserunt;

(1) Hæc apud Caj. Sans., *Criterionol. c. VI. art. IV. in comp. phil. Christ.*

tum in ætate admodum exulta vixerunt, in qua mythos effingere prorsus impossibile fuit. Secundo non negamus traditiones circa ethnicarum gentium origines fabulis plerumque contaminari, sed contendimus hasce fabulas ejusmodi non esse, ut veritatem corrumpant præcipuorum factorum ex quibus imperia et religiones constituta sunt. Enimvero, etiam si historici ex sola traditione, id quod omnino negamus (1), origines populorum accepissent, quemadmodum Rationalistæ pertendunt, immerito eorum narrationibus fides negaretur tamen; quia traditio, quæ dotibus exornatur necessariis, totam fidem meretur.

Obj. II.º Illud exploratum est, non paucos eventus, qui pro veris diu habiti sunt, temporis progressu falsos detectos fuisse. Ergo eventus, quos historiæ exhibent, certi non sunt.

393. R. *Dist. ant.*; Eventus, qui requisitis ad fidem producendam carebant, *conc. ant.*; secus, *nego ant.*; et deinde, *nego cons.* et *conseq.* Ad hoc enim sunt regulæ critices, quibus sicut falsa et spuria, quæ necessariis carebant fundamentis, rejecta sunt, ita vera facta legitimis mediis ad nos usque transmissa magis magisque confirmantur et solidantur, ut luculenter apparet in libris sacris, omnia

(1) Falsum omnino est veterum nationum historicis non aliud, quam ipsarum nationum traditiones, suppeditasse. Nonnulli enim eventa enarrant, quorum vel pars ipsi fuerunt, vel ab oculatis, atque auritis acceperunt, uti apud Hebræos Moyses, Samuel, Nehemias, Esdras; apud Græcos Tucides, Xenophon, Polybius; apud Romanos Sallustius, et Tacitus; apud Christianos Mathæus, Lucas, Paulus, Joannes, cæterique hagiographi. Ii vero, qui præcedentium ætatum historiam scripserunt, in promptu, præter traditiones, fuerunt civitatum tabularia, templorum acta, privatorum tabulæ, regum in regnis genealogiæ, præsidumque et judicum in rebus publicis series, lapidum et numismatum inscriptiones, annales nationum, aliaque id genus monumenta. Cons. Para, *Theoria entium insensibilium*, Tract. 2.º Sect. 4.

enim quæ referunt, quo magis, bona vel mala fide, examinantur, magis evidentia apparent, ita ut possint sacri libri dicere: *salutem ex inimicis nostris*.

*Obj. III.** Rationalistæ. Negari non potest illos, qui originem populorum et religionum describunt, facta quædam narrare, quæ nisi mythorum ope explicentur, aniles putidasque fabellas exhibent, cujusmodi sunt pro Historia romana Remus et Romulus á lupa lactati, et cutis ab Accio Nævio novaculâ secta, de quibus Libius et Tullius mentionem faciunt. Ergo origines populorum et religionum, quæ in historiis exhibentur, non historicæ sed mythicæ sunt.

R. *Dist. ant.*; ita ut penes omnes historicos illud occurrat, *neg. ant.*; penes aliquos, *subdist.*, et tunc vera á falsis sunt discernenda, *conc. ant.*; omnia pro falsis sunt habenda, *nego ant.*

394. In primis non omnes origines populorum et religionum mythis obscurantur, namque, cæteris omissis, origines gentis hebraicæ, et christianæ nullis mythis commaculati, atque omnino historicas esse jamdiu doctissimi viri luculentissime demonstrarunt. Præterea, fabulæ, quas aliquando vulgus, atque ex hoc historici originibus populorum admiscere solent, hujusmodi non sunt, ut ipsarum originis veritatem destruant, sed tantum nos cogunt, criticæ artis subsidio, illas á veris eventibus discriminare. Ita quidquid sit de lupa, quæ Romulum et Remum lactavit, non inde falsum efficitur, illos romanæ urbis primos auctores fuisse. Quare ita? Quia hoc factum, ut verum legitima traditione et historia cum debitis conditionibus transmissum est, alterum non (1). Reliqua arbitraria rationalistarum dicteria ex his facile solvetis. Sit nunc

(1) Cons. Sanseverinum, *Elem. phil. Christ. Dynamil*, Cap. X art. 5. — En tandem quid *mylthi* nomine intelligant neoterici protestantes rationalistæ. *Mythus* generatim est narratio quædam ad antiquissimam populi aut religionis instituti cujusdam historiam máxime pertinens,

LECTIO 48.^a—APPENDIX DE ARTE CRITICA ET
HERMENEUTICA.

395. Nos hîc minime instituimus sermonem de existentia, utilitate et necessitate artium critices et hermeneuticæ, cum satis hæc explorata rataque sint, sed solum aliquas præcipuas regulas vobis tradere, ne jejuni relinquamini; pauca dicam, dicam tamen, ac primo á definitione exordiamur.

396. *Ars critica* (á græco *Krysis*, idem ac *judico*, *se-cerno*), dicitur ea: *Quæ regulas tradit tum circa fidem testimonio hominum præbendam, tum circa modum dignoscendi libros genuinos et integros á spuriiis et corruptis;* seu brevius et in tota sua generalitate: *Ars expendendi vim motivorum, quæ ad judicandum impellunt.* Dicitur etiam pars grammaticæ nobilior, quatenus non modo veros librorum auctores inquirat, sed etiam virga censoria errata notat et suggillat. Applicatur ars critica historiæ, literaturæ, scientiis et artibus, hinc variæ ejus denominationes et gyri, ut ita dicam, nos vero relate ad historiam eam tantum consideramus.

quæ vel prorsus *ficta* est, vel factum aliquod, aut placitum quoddam philosophicum addictamentis fictis, ac plerumque miraculosis exornatum exhibet. Imbecilitas hominum rudiorum, qui accuratiori rerum naturæ et philosophiæ cognitione destituti, et fervidiori imaginandi vi ducti, religionis ideas sine involucris historicis et symbolicis neque ipsi capiunt, nec cum aliis communicare valent, et hic modus eas per *traditionem* propagandi mythos istos, quibus *omnium* religionum origines implicatæ sunt, progeniit ac sustentavit, quemadmodum reliqua omnium gentium historia antiquior mythis referta est. Ita impius rationalista, vel potius *irrationalis* Wegscheider, apud *Perrone*, *tract. de ver. Rel. Pars. I Cap. 3 nota*. Rationalistæ sua satanica superbia ducti nullam aliam rationem suorum assertuum adhibent præter propriam auctoritatem. Oho digni tenebrarum magistri!

Definitio complectitur etiam *Hermeneuticam*; quia ista est pars subjectiva criticæ, est porro Hermeneutica ars: *Quæ regulas tradit ad determinandum sensum, quem auctoris verba continent, hujusque mentem intelligendi.*

397. PRÆNOTANDA. Codex, seu liber vocatur *autographus*, si est ille ipse, quem auctor scripsit.

Vocatur *apographus*, si est copia, aut exemplar à primo desumptum.

Genuinus est ille, qui eum habet auctorem, cujus nomen præ se fert.

Suppositus, sive *spurius*, est ille, qui alium habet auctorem, quam ille, cui tribuitur.

Integer est ille, qui non aliud continet, quam quod auctor scripsit. Sin autem illi quidquam additum, vel demptum est, tunc est *corruptus*: Corruptus vero est; vel

Interpolatus, si quidquam ei additum est; vel

Mutilus, seu *mutilatus*, si quidquam ei demptum est. Veniamus ad regulas paragraphis distinctas ad majorem claritudinem.

§ I.

REGULÆ CIRCA TESTES.

398. I.^a R.^{1a} *Uni testi non facile credendum, raro pluribus deneganda fides.* Ratio per se patet post dicta. Adnotandum est, tamquam unicum testem habendum non esse, qui narrat factum publicum et magni momenti, cujus plurimi testes oculati fuerunt, nec tamen contradixerunt; item non tamquam plures testes habendos esse, qui ab uno tantum facti notitiam acceperunt.

II.^a R.^{1a} *Nulla fides mendaci*, præsertim si sciens et datâ operâ mentitus est. Hinc v. gr. nullam fidem meretur Voltaire, cujus narrationes mendaciorum et fabularum catenæ verius dici possent, quam libri historici.

III.^a R.^{1a} *Passionibus obcæcati et partium studio addicti vix ullam fidem merentur*, in iis præsertim, quæ

passiones, aut factiones, quibus nomen dederunt, spectant; inordinati enim affectus præjudiciis viam sternunt.

Et contra, summam fidem merentur, qui nihil lucri, sed plurimum etiam incommodi è suo testimonio reportant.

IV.^a R.^{la} *Testes domestici præsertim in adversis extraneis anteponendi sunt, testes oculati auritis; cocævi remotis.* Etenim fama aliquando circumstantias variat et crescit eundo: Hoc intelligitur cæteris paribus (*en igualdad de circunstancias*).

V.^a R.^{la} *Testes, quibus plures contradicunt, ut suspecti habendi sunt,* modo contradicentes non probentur mendaces.

VI.^a R.^{la} *Valde suspecti sunt testes non cocævi, qui factum insigne narrant, quod siluerunt testes contemporanei:* nisi rationabilis causa eorum silentii dari possit.

VII.^a R.^{la} *Neminem omnes, et nemo unquam omnes fefellit* (1). Igitur res, quæ ab historicis communi consensu referuntur, haberi debent tamquam omnino veræ ac certæ.

VIII.^a R.^{la} *Morum sanctitas plurimam historico conciliat fidem;* suspicari enim non potest, hominem pium et Deum timentem voluisse fallere.

IX.^a R.^{la} *Multum suspecti sunt illi viatores, qui volumina edunt de regionibus fere ipsis ignotis.*

X.^a R.^{la} *Demum. Historice contentæ in Sacris Scripturis veteris et novi Testamenti sunt omnes infalibilis veritatis;* nituntur enim testimonio ipsius Dei, à quo earum scriptores fuerunt inspirati.

Cons. supra tradita **LECTIONE 45 n. 271 et seqq.**

(1) Cicero. *Lib. 1. de ant. Deorum.*

§ II.

399. REGULÆ CIRCA MODUM NARRANDI.

I.^a R.^{la} *Styli acerbitas, et vehementia, quamdoque etiam nimia elegantiae cura suspectum auctorem reddunt. E contra, natus quidam candor, atque ingenua simplicitas fidem historico conciliant.* Hinc quæ poëticae referuntur, infimum habent historicæ veritatis gradum; majorem, quæ oratorie; maximum, quæ sine amplificatione (1).

II.^a R.^{la} *Infelicitas in citandis auctoribus scriptorem negligentem vel mendacem denotant.*

III.^a R.^{la} *Scriptor, si de se ipso ac suis sive rebus, sive personis nimis occupatur, suspectus est; item illi qui multum extollunt res et personas, à quibus aliquid sperant; vel deprimunt, si contrarias sentiunt; uti accidit Zozimo respectu Constantini M., quem contrarium videbat, respectu ejusdem contrarium accidit Eusebio; ita Cicero metu Cæsaris aliquando minus fuit verax.*

IV.^a R.^{la} *Res, quas scriptor tradit sumptas ex vulgum rumore et fama, caute recipiendæ sunt, nihil est incertius vulgo (2).*

V.^a R.^{la} *Argumentum pure negativum parum, vel nihil valet; id est, ex eo quod aliquis historicus taceat aliquid, vel aliqua facta, dummodo alii referant, negari non debent. Sed considerandum est, an habuerint aliquam rationem illa tacendi, v. gr. ignorantia, objectum, quod sibi proponebant, vel etiam odium etc.*

VI.^a R.^{la} *Denique. Anonima vix ullam fidem merentur.*

(1) Cic. lib. 1. *de Orat.* Hac regula usus est Ruinartius ad se cernenda Acta syncera Martyrum. Cons. Salv. Mari. Rosell. Log. q. 24.

(2) Cir. *Pro Mur.* 36.

§ III.

400. REGULÆ CIRCA FACTA.

I.^a R.^{la} *Facta mirabilia, quæ clam evenisse narrantur, ut plurimum tanquam supposita haberi debent.*

II.^a R.^{la} *Facta, quorum circumstantiæ essentialis sibi contradicunt, falsitatis notas præseferunt.* (Cons. Lect. 46. n. 271.)

§ IV.

REGULÆ AD DISCERNENDOS LIBROS GENUINOS ET INTEGROS Á SPURIIIS ET CORRUPTIS.

Indicia, secundum quæ authentica documenta á spuriiis, integra á corruptis discerni possunt, alia *interna* sunt, alia *externa*.

Interna ex ipsius documenti consideratione eliciuntur; *externa* è scriptorum veterum, aliorumque documentorum auctoritate. Præcipua in utrisque iis regulis continentur.

401. INDICIA INTERNA:

I.^a R.^{la} Liber, in quo memorantur personæ, nomina, facta, mores, artes, controversiæ, quæ auctore, cui tribuitur, certo posteriora sunt, aut spurius est, aut interpolatus. Idem dicendum de libro, in quo recentioris scriptoris non dubia imitatio deprehendatur.

II.^a R.^{la} Liber inscitiâ refertus, aut fabellis scatens viro gravi et erudito tribuendus non est. Ita liber impius viro, quem pium semper fuisse constet.

III.^a R.^{la} Opus alicui auctori adscriptum, ut suspectum habendum est, si stylus ab eo sit diversus, quo scriptor idem in operibus certo genuinis usus est, nisi, ob materiæ, auctoris ætatis, vel finis sibi propositi diversitatem, legitimæ hujusce styli mutationis causa afferri possit.

IV.^a R.^{la} Liber, qui sententias alicujus momenti continet iis certo oppositas, quas scriptorem, cujus nomen

præfert, docuisse constat, valde suspectus esse debet; nisi aliunde sciatur, aut saltem supponi possit, auctorem datâ operâ sententiam mutasse, aut nisi talis sit auctor, quem in contradictionem inconsulto incidisse non mirum videatur.

402. INDICIA EXTERNA (1).

I.^a R.^{la} Si codex est *autographus*, omnis quæstio de ejus authenticitate erit derempta; si vero codices sint *apographi*; inter se comparari debent; impossibile est, ut omnes librarii conspirent ad decipiendum in iisdem. Præsertim vero ope M. SS., si exstant, exemplaria corrigi debent (2).

II.^a R.^{la} Liber antiquus, qui ab ætate auctoris, cujus nomen præfert, ad hæc usque tempora eidem auctori communiter adjudicatus est, pro genuino est agnoscendus.

E contrario, opus antiquo auctori adscriptum, si toti antiquitati incognitum fuerit, vel supposititium, vel valde dubium est. Hoc autem argumento, utpote negativo, caute utendum est.

III.^a R.^{la} Documenta, quæ ab antiquioribus auctoribus rejecta sunt ut spuria, aut in dubium revacata, vix fieri potest, ut propter recentiorum auctoritatem admitti debeant, nisi rationes hi afferant omnino gravissimas. Ita rejicimus Epistolas D. N. J. C. ad Abggarum; Epistolas B. M. V.; Evangelium S. Petri, etc.

IV.^a R.^{la} Si ex aliquo libro loca quædam á veteribus citata sint, eaque in libro ejusdem auctoris et tituli reperiuntur, liber pro genuino habendus est; si vero non reperiuntur

(1) Ante omnia á catholico præ oculis habenda est sequens regula: Si liber juxta vigentes Ecclesiæ Canones approbationes præ se non gerit, aut juxta mandatum SS. D. N. Leonis XII. die 26 Martii 1825, editus non fuerit, ut hisce temporibus frequentissime accidit, vel non est legendus, vel cautè legendus est.

(2) Cons. S. P. Aug. Epist. 82. al. 16.; S. Hieron. Epist. 84. ad Pammach.

riantur, liber est vel spurius loco veteris deperditi suffectus, vel corruptus.

V.^a R.^{1a} Denique. Si alicujus libri multa jam á principio exemplaria excerpta, et variis in locis vulgata, lecta, et in pretio habita fuisse constat, hic liber adulterari non potuit. Nam et impossibilis fuit omnium conspiratio, et sic qua fraus fuisset deprehensa, omnes reclamassent (1). Hoc autem non obstat ut aliquæ variantes accidentales in eo reperiantur.

DE HERMENEUTICA.

403. Hermeneutica in eo differt ab arte Critica, quod ista de investiganda authenticitate, integritate et veracitate operis et auctoris agit, Hermeneutica autem de vero auctoris sensu perscrutando (n. 396). Quoniam vero ars hermeneutica exerceri potest et circa librorum ex una in aliam linguam versionem, et circa intelligentiam sensús scriptorum, dicamus pauca de singulis; dicamus tamen

CIRCA VERSIONEM:

I.^a R.^{1a} In Sacris Scripturis vertendis verba de verbis, quantum diversitas linguarum patitur, fidelissime sunt reddenda; nam, ut ait S. Hiero. (2), in scripturis sanctis *verborum ordo mysterium est*, scilicet, in singulis pene verbis innumera abdita sunt mysteria. Debet igitur, qui negotium suscipit transferendi aliquod opus de una in aliam linguam, bene utramque callere, et insuper scientiam de qua liber agit.

II.^a R.^{1a} In reliquis transferendis scriptorum operibus, necesse non est verbum á verbo, *sed sensum exprimere de sensu*.

CIRCA INTERPRETATIONEM SACRÆ SCRIPTURÆ.

I.^a R.^{1a} In interpretando sensu Sacræ Scripturæ, in iis

(1) Talis est præ omnibus Sacra Scriptura.

(2) Cons. Epis. ad Pammachi. *de optimo genere interpretandi*.

præsertim, quæ ad fidem et mores pertinent, standum est iudicio Sanctæ Ecclesiæ, quæ depositaria, magistra, et infalibilis iudex à Deo constituta est super divina Revelatione.

Nec est recedendum à sensu Sanctorum Patrum. Cons. pag. 296. n. 358. pag. 301. n. 360. Animadv.

II.^a R.^{1a} Ad assequendum sensum Sacræ Scripturæ, quamvis absolute necessario non sit callere linguas Hebraicam, Chaldaicam, et Græcam, tamen summopere utile est propter idiotismos et energiam, præsertim hebraicæ linguæ.

III.^a R.^{1a} Quæ metaphorice in Sacra Scriptura dicuntur, non sunt accipienda ad litteram, nam *sensus litteralis in ejusdem metaphoris non est ipsa figura, sed id quod est figuratum*: ideoque quamvis verba scripturæ litteraliter accipi debeant, numquam id fieri debet, si aliquod sequatur absurdum (1).

IV.^a R.^{1a} In locis difficilioribus Sacræ Scripturæ meminisse oportet, solum Agnum esse, *qui potest aperire librum et solvere signacula ejus* (2); ideoque vitam innocentem ducere, sine intermissione orare et cum Joanne flere, ecce optimam interpretandi methodum.

CIRCA SENSUM ALIORUM SCRIPTORUM:

I.^a R.^{1a} Generalis. *Nullus unquam sensus verbis tribuendus est, nisi qui clare probari possit*. Hinc fluunt regulæ istæ speciales.

1.^a *Usus loquendi* exigendus est ad eam ætatem, eamque regionem, in qua auctor scripsit.

2.^a *Intentio loquendi* et *loquentis* dijudicanda est ex definitionibus ab ipso auctore statutis, ex singularibus exemplis ab ipso allatis, et præsertim à fine et scopo,

(1) Cons. S. P. Aug., lib. 8. de Genes. ad litt. c. 7. et de Doctr. Christ. lib. 3. c. 10.

(2) Apoc. cap. 5.

propter quem auctor scribebat, ex ejus moribus, professione etc.

3.^o Subjecta materia, totusque orationis contextus tutissimam suppeditant materiam ad dignoscendum verum auctoris sensum.

II.^a R.^{la} Generalis. *Æquitas in interpretando servanda est.*

Hinc fluunt *regulæ speciales.*

1.^a Auctoris verba in meliorem partem sunt accipienda, ita ut sensum veritati magis congruum eligamus, nisi manifeste contrarium pateat.

2.^a Consectaria absurda ex auctoris doctrina profluentia non sunt ei attribuenda, si ea non cognoverit.

3.^a Invidia auctori non est creanda errores exaggerando, sensum ambiguum malitiosè interpretando, nominibus invidis auctorem, vel doctrinam ejus infamando. Hinc

Si aliquem audieritis contra alios auctores (1) insurgere impetuosè, de doctrina, de methodo, de forma, de stylo, de ipsa persona ejusque vita privata eum accusando, vel de aliis quibuscumque, quæ ad propositam quæstionem non spectant, prudenter agite, et ejus intentionem suspectam habetote; nonne vel tantisper credi potest, talem calumniis supplere velle rationes? ni multum fallor, parce Deus, mihi ita suspicanti.

LECTIO 49.^o—DE ANALOGIA.

404. Supra, Lectione 27.^a n. 184, perpauca diximus de *Analogia*, ut argumentationis species est, nunc vero ad ejus completam exhibendam notionem nunnulla addere visum nobis est circa ejus legitimitatem, prout secundarium veritatis criterium est.

(1) Intelligite, *auctores*, quorum opera juxta vigentes *Ecclesiæ* regulas edita fuere. Consulite n. 402. *nota.*

Jam, Analogia, quæ est similitudinum ratio, in eo consistit, quod ex observatis et cognitis ad non observata, atque ignota, propter similitudinem conclusiones deducendo, pervenimus. Duplex est, *physica*, scilicet, *et moralis*. *Physica* est, quæ fundatur constantiâ legum naturæ *physicæ*. V. g. per analogiam physicam judico cras solem oriturum esse. *Moralis* ea est, quæ fundatur legibus, quibus mentes humane reguntur. Alia est *stricta*, alia *secundum quid*. Analogia moralis *stricta* fundatur legibus, quibus reguntur collectiones hominum, quæ leges sunt unitas finis communis, nempe amor boni et veri, et diversitas finium particularium pro diversis et singulis hominibus. Analogia moralis *secundum quid* fundatur legibus, quibus reguntur individua humana; hæ leges sunt 1.º amor felicitatis propriæ; 2.º amor felicitatis in tali vel tali repositæ, et tali vel tali modo assequendæ.

Analogia *physica*, ut patet, supponit: 1.º sensuum testimonium, quo cognoscuntur leges *physicæ*: 2.º evidentiam, quæ ex idea legis concludit constantiam effectum in futurum.

Analogia *moralis* supponit: 1.º sensuum testimonium, quo cæterorum hominum existentia et actiones cognoscuntur: 2.º sensum intimum, quo in nobis deprehendimus essentialem amorem felicitatis etc.: 3.º evidentiam, quâ concludimus, talem amorem felicitatis derogationem pati non posse, et sic homines non posse contra ipsum agere. Hinc facile patebit veritas sequentis propositionis.

PROPOSITIO. *Analogia physica, physicam præbet certitudinem: analogia moralis STRICTA dat certitudinem metaphysicam; analogia autem moralis SECUNDUM QUID non dat nisi probabilitatem.* (1)

405. *Prob. 1.º pars.* Analogia *physica* ea est, qua ex

(1) Cons. Petr. Fourn., *Log. part. secund. cap. 7. art. 2.*

constantia legum physicarum aliquem effectum concludimus; atqui constantia legum physicarum physicam tantum habet certitudinem, seu quæ derogationem pati potest per miraculum; ergo et conclusio, quæ inde deducitur.

Prob. 2.º pars. Analogia moralis *stricta* ea est, quæ ex legibus, quibus reguntur collectiones hominum, aliquid concludimus; atqui illæ leges sunt essentielles et derogationem non admittunt; ergo et conclusio, quæ inde deducitur, erit essentialis; ac proinde metaphysice certa.

Prob. 3.ª pars. Analogia moralis *secundum quid* non dat nisi probabilitatem, id est, non dat, nisi rationem gravem, sed non certam judicandi; homo enim individuus potest varia ex causa non agere humano modo, v. g. si stultus fiat aut furens, et sic agere contra essentialem propensionem, quam homo ratione utens, necessario sequitur; ut patet in suicida etc.; ergo etc.

TERTIA CRITICES SECTIO.

DE VERITATIS CRITERIO,—SEU DE PRINCIPIO SECUNDUM QUOD.

LECTIO 50.—QUID HOC CRITERIUM SIT.—EJUS DEFINITIO.

—BREVIS HISTORIA.—CONDITIONES.—NOTIONES EVIDENTIÆ.

—PROPOSITIO 1.ª—COROLL.—PROP. 2.ª—DIFF. RESP.

406. Consideratis principio á quo, seu intellectu, á quo veritas cognoscitur, quantum ad Logicæ munus pertinet, et principiis *per quæ*, seu fontes, unde intellectus veritatem haurit, restat nunc ut videamus, quod sit illud *criterium*, á quo cætera suam legitimitatem et vim suadendi accipiant, quodque sit veluti signum et tessera, quibus veritatem á falsitate tuto distinguimus, et certos nos reddit de veritatis possessione. Breves erimus.

407. Ex his jam patet hujusmodi criterii definitio, est

enim: *Indicium, seu norma secundum quam veritatem à falsitate tuto distinguimus*; quæ proinde de veritatis possessione certos nos reddit; unde patet hoc criterium esse simul certitudinis motivum, imo motivum à quo cætera criteria suam mutuuntur vim.

De existentia hujusmodi criterii solum desperatus scepticus dubitare potest, imo nec potest, quia vel ipsâ et in ipsa dubitatione supponitur.

Sed quod tandem est hoc criterium?

Antequam respondeamus sedulo anivadvertite, nunquam confundi debere criterium *secundum quod*, cum *criteriis per quæ*; id est, cognitionum fontes, de quibus in prima Sectione egimus, cum motivis, quæ cognitionum veritatem suadent.

408. Jam vero, hoc principium, sine quo nihil cum omnimoda et infallibili certitudine scire possumus, Thomas Reidius et schola scotica reponunt in quodam *cæco naturæ instinctu*; haud dissimilis est hæc theoria à Kantiana. Jac. Rousseau, Benj. Constat, Jacobi, et alii sentimentalistæ eum reponunt in *quodam sensu et affectu animi*; quod idem est ac negare immutabilitatem principiorum, quibus omnis scientia innititur, ideoque et ipsam scientiæ possibilitatem. Galluppius eum collocat in *conscientia*; quod idem est ac confundere conditionem necessariam ad percipiendum principium, seu motivum, cum ipso motivo, aut principio. Felicitas de Lammene (1) eum reponit in *auctoritate generis humani*; quod idem est ac omnem certitudinem negare, annihilareque rationem ipsam.

Comes de Bonnard (2) et Bonnetty existimarunt illud pro veritatibus moralibus reponendum esse in primitiva revelatione una cum sermone accepta, et per sermonem à societate servatam; unde in moralibus incipiendum esse

(1) *Essai sur l'indifferen. in matiere de Relig.*

(2) *Recherches philosoph. t. 1.*

ab actu fidei, cujus motiva sunt *societatis auctoritas*; quod idem est ac supponere fidem sine ratione et prævia scientia de aliquo credibilitatis motivo, quod est impossibile. Idem existimavit tum pro veritatibus moralibus, tum pro veritatibus circa Deum, animi immortalitatem et spiritualitatem etc. P. Jo. Ventura (1).

Huetius Episc. Abrincensis, alique existimarum illud principium aliud non esse, nisi *divinam revelationem*, in qua, juxta ipsos, omnes cognitiones nostræ fundantur; quod idem est ac dicere nos nihil scire, ac ipsam possibilitatem fidei negare; antequam enim Deo credamus *scire* debemus Deum esse et esse infallibilem, et loquutum esse etc.

Nos igitur cum veritate dicimus: hunc principium, seu ultimum veritatis motivum esse *evidentiam*, seu rationem individuum actu percipientem et *rem esse et aliter esse non posse*. Aggrediamur igitur hoc demonstrare, et defendere ab adversariorum calumniis, contra quos ex dictis et ex dicendis nunc, aliquod corollarium fluat, quo Logicam absolvemus.

409. Ac primo, principium hoc certitudinis debet esse:

1.° *Nulla indigens demonstratione*: Omnis enim demonstratio supponit aliquod principium notius propositione demonstranda, et independenter ab ipsa certum; atqui repugnat ultimum certitudinis principium ab alio demonstrari; etenim esset ultimum et simul non esset; ergo ipsum debet esse tale, ut rationem sui in se ipso habeat: in Solis similitudinem, qui lucem, quam emittit, non ab alio mutuatur.

2.° *Debet esse igitur per se et immediate notum*; Si enim mediante alio cognosceretur jam non esset primum, nec per se notum, sed ab alio, à quo dependeret ejus certitudo, et à quo suam acciperet lucem, quod implicat; ergo etc.

(1) La ragion filosof. e la ragion Cattol. *Confers.* I. et. II.

3.° *Debet esse tale, ut mentem intime collustret ac determinet ad assensum absque ulla hæsitatione; quod fieri non potest, nisi mens videat impossibilitatem oppositi, et tali modo, ac claritudine videat, ut naturâ suâ necessario determinetur ad assensum, nisi velit se ipsam negare et annihilare. Jam has condiciones unice habet evidentia. Ut autem hoc clare appareat sedulo perscrutemur evidentiae naturam.*

410. *Evidentia, si primitivam vocis vim attendamus, est objecti perspicuitas (1), nempe, eminens quædam ac prominens visibilitas, quâ objectum quasi ultro se porrigat intuendum, uno verbo: est necessaria objecti visibilitas. Hæc porro necessaria visibilitas ex tribus consurgit: 1.° ex objecti realitate; 2.° ex opportuna et abundanti lucis copia, quæ objectum illustret; 3.° ex eo quod objectum luce propria, vel reflexa vim visivam actu percipiat ac determinet ad actum videndi: quare (bene notate) evidentia est in objecto et afficit ac determinat intuentem, et á visione distinguitur, ut distinguitur causa ab effectu. Eæc de evidentia sensibili.*

411. Sed objectis quoque intellectûs, ac veritati maxime enuntiabilium evidentia tribuitur significatione *translata*, et recte omnino. Sed ut enuntiabile sit evidens, non sufficit ejus veritas, requiritur insuper, ut veritas vel per se ipsam, quasi *lumine proprio*, se intellectui manifestet, vel per aliam veritatem quasi lumine collustretur alieno: semper tamen ita, ut necessario percipi debeat.

Lumen hoc est motivum, quod veritatem demonstrat (2), et facit indubiam. Demum requiritur, ut veritas luce

(1) Cic. l. VI. Acad.

(2) Nomen lucis primo quidem institutum est ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visûs; postmodum autem extensum ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem, S. Thom. *Sum. Th.* l. P. Q. 67. art. 1.

hac fulgens menti fiat præsens, eamque ita percellat, ut ab ipsa *necessario* debeat intelligi; fit autem præsens vel per se immediate, quasi lumine proprio, vel per motiva eam suadentia, quæ motiva immediate mentem collustrant ac determinant ad actum. Quare manifesta est affinitas inter evidentiam sensibilem et intellectualem; unde sicut evidentia sensibilis est *necessaria objecti visibilitas*, ita evidentia *intelligibilium* definienda erit, *necessaria veritatis intelligibilitas*; cujus quidem elementa sunt: 1.° *veritas*, quæ realitati respondet; 2.° *motiva veritatem manifestantia*, sive intrinseca, quæ respondent luci propriæ, sive extrinseca, quæ respondent luci alienæ; 3.° *manifestatio motivorum*, quæ respondet actioni præsentis lucis in visûs organum.

Hæc omnia vel ipse loquendi communis usus luculenter confirmat: ita dicimus: *hæc propositio est evidens; tales vel tales res, seu veritates sunt evidentes; evidentia me cogit* etc., et non dicimus: *ego sum evidens*, et cum aliquis dubitat vel negat veritatem evidentem, eum relinquimus ut amentem.

412. At quandonam veritas est necessario intelligibilis?

Tunc sane, cum non tantum fit menti manifestum rem certo quodam modo se habere, sed etiam aliter se habere *non posse*; seu quod idem est, cum non modo nulla ratio occurrit dubitandi de opposito, sed insuper elucet, *rem necessario ita esse*, necessitate sive *absoluta*, ut *Deus est; impossibile est idem simul esse et non esse; circulus est rotundus* etc., sive *hypothetica*, ut v. g. *ego nunc cogito; existo; dum sentio dolorem, dolorem sentio* etc. Tunc enim nulla possibilis est suspicio de oppositi possibilitate, quare etiam potest evidentia definiri, ut indicabimus (1), *enuntiabilium necessitas menti innotescens*.

(1) Lect. 38.ª n. 276 et 277.

413. Evidentia ratione, seu motivo partiali, ex quo con-
surgit, seu ratione modi, quo menti affulget, multi-
plex est.

1.° Alia *immediata* est, alia *mediata* (vid. Lect. 38.)

2.° Evidentia, ut et certitudo, dividitur: 1.° In *absolutam* et *hypotheticam*, prout enuntiatio sub quacumque hypothesis ita se habeat, vel ita se habeat dato quodam facto. 2.° In *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*; secundum quod oppositum involvat absolutam repugnantiam; vel contrarietur legibus physicis; vel constantibus ac universalibus hominum moribus.

3.° Notanda est divisio evidentiae in *intrinsecam* et *extrinsecam* (vid. lect. 38. n. 281, 2.)

Evidentia *intrinseca* habetur, cum necessarius nexus subjectum inter et prædicatum per ipsam rei manifestationem aperitur, nempe cum res ipsa suum attributum, aut aliquid ex quo attributum infertur, manifestat, sive immediate, sive mediate; v. g. *duo addicta tribus quinque adæquant; summa angulorum trianguli æquivalent duobus angulis rectis* etc.

Evidentia autem *extrinseca* non prodit ex manifestatione objecti, de quo fit enuntiatio, sed á manifestatione *signi*, quod ipsi objecto extraneum est, et nihilominus cum propositionis veritate necessario est connexum. Hujusmodi est evidentia iudiciorum, quæ in auctoritate sive divina, sive humana fundantur, in quibus, si solum spectamus auctoritatis motivum, nulla de ipsa propositionis veritate evidentia habetur, sed ejus loco de his duobus: 1.° de testimonii existentia; 2.° de testimonii connexionione cum propositionis veritate. Quare propositiones, quæ *extrinsecam* hanc evidentiam præ se ferunt, re vera non possunt dici *evidentes*, sed solum *evidenter credibiles*: tales sunt veritates religionis revelatae.

414. *Collig.* 1. Minime confundenda est evidentia cum perceptione evidentiae; evidentia, seu necessitas est in

enuntiabili, perceptio in subjecto; illa comparari potest luci, ista visioni.

2.° Multo minus confundenda est evidentia cum illa necessitate assentiendi veritatibus evidentibus.

3.° Male definiuntur evidentia à compluribus auctoribus: *perceptio clara et distincta convenientiæ, aut discrepantiæ idearum*; nam evidentia est ipsa necessaria connectio, vel repugnantia, non illius perceptio; evidentia, ut dictum est, est in rebus et intellectum afficit, ac necessario determinat (1).

4.° Evidentia non pertinet solum ad veritates à priori, sed etiam ad veritates à posteriori. His benè intellectis jam facillime perspicietis veritatem sequentis propositionis.

415. PROPOSITIO I.° *Ratio individua, id est, intellectus hominis individui actu percipiens necessitatem rei; seu evidentia habet omnes condiciones ad primum certitudinis principium; est igitur criterium secundum quod ultimato veritatem à falsitate distinguimus.*

Prob. Evidentiam habere condiciones ad primum certitudinis principium per se patet ex ipso evidentie analysi, quæ immediate præcedit; etenim apparet ipsam esse 1.° *nulla indigens demonstratione*, utpote quæ per se et immediate collustrat ac determinat intellectum, adeo ut, ipsa negatione affirmetur, aut ratio ipsa se ipsam annihilare debeat; insuper nihil notius ipsâ; est igitur 2.° *quid*

Per se immediate notum, si quidem intellectum immediate collustrat, afficit ac determinat, et quidem intellectus neque seipsum, neque realitatem objectivam suorum actuum, neque certitudinem suam ignorare potest, ut ostensum est (Lect. 36.^a n. 261. seqq. et Lect. 37.^a thes. 1.^a seqq.)

Hinc 3.° est evidentia talis, ut quamvis in objectis, intime mentem collustrat ac determinat absque ulla hæsitatio-

(1) Hæc apud Salv. Ton. *Log. part. II. L. 3. c. 1.*

tione, eo ipso quod in objectis est, id est, eo ipso quod intellectus videt rem aliter se habere non posse; ergo vel negare necesse est aptitudinem rationis ad verum cognoscendum, et veluti pecudes homines considerare, et desperatum amplecti scepticismum, vel necessario admitti debet veritas nostræ enuntiationis.

Sed insuper, ipse sensus intimus, et ratio agendi nostra hoc confirmant; quid et quare dicimus cum de aliquo certissimus: *hoc evidens est: absolute certus sum?* Inquimus: *quia videmus impossibile esse rem iis in adjunctis aliter se habere posse: contrarium repugnare*, etc. Ipsaque certitudinis natura id postulat; nam formidinem oppositi non excluditur usque modo manifestum fiat rem tali modo esse, ut aliter se habere non possit; ergo vel negare necesse est omnem certitudinem, vel admittere evidentiam, ut ultimum criterium *secundum quod* veritatem à falsitate distinguimus.

416. *Collig.* Falsissimam esse assertionem eorum, qui autumant hominem individuum non habere ullum motivum certitudinis intrinsecum; nam motivum primarium, necessario intrinsecum est. Insuper repugnat secum ipsâ negatio omnis motivi certitudinis cuilibet privato intrinseci. Etenim ista negatio in hoc recideret: *ego nullum habeo in me motivum certitudinis*. Atqui ista negatio secum ipsa repugnat; nam vel dicit: *sum certus sed absque motivo*; quod etiam ex dictis (Lect. 36—et 37) repugnat; vel *sum certus ex motivo tantum extrinseco*; atqui id pariter repugnat. Nam vel intellectus percipit existentiam istius motivi externi, et simul ipsius connexionem cum veritate, et tunc ista perceptio est motivum certitudinis; vel non percipit, et tunc repugnat intellectum per hoc moveri, seu determinari ad aliquid certo cognoscendum; ergo repugnat, hoc motivum esse aliud quodcumque, quam ipsa rerum intelligibilium necessitas menti, seu intellectui innotescens, ac determinans illum ad assensum; ergo est absurdum supponere intellectum individualement actu percipientem necessitatem

intelligibilium, insufficientem esse ad certitudinem gignendam (1).

417. *Ititur* 1.^o Dubitatio omnis de evidentiae infallibilitate est absurda, idem est ac dubitare de ipsa ratione.

2.^o Nulla propositio evidens falsa esse potest; et vice versa, nulla propositio falsa potest esse evidentè vera: dubitare de hoc est scepticismum profiteri.

3.^o Nullus error est physice necessarius.

4.^o Propterea omnis error à libera voluntatis motione originem habet (2).

Denique animadvertite, nos hîc loquutos esse de veritatibus ordinis naturalis, et de certitudine naturali; non vero de veritatibus supernaturalibus, quæ quidem evidentes esse non possunt, quamvis sint re vera *evidenter credibiles*, imo intellectus divina gratiâ præventus et adjutus pio voluntatis motu majori cum certitudine eis assentit.

Conemur nunc hanc doctrinam defendere ab adversariorum calumniis, præsertim F. La Mennais; infelix! qui contendens rationem sacrificare, eam in idolum constituit; iste non dubitat affirmare, *methodum philosophicam, quæ rationi individuali innititur, similem esse methodo hæreticorum* (3); contra quod assertum sit

418. PROPOSITIO. II.^a *Doctrina, quæ rationem individuum tanquam principium certitudinis statuit, vera est in se, et in suis consecrariis; doctrinæ catholicæ consona; diversa à methodo rationalistarum, et hæreticorum; et tuta tum in rebus philosophicis, tum in rebus theologicis.*

Prob. 1.^a Pars. Vera est in se, et in suis consecrariis.

1.^o *Vera est in se, si quidem negari nequit absque contradictione, ut sequitur ex jam dictis; ergo 2.^o Vera*

(1) Cons. Petr. Four. *Log. part. 2. Set. 3. c. 1.*

(2) Consulite, exim. Franc. Suarez, *Metaphysi. Disp. 9. sect. 2. §. 6.*

(3) Essai etc.

est in suis consecrariis, quorum præcipua sunt: 1.^m Quemlibet individuum hominem certitudinis ex se esse capacem: 2.^m hominem ratione utentem posse per se aliquam veritatem certo cognoscere; 3.^m errorem non esse actum intellectualem; quæ omnia ex sæpe dictis negari nequeunt; ergo etc.

419. *Prob. 2.º pars. Consona est doctrinæ catholicæ.*
Etenim: 1.º Veritas veritati contradicere non potest; atqui si doctrina de qua agitur, doctrinæ catholicæ adversaretur, veritas veritati opposita esset; probavimus veram esse doctrinam, quæ asserit rationem individuum esse principium acquirendi certitudinem; aliunde doctrina catholica, ut fatentur adversarii, quos hîc impugnamus, vera est; ergo si una doctrina alteri adversaretur, veritas veritati esset opposita; ergo cum id dici non possit, nullatenus dici potest, doctrinam hanc doctrinæ catholicæ adversari.

2.º In tantum nostra assertio doctrinæ catholicæ adversaretur, in quantum rationem individuum statueret tanquam fundamentum, seu motivum fidei, ut contendunt nonnulli ex nostris adversariis; atqui id prorsus falsum est.

Nam fundamentum, seu motivum fidei est illud motivum propter quod adhæremus veritatibus revelatis; atqui asserendo rationem individuum esse capacem per se percipiendi et demonstrandi quasdam veritates, vel esse principium, quo cognoscimus motiva certitudinis et eorum connexionem cum veritate, non dicimus rationem percipere, aut demonstrare intrinsecam veritatem propositionum revelatarum; aut si quas probat, hoc erit per accidens, nec ex istis probationibus fide creduntur; neque dicimus rationem individuum esse motivum *propter quod* veritatibus revelatis adhæremus, sed esse principium, quo cognoscitur istud motivum; ut enim fidem divinam habeamus, prærequiritur ut sciamus Deo loquenti esse credendum; ergo per hanc doctrinam ratio individua non stuatitur tan-

quam fundamentum, seu motivum fidei, sed solummodo tanquam aliquid omnino prærequisitum ad actum fidei.

3.^o Illa doctrina catholicæ doctrinæ non adversatur, quam propugnarunt, duo celeberrimi illi Doctores, S. P. Augustinus nempe et S. Thomas qui jure ac merito quasi oracula Ecclesiæ habentur; porro talis est doctrina, quæ in ratione individua, id est, in intellectu hominis indivi-
dui principium certitudinis reponit; ergo etc. Ex multis testimoniis, quæ afferri possent aliqua citabimus,

S. P. Augustinus principium certitudinis in visione intellectûs reponit: v. g. de *verb. Evång. Serm.* 126 n. 3. sic. ait.: «Utique vides aliquid, ut credas aliquid, et »ex eo quod vides, credas quod non vides. *In Psalm.* 118. »*hæc habet, serm.* 18, n. 3.» Quamvis nisi aliquid inte-
»lligat, nemo possit credere in Deum.» *L. de vera Relig. cap.* 39, n. 73. Academicos, seu scepticos ita perstringit. «Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelli-
»git, et de hac re quam intelligit, certus est; de vero »igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas »dubitatur, in se ipso habet verum, unde non dubitet.» *Et n.* 72 dixerat: «Noli foras ire, in te ipsum redi, in interiore homine habitat veritas.»

Pariter S. Thomas *de verit. q.* 11. *art.* 1. *ad* 13.^{am} hæc habet: «dicendum quod certitudo scientiæ tota oritur ex cer-
»titudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitu-
»dinem sciuntur, quando resolvuntur in principia, et ideo »quod aliquid per certitudinem sciatur est ex lumine ra-
»tionis divinitus interius indito, quo in nobis loquitur Deus, »non autem ab homine exterius docente nisi quatenus »conclusiones, in principia resolvit nos docens, ex quo »tamen nos *certitudinem scientiæ non acciperemus, nisi in nobis esset certitudo principiorum* in quæ conclusio-
»nes resolvuntur.» Clarius adhuc idem exprimit *in* 3. *dis.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3. ita dicens: «Certitudo, quæ est »in scientia et in intellectu, est ex ipsa evidentia eorum,

»quæ certa esse dicuntur.» Et L. 3. *Contra Gentes*, cap. 154. «Per lumen naturale intellectus redditur certus de »iis, quæ lumine illo cognoscit, ut de primis principiis.» Tandem 2.^a 2.^æ q. 1. art. 4. ad 2. ait.: «Non crederet »(ratio) nisi videret ea esse credenda vel propter eviden- »tiam signorum; vel propter aliquid hujusmodi.» Ex qui- bus sequitur ad fidem, juxta S. Thomam, necessario præ- requiri visionem intellectualem eorum, quæ motiva cre- dibilitatis vocantur; ergo etc.

420. *Prob. 3.^a pars. Hæc doctrina prorsus diversa est à methodo rationalistarum, et hæreticorum:* 1.^o Rationalistarum; nos quidem cum ipsis certitudinem rationis admittimus; sed illi eam ut solam omnis veritatis sive naturalis, sive supernaturalis regulam statuunt, ita ut nihil certi esse velint, nisi quod ratio ipsa percipiat; nos vero eam ut veritatis regulam in solo ordine naturali admittimus, et tanquam aliquid prærequisitum ad cognoscendum motivum fidei: ergo etc. 2.^o Hæreticorum; Protestantes enim volunt, quemlibet privatum ex ratione sua judicem esse sensûs Scripturæ; é contra sententia, quam defendimus, supponit sensum Scripturæ quærendum esse ex sola auctoritate Ecclesiæ: nam juxta nos evidentia rationis individue versatur tantum circa essentias, quæ captum intellectûs non superant; sed quoad sensum Scripturæ reducitur quæstio ad factum contingens, v. gr.: *talis locutio habuitne in mente Dei loquentis talem, vel talem sensum?* Porro Deus solus potuit dicere quid voluerit per hæc verba significare; ergo requiritur medium externum, quo constet voluisse per talia verba revelare talem sensum; ergo auctoritas Ecclesiæ requiritur; ergo etc.

421. *Prob. 4.^a pars. Tuta est tum in rebus philosophicis, tum in Theologicis.* Et 1.^o quidem in philosophicis; nam hæc doctrina asserit, nihil pro certo habendum esse, nisi quod ratio vel per se perceperit, vel cognoverit habere motivum certum; atqui nihil certius esse potest;

si enim ratio percipiat aliquam veritatem essentialem, vel cognoscat adesse motivum certum cur tali, vel tali rei assentiat, absque periculo judicabit, et veram scientiam acquirat; porro omnis intellectus aliquas hujusmodi perceptiones habet; ergo omnis homo intelligentiâ præditus veram scientiam philosophicam absque errandi periculo sibi comparare potest.

Si vero aliquam veritatem ita non videat intellectus, eam ignorabit usquedum ediscat necessaria ad videndum; sed nihil tutius; si enim de re aliqua vult homo pronuntiare, quin ipsam percipiat, vel ejus motivum certum cognoscat, manifeste se exponit errandi periculo, ut patet; ergo hæc doctrina tuta est in rebus philosophicis. 2.° *Tuta etiam est in rebus Theologicis*; nam nedum conculcat fundamenta fidei, ipsa stabilit; hæc enim ex doctrina illa sequuntur: 1.° quilibet homo certo potest veritatem cognoscere; 2.° potest per se judicare de motivis credibilitatis; id est, solvit hanc duplicem quæstionem: *Deus estne verax? Deus estne locutus?* Porro duplicis hujus quæstionis solutio, nedum fidem perimat, ad eam ducit; ergo doctrina, quam defendimus, ipsa fidei fundamenta stabilit; ergo tuta est et absque periculo in rebus tum theologicis, tum philosophicis; ergo etc.

Merito igitur systema La Mennais damnatum et confossum fuit à SS. P. PP. Gregorio XVI. *Epist. Encycl. die 25 Junii anno, 1834.*

Merito, inquam, quia hæc eadem doctrina, quam defendimus, semper viguit et etiam nunc viget in scholis catholicis, et huic ut fundamento superstructa est sacra Theologia; ergo etc.

422. *Respondetur præcipuis adversariorum scrupulis.*

Obj. I. Illud non potest esse principium certitudinis philosophicæ, quod est essentialiter fallibilis; atqui ratio individua, est essentialiter fallibilis; ergo etc.

R. 1.^o Si hoc argumentum valet contra rationem individuum, valet etiam contra rationem generalem, quæ nonnisi ex rationibus individuis constat. Eodem modo fere omnes cæteræ objectiones retorqueri possunt.

R. 2.^o *Conc. maj. Dist. min.* Ratio est essentialitèr fallibilis *per se, nego min.; per accidens, trans, vel conc.* Primo, ratio est infallibilis essentialiter in suis perceptionibus, adeo ut absque palmaria contradictione dubitare nequit de ipsis, et quanto magis de eis dubitare conetur, tanto magis eas affirmat. Deinde in suis judiciis est tantum per accidens fallibilis, id est, cum evidentia desideratur, et tunc voluntati obnoxia est, si vero adest evidentia, tunc, quin se ipsam perimat, falli nequit.

Inst. Solus Deus est essentialiter infallibilis; ergo etc.

R. *Dist. ant.* Solus Deus etc. infallibilis absolute et independenter, *conc. ant.* Solus Deus est infallibilis infallibilitate hypothetica, et participata, *nego ant.*

Inst. Ergo nullus homo invincibiliter errat; atqui hoc est falsum; ergo etc.

R. *Conc. consequens 1.^m; Nego min. et 2.^m conseq.* Datur quidem ignorantia invincibilis, error minime (1).

Obj. II.^o Hæc doctrina restaurat errorem Protagoræ dicentis: omnium rerum mensuram esse hominem; et scientiam esse sensus.

R. *Nego.* Etenim Protagoras opinabatur; nihil certum nobis esse posse, nisi hoc: *nos ita sentire, aut percipere;* nihil amplius, et ideo ajebat; nos non posse judicare quid sint res, sed solum *quid in congressu sentientis et sensibilis fiant* (2), non aliter ac Kantiani. Hæc autem sententia non modo cum evidentiae principio non coincidit, sed potius ab ipso destruitur. Per hoc enim principium statui-

(1) Cons. S. Th. QQ. *Disp. de malo*, q. 3. à 7; Suarez, *Meta. disp. 9. sect. 2. n. 6.*

(2) Cons. Plat. in *Thimæo.*

tur: *quod evidens est ita esse*, non modo mihi, sed ita plane esse in se.

Obj. III.° Multi errarunt et errant, et nihilominus evidentiam jactant; ergo etc.

R. Dist. Et jactant mala fide et inconsideratè, *concreto* jure et veraciter, *subd.*; circa id ipsum, quod affirmant, *negato*; circa aliquid aliud illi affine, *trans.*

Obj. IV. Illud principium saltem á catholicis admitti nequit; est enim ipse protestantium error, *spiritus privatus* á Luthero in religionis negotium, á Cartesio in philosophiam invecus; ergo etc.

R. Nego ant. Consulite prop. 2.^{am} *Ad rationem additam nego paritatem quoad utrumque.*

Lutherus et protestantes pessime errant, quia in religionis revelatæ negotio, spreto legitimo custode, teste, magistro et infallibili revelationis judice, Ecclesia, scilicet, Romana, contra omne jus et voluntatem ipsam expressam revelantis ad alienum et incompetentem judicem confugiunt. Videant Traditionalistæ utrum aliquid simile faciant. Ecclesia etiam istos damnavit (1).

Ex hactenus in tota critica theoriis demonstratis facile Corollarium contra Rationalistas et Traditionalistas deducitur. Sit modo

LECTIO 51.°—COROLLARIUM EX TOTA CRITICA.—CONCLUSIO.

423. «Rationalistarum nomine á nobis intelliguntur in præsens illi, qui contendunt rationem, etiamsi *moraliter* spectetur, sibi ipsi omnino sufficere, quin ulla *revelatione* indigeat, ad assequenda sine ullo errore omnia dogmata,

(1) Vos remittimus ad opus R. P. Ventura cui titulus: *Semiracionalismo descubierto*, Madrid 1862. Ubi omni argumentorum vi *traditionalismum* defendit: Sed quem traditionalismum non satis apparet; non sibi constans auctor videtur. Legite.

quæ ad religionis cultum, et mores pertinent. *Sansev.* (1).

424. «At ex iis, quæ jam ostendimus (2), pronum est intelligere ipsos á vero vehementer aberrare. Etenim facultates hominis individui, si considerentur una cum iis adjunctis, quæ illarum exercitationem concomitari solent, non sunt adeo validæ et firmæ, ut omnibus veritatibus assequendis pares sint, quibus homini opus est ad intellectûs institutionem, et voluntatis regimen. Quare confecimus, revelationem divinam omnino consulendam esse philosopho, ut in suis inquisitionibus sine errore progrediatur. Inde factum est, ut nullus philosophus paganus systema condiderit plurium exitialium errorum immune, et Philosophi recentes, qui inconsulta, vel despecta Catholicæ fidei doctrina, scientias rerum construere voluerunt, non modo paganicæ philosophiæ errores renovaverint, sed hac presertim nostra ætate, illis fortasse magis impios, et absurdos protulerint (3)».

425. «Ex eo autem quod nullus fuerit Philosophus, qui in aliquos errores non inciderit, Traditionalistæ concludunt, rationem adeo imbecillam, et infirmam esse, ut vel nullam omnino veritatem, vel nullas veritates abstractas, vel saltem nullas veritates metaphysicas et morales sine Revelationis, aut institutionis socialis subsidio cognoscere valeat. Sed perperam omnino. Etenim 1.º ut in toto critiques contextu ostendimus, et præsertim in hac secunda Sectione, ratio, etiamsi moraliter spectetur, circa pronuntiata facti et rationis, nec non circa ea, quæ ab illis facile eruuntur, falli non potest; unde hujusmodi veritates omnibus ethnicis

(1) *Comp. Criteriolog.* c. 9. art. 4.

(2) *Lectio* 44. pag. 284 prop. 1. et seqq.

(3) *Cons. syllabum* [complectens etc. Pii Papæ IX. VIII. Decemb. 1864 §. 1. n. 3. et 4. §. 2. n. 9. 14.; *Revista Catolica* tom. 58. 2.ª serie, tom. 25, pag. 498.

Philosophis compertæ fuerunt (1): 2.º Si nullus fuit philosophus ethnicus, qui in aliquos magni momenti errores non ruerit, fere nemo extitit, qui et quasdam veritates non detexerit, et aliquos errores vulgo receptos non repudiaverit (2): 3.º Ab historia philosophiæ discimus non raro factum esse, ut unius errores, alter ratione diligentius exculta emendaret; id quod demonstrat, errores illos non ex ratione per se, sed ex perverso ejus usu promanasse. Quocirca ex erroribus, in quos humana ratio incurrit, consequitur multa esse, quæ homini in rerum investigatione impedimento sunt, ita ut quispiam, unius suæ rationis viribus nisus, omnes veritates, maxime quæ circa religionis cultum et mores versantur, sine ullo errore assequi nequeat, sed neque consequitur illas veritates á ratione *absolute* spectata cognosci non posse, neque rationem *moraliter* consideratam adeo infirmam esse, ut nullam ex iis certo cognoscere possit, ut patet circa prima principia et immeditas consecutiones (3).»

426. «Sed illud præcipue contra traditionalistas adnotandum est, eos, cum Revelationem unicum criterium discernant, quo cognoscuntur vel omnes veritates, vel saltem illæ, quæ ad ordinem metaphysicum, et moralem spectant, Revelationem ipsam perimere. Enimvero Revelatio cognosci á nobis non potest, nisi tamquam certas et exploratas habeamus has veritates: *existere Deum; Revelationem re ipsa fuisse olim hominibus factam; illam ad nos usque sartam tectamque pervenisse; Deo intellectûs, et voluntatis obsequium á nobis præstandum esse; falsas non esse*

(1) Inter has S. Paulus numeravit: *existentiam Dei, et legem moralem*, adeo ut illos, qui idololatriam professi sunt, et legem naturalem violarunt, inexcusabiles dixerit.

(2) Cons. S. P. Aug. *De Civ. Dei*, lib. 18. c. 41 n. 3.

(3) Cons. S. Th. Sum. *Cont. Gent.* l. 1. c. 61. et ib. l. 3. c. 107. n. 8.; id. *sum. Th.* l. 1. p. q. 85. á 6.; *qq. Disp., De pote.* q. 10. á 2. ad 4.; id. *In lib. 2. sent., Dist. 39. q. 2. á 1.*

Sanctorum virorum mentes, quibus Revelatio facta est, nec deceptos sensus illorum, qui eventus, in quibus Religiones Hebraica, et Christiana fundantur, viderunt et narrarunt, aliasque non paucas veritates (1); quam obrem licet nobis ita argumentari: Veritates, sine quibus Revelatio constare nequit, tamquam certæ á nobis habendæ sunt, antequam Revelationis existentiam cognoscamus. Atqui traditionalistæ contendunt illas incertas nobis esse, antequam Revelatione innotescant; ergo secundum ipsos, incerta est ipsa Revelationis existentia, et proinde incerta sunt omnia, quæ Revelatio complectitur.» (2).

427. Cum hæc ita se habeant, nos mediam inter Traditionalistas et Rationalistas viam terendam esse censemus, quæ et *rationalismum*, et *rationihilismum* æque devitet; hoc, gratia Dei opitulante, credimus fecisse, et hac assistente semper faciemus.

428. Quare, dum contra Rationalistas contendimus, Revelationem Divinam philosopho, qui sine errore in suis inquisitionibus progredi vult, omnino consulendam esse; asserimus contra Traditionalistas, rationem humanam, etiamsi moraliter spectetur, ex se ipsa non paucarum veritatum certitudinem assequi; secus neque Revelationem cognoscere, et consulere, neque illas famulatûs partes, quas in prolegomenis diximus n. 1. 4.; neque veritates, quæ superant captum rationis, seu dogmata revelata posset recipere ac agnoscere.

Præstat hoc corollarium confirmare oraculo SS. D. N. Pii Papæ IX. Ipse in *Encyclica ad omnes Patriarcas etc.* 9. Novembris 1846, rem, de qua agimus, breviter, et dilucide ita definivit: «Ambæ (Fides et Ratio) ita sibi mutuam »opem ferunt, ut recta ratio fidei veritatem demonstret,

(1) Supr. Lect. 44. prop. 7.º

(2) Caj. Sansev. l. c.

»tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet, atque perficiat».

CONCLUSIO. Notiones hactenus traditas diligenter recolite, charissimi fratres, studiosi juvenes, his enim instructi varias mentis vestræ operationes ad verum dirigere potestis, si velitis, ut credimus. At, dum intellectum præparatis ad rite ratiocinandum, memores estote studia, omnesque vitæ nostræ actiones ad rationis ac virtutis normam ordinare: opera enim nostra sunt illæ *præmissæ* ex quibus tempore mortis eruetur conclusio. Recta igitur ponamus principia dum vivimus, ut aliquando concludamus cum Apostolo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juxta Judex.* 2.^a Timoth. c. 4. v. 7. et 8.

Faxit Deus O. M., cui gloria et imperium in sæc. sæculorum.

EXPLICIT LOGICA.

Me inscio aliisque curis distento nonnulla irrepserunt menda, graviora correcta accipe, benevole lector, cætera minoris momenti eruditio scientiaque, quibus polles, corrigant.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
5	2	philosophiæ	philosophiæ
8	11	philosophia	philosophia
21	5	de alias	alias
27	6	suppunit	supponit
36	5	conjuncta	conjunctæ
49	1	hæc	hæ
55	12	<i>in mente</i>	<i>extra mentem</i>
id.	14	<i>extra mentem</i>	<i>in mente</i>
58	21	veriti de trahentes	veritati detrahentes
60	14	Schleget	Schlegel
62	28	<i>articulis</i>	<i>articulatis</i>
63	31	evelvi	evolvi
70	24	humanum	humanam
118	24	<i>non</i>
143	17	aii	<u>aii</u>
144	13	<i>tetrasticon</i>	<i>tetrastichum</i>
146	31	hipotethicam	hypotheticam
148	11	conditionali	conditionati
148	12	esse	esse verum
148	30	conditionem	conditio
150	9	hac	has
169	14	Lutherum	Lutherus
171	27	docebit	docebunt
174	17	hunc	hoc
176	5	absurdam	absurdum
182	21	hunc	hoc
186	12	rationæ	ratione
186	32	necesarium	necessarium
197	31	mediente	mediante
205	28	necesaria	necessaria
205	30	conditio	conditione

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
208	30	possumus	possimus
209	3	occasio	occasionem
214	13	millatenus	nullatenus
225	16	vindicat	vindicet
237	30	proprie	prope
253	6	quæ	quam
258	1	ratio sufficiens	rationem sufficientem
267	16	recurrimus	recurrere
272	1	indicabimus	indicavimus
id.	id	hypotheoseon	hypotheseon
287	11	essentiaiter	essentialiter
303	8	quæ	qui
330	19	revacata	revocata

INDEX LOGICÆ.

Páginas.

Ratio scribendi.	5
Studioso Lectori admonitio.	6

ELEMENTA PHILOSOPHIÆ.

PROLEGOMENA.

Philosophiæ nomen unde; philosophiæ definitio,— objectum tum materiale, tum formale.—Ejus finis, officium et munus.—Ex iis eruitur, traditur et ex- plicatur ejus divisio.	9
---	---

LOGICA.

<i>Lectio 1.</i> —Notiones præviæ. Quid sit Logica, ejus definitio ac divisio.	13
---	----

LOGICÆ PARS PRIMA.

SECTIO PRIMA.

De mentis operationibus ad verum inveniendum.	16
---	----

<i>Lectio 2.</i> —De apprehensione, seu ideis: quid sit apprehensio, quid idea.—Ideæ discrimen á sensa- tione.—Ideæ comprehensio, et extensio, hæ sunt in ratione inversa.	ib
---	----

<i>Lectio 3.</i> —De ideis ratione sui, et objecti. Asser- tio 1. ^a — <i>Objectum ideæ est necessario ens aliquod.</i> — Corollarium—Assertio II. ^a — <i>Objectum ideæ non est ulla existentia actualis, si excipitur existentia Dei, sed aliqua essentia, seu possibilitas alicujus rei.</i> — Corollaria.—Assertio III. ^a — <i>Omnis idea est vera.</i> — Notanda prævia,—Demonstratio. Quomodo intelligen- dus est usus loquendi de ideis falsis. Respond. diffi- cultatibus.	19
---	----

<i>Lectio 4.</i> —De idearum diversitate; 1. ^o ratione ori- ginis; 2. ^o ratione objecti; 3. ^o ratione extensionis objecti. De universalibus; <i>specie, genere, differen-</i>	
--	--

<i>tia, proprio et accidente. Quid sint transcendentalia.—Idea intuitiva, et facticia.—Intuitiva directa, reflexa. Facticia.—Facticia arbitraria, discursiva. Corollaria notatu digna. Idea singularis; notæ individuantes.—Collectiva.—Idea particularis.—Universalis.</i>	23
<i>Prosequitur Lectio quarta. Nonnullæ ad dicta animadversiones.</i>	29
<i>Lectio 5.^a—De categoriis. Earum usus et utilitas. Numerantur juxta diversorum opinamenta.—Recensentur secundum Aristotelem et definiuntur. Doctrina S. P. Augustini circa eas.</i>	32
<i>Lectio 6.^a—De partitione idearum secundum perfectionem repræsentandi, et de mediis ad eas perficiendas.</i>	37

GRAMMATICA GENERALIS.

<i>Lectio 7.^a—Grammatica generalis quid sit. De signo, seu expressione idearum. Quid sit signum et quotuplex. Signorum definitio et divisio.—De gestu et ejus divisione.</i>	42
<i>Lectio 8.^a—De locutione.—De ejus necessitate et emolumentis. Quid sit vocabulum,—quid oratio De nomine et verbo.—Quid appellent Logici terminum.</i>	45
<i>Lectio 9.^a—De terminorum partitione; 1.^o secundum vim significandi; 2.^o secundum objecta significata; 3.^o secundum extensionem.</i>	50
<i>Lectio 10.^a—De usu vocabulorum, et suppositione.—Notanda quædam circa eorum usum et interpretationem.</i>	54
<i>Lectio 11.^a—De origine et differentiis linguarum.</i>	59
<i>Lectio 12.^a—De scriptura. Ejus structuram et origo investigantur. Ejus variæ species.</i>	66
<i>Lectio 13.^a—De analysi idearum.—De definitione; divisio definitionis.—Præcepta ad bene definiendum.—Utrum omnia definiri possint.</i>	72
<i>Lectio 14.^a—De divisione.—De toto et partibus.—De variis divisionis speciebus.—Præcepta ad bene dividendum.</i>	77

SECTIO SECUNDA.

DIALECTICA.

De judicio ejusque expressione.

<i>Lectio 15.^a—De judicii notione, et differentiis.</i>	82
<i>Lectio 16.^a—De judicii natura.</i>	87
<i>Assertio I.^a—Judicium est actus mentis; et quidem simplex.</i>	87
<i>Assertio II.^a—Actus internus, quo aliquid affirmatur vel negatur (hoc est, judicium) non est ipsa apprehensio comparativa.</i>	89
<i>Assertio III.^a—Judicium est actus elicited ab intellectu, non vero á voluntate, et si judicium est temerarium, potius quam judicium, est abusus liberæ voluntatis.</i>	91
<i>Lectio 17.^a—De judicii expressione.—De enuntiatione, seu propositione.—Quid sit propositio.—Subiectum,—prædicatum,—copula quid sint.—Proprietates absolutæ et relativæ propositionum indicantur, et dividuntur primo ratione extensionis subjecti, seu quantitatis in universales, particulares, singulares et indefinitas.—Quid unaquæque sit.—Ad duas classes reducuntur et explicantur.</i>	93
<i>Lectio 18.^a—De propositionibus ratione formæ, seu qualitatis.—Qualitas primaria.—Quomodo prædicatum dicatur de subjecto habita ratione extensionis et comprehensionis ejus tum in affirmativis, tum in negativis.—Exceptiones. Qualitas secundaria.—Propositionum sensus;—sensus materialis,—formalis.—Formalis litteralis, seu obvius, mysticus. Horum sensuum divisiones.—Sensus compositus et divisus.</i>	100
<i>Lectio 19.^a—De variis propositionum speciebus ratione materiæ.</i>	104
<i>Lectio 20.^a—De proprietatibus relativis propositionum etc.</i>	112
<i>Lectio 21.^a—De transitu unius propositionis ad aliam, etc.</i>	119
<i>Appendix.—De variis propositionum nominibus, apud Geometras præsertim.</i>	125

<i>Lectio</i> 22. ^a —De ratiocinio, de ejus notione, natura et divisione.	126
<i>Lectio</i> 23. ^a —De argumentatione, et de syllogismo in genere.—Regula generalis.—Aliæ Regulæ. . . .	132
<i>Lectio</i> 24. ^a —De syllogismo simplici.—Explicatio regularum. De syllogismi figuris et modis. . . .	137
<i>Lectio</i> 25. ^a —De syllogismis compositis; de eorum regulis, et reductione ad simplices.—Formulæ. . . .	146
<i>Lectio</i> 26. ^a —De reliquis argumentationum speciebus, seu extra formam.—De enthymemate etc. . . .	153
<i>Lectio</i> 27. ^a —De Inductione—Hypothesi—Analogia.—Exemplo—et Parabola.	160
<i>Lectio</i> 28. ^a —De scientifica concertatione, deque ejus speciebus, et de syllogistica disputationis forma. . . .	167
<i>Lectio</i> 29. ^a —De fallaciis.—Quid sit fallacia,—quid sophisma,—quid paralogismus. Horum omnium variæ species examinantur et enodantur.	175

SECTIO TERTIA.

METHODOLOGIA.

<i>Lectio</i> 30. ^a —Quid sit methodus.—De analytica et synthetica, mixta,—Quænam præferenda.—Regulæ observandæ.—Quid sit demonstratio.—Quid probatio.—Demonstratio á priori et á posteriori.—De scientia totali et partiali etc.—Quædam principia.	181
<i>Lectio</i> 31. ^a —De vitiis methodi cartesianæ.—De Eclecticismo; ejus vitia.	188

APPENDIX.

De Methodo studendi.—De electione librorum, et de labore.	194
---	-----

LOGICÆ PARS SECUNDA.

CRITERIOLOGIA.

196

<i>Lectio</i> 32. ^a —De veritate. Quid sit veritas.—Quid sit falsitas. Definitio veritatis metaphysicæ, rei, et sermonis.—De variis circa veritatem animi statibus. . . .	197
<i>Lectio</i> 33. ^a —Prosequitur de statibus mentis circa	

veritatem.—De Dubio.—Opinione et Probabilitate.—Animadversiones quædam.—De suspitione. De Certitudine,—de speciebus certitudinis.—Utrum dentur in certitudine gradus.—Animadversiones.	203
<i>Lectio 34.</i> —De certitudinis existentia.—Brevis historia.	208
Propositio.— <i>Universalis dubitatio non solum physicè repugnat, sed etiam intrinsecam contradictionem involvit.</i>	210
<i>Lectio 35.</i> —De veritatibus primitivis.	214
Propositio.— <i>Tres recensitæ veritates, quoniam primitivæ, absque ulla demonstratione à philosopho admitti ut certissimæ et possunt et debent.</i>	217
<i>Lectio 36.</i> —De principiis certitudinis, et de principio à Quo.	219
Thesis 1. ^a — <i>Negatio intellectus cum se ipsa metaphysicè repugnat.</i>	221
Thesis 2. ^a — <i>Intellectus seipsum reflexe ignorare non potest.</i>	ib.
Thesis 3. ^a — <i>Intellectus non potest de seipso dubitare.</i>	ib.
Thesis 4. ^a — <i>Intellectus non potest se habere ut errori obnoxium circa seipsum.</i>	222
<i>Lectio 37.</i> —De realitate objectiva actuum intellectualium.	ib.
Thesis 1. ^a — <i>Intellectus negare non potest realitatem objectivam suorum actuum.</i>	ib.
Thesis 2. ^a — <i>Intellectus non potest reflexe ignorare realitatem objectivam suorum actuum.</i>	224
Thesis 3. ^a — <i>Intellectus non potest dubitare de realitate objectiva suorum actuum.</i>	ib.
Thesis 4. ^a — <i>Intellectus percipit, se non posse errare circa realitatem suorum actuum.</i>	ib.

SECUNDA CRITICES SECTIO.

DE PRINCIPIIS per Quæ.

Prænotanda.	227
<i>Lectio 38.</i> —De testimonio idearum, seu evidentix.	229
Prænotanda.	ib.
Propositio 1. ^a — <i>Evidentia intuitiva, seu immedia-</i>	

<i>ta, est motivum certitudinis infallibile circa rerum essentias.</i>	230
Propositio 2. ^a — <i>Evidentia discursiva, seu mediata est motivum certitudinis infallibile circa rerum essentias, seu, quod idem est: Cognitiones per ratiocinium comparatæ falsæ esse non possunt, si tamen ratiocinium et præmissis constet veris, et ad legitimam formam sit exactum.</i>	232
Nota 1. ^a —Corollaria.	233
Nota 2. ^a	235

APPENDIX.

DE IDEARUM UNIVERSALIUM OBJECTO.

Historia.	236
Propositio 1. ^a — <i>Habet mens humana ideas universales.</i>	239
Propositio 2. ^a — <i>Nihil est extra intellectum in rebus, ex se et ante omnem intellectus operationem universale.</i>	240
Propositio 3. ^a — <i>Universalitas omnis constituitur per intellectum cum fundamento in re.</i>	ib.
Respondetur difficultatibus.	243
Lectio 39. ^a — <i>De sensu intimo et conscientia.</i>	243
Quid sit sensus intimus,—quid conscientia, quod inter ea discrimen, et ab ea conscientia de qua loquuntur Theologi moralistæ, quid ista sit.	ib.
Nota.	245
Propositio.— <i>Sensus intimus est motivum veritatis assequendæ omnino infallibile, dummodo proprii objecti fines non exeat.</i>	246
Regulæ.	249
Dissolvuntur difficultates.	ib.
Lectio 40. ^a — <i>De Memoria. Prænotanda. Quid sit memoria. Conditiones. Quid sit memoria sensitiva; quid intellectiva.</i>	251
Propositio <i>Memoria quamvis debilitari, aut etiam deficere possit, nunquam tamen per se sanam rationem in errorem adducit.</i>	253
Respondetur difficultati.	255

<i>Canon.</i>	255
<i>Lectio 41.^a—De testimonio sensuum externorum.</i> Prænotanda. Quid sit testimonium sensuum, seu melius, sensationum. Animadversiones. Determinantur objecta uniuscujusque sensûs. Sensibilia per se, per accidens, communia. Sensatio relate ad intellectum duobus modis considerari potest.	256
Propositio.— <i>In sensationibus, prouti subjecti affectiones sunt, nulla potest esse falsitas.</i>	260
<i>Lectio 42.^a—Regulæ, seu conditiones adhibendæ in usu sensuum. Idealismi brevis historia.—Utrum animi activitas vel ipse Deus possint esse causæ, et rationes sufficientes apparitionum corporum, quas idealistæ ultro concedunt.</i>	261
Regulæ 1. ^a , 2. ^a et 3. ^a	262
Regulæ 4. ^a , et 5. ^a	263
Propositio 1. ^a — <i>Non ipsius animi actio, non Deus ipse sunt per se, sine corporibus, causæ sufficientes representationum sensibilium.</i>	265
<i>Solvuntur difficultates.</i>	269
<i>Lectio 43.^a—De certitudine testimonii sensationum.</i> Propositio. 2. ^a — <i>Ope sensationum nostrum, et ALIA extra nos posita corpora in se ipsis percipimus; seu: Ex relatione sensuum omnimoda certitudine judicamus existere corpora.</i>	272
<i>Nota 1.^a et 2.^a.</i>	ib.
Propositio 3. ^a <i>Per sensuum relationem certi quoque sumus tum de corporum qualitatibus absolutis, seu de sensibilibus communibus, tum de existentia legum naturæ.</i>	276
<i>Solvuntur difficultates.</i>	277
<i>Lectio 44.^a—De auctoritatis criterio. Prænotiones.—De Divini Testimonii utilitate, necessitate et certitudine. Divisio.</i>	279
Quid veniat nomine testis, seu Martyris.—Quid sit testimonium; res et facta dant testimonium. <i>Assensus. Jus testis. Testimonium Divinum, humanum, historicum,—dogmaticum.—Facta naturalia, supernaturalia. Testium species.—Narratio,—rumor. Quid sit Traditio.—quid Documentum,—quid Historia, hujus dotes.—Quid sit Monumentum. Nota circa actus fidei et actus scientiæ.</i>	284
	285

Propositio 1. ^a — <i>Dantur plures veritates, quæ absolute ac per se captum cujuscumque humanæ rationis excedunt.</i>	287
Propositio 2. ^a — <i>Veritates, quæ humanæ rationis captum excedunt, aliter cognosci non possunt, nisi per divinam Revelationem.</i>	289
Propositio 3. ^a — <i>Veritates, quæ sunt supra rationem, minime possunt dici esse contra rationem.</i>	290
Propositio 4. ^a — <i>Utile est humano generi, ac summo-pere conveniens, ut veritates quoque naturalis ordinis, quæ ad cognitionem sive Dei, sive moralium officiorum pertinent, fide divina accipiat.</i>	293
Nota.	ib.
Objectiones dissolvuntur.	295
Propositio 5. ^a — <i>Quæcumque docentis Dei testimonio nituntur, infinitam habent auctoritatem.</i>	296
Idem sentiendum est de Testimonio Ecclesiæ docentis.	ib.
Propositio 6. ^a — <i>Existit divina revelatio, quæ etiam veritates ordinis naturalis complectitur, eaque est præcipuum subsidium, quod Philosophus in investigatione veri tuto progreditur.</i>	297
Propositio 7. ^a — <i>Divina autem auctoritas non est unicum certitudinis motivum, neque ut motivum ordine primum haberi potest.</i>	298
Explicantur et dissolvuntur difficultates.	299
Lectio 45. ^a — <i>De testimonii humani utilitate et necessitate. De ejus certitudine quoad facta coæva.</i>	300
Propositio 1. ^a — <i>Utile est omnibus, immo plane necessarium, ut testimonio humano sive historico, sive dogmatico fidem in pluribus adhibeant.</i>	ib.
Propositio 2. ^a — <i>Humanum testimonium dogmaticum certitudinem proprie dictam ex se gignere non valet.</i> —Animadversio.	301
Gradus probabilitatis.—Animadversio.	303
Quæsitum. Utrum si omnes homines in unam conveniant sententiam, hæc sententia evadat erroris expers? Respondetur distinguendo.	303
Propositio. <i>Judicia sensûs naturæ communis falsa esse nequeunt.</i> Animadversiones.	304
Explicatur et dissolvitur difficultas.	305
Lectio 46. ^a —Prænotanda circa facta et circa testes.	307

Principia moralia.	308
Propositio. <i>Testimonium hominum circa facta coeca datis quibusdam conditionibus est motivum infallibile certitudinis.</i>	309
COROLLARIUM, <i>pro veritatibus quæ totius naturæ creatæ ordinem ac facultatem excedunt.</i> Confirmatur.	312
Solvuntur difficultates.	313
<i>Lectio 47.^a—De traditione orali.—Monumentis.— Et documentis, seu Historia.</i>	316
I.	
Propositio 1. ^a — <i>Traditio, quæ est constans et am- pla certam factorum præteritorum notitiam nobis largitur. Nota.</i>	317
Respondetur difficultati, et confirmatur assertio.	318
II.	
Propositio 2. ^a — <i>Monumenta certam notitiam fac- torum vel remotissimæ antiquitatis nobis comparant.</i>	319
Conditiones.	320
III.	
Propositio 3. ^a — <i>Historia tum vetus, tum recens certam præteritorum factorum notitiam nobis præ- bet, dummodo in ea critices regulæ serventur.</i>	ib.
Explicantur et solvuntur difficultates.	322
<i>Lectio 48.^a—APPENDIX. De arte Critica et Herme- neutica. Quid hæ artes sint.—Prænotanda.</i>	325
§. I. Regulæ circa testes.	326
II. Regulæ circa modum narrandi	328
III. Regulæ circa facta.	329
IV. Regulæ ad discernendum libros genuinos et integros á spuriiis et corruptis, <i>indicia interna, ex- terna.</i>	ib.
DE HERMENEUTICA.	331
Regulæ circa versionem.	ib.
Circa interpretationem Sacræ Scripturæ.	ib.
Circa interpretationem aliorum scriptorum.	332

Lectio 49.^a—De analogia, quid sit. Analogia physica, moralis stricta et secundum quid. 333

Propositio.—*Analogia physica physicam præbet certitudinem: analogia moralis STRICTA dat certitudinem metaphysicam; analogia autem moralis SECUNDUM QUID non dat nisi probabilitatem.* 334

TERTIA CRITICES SECTIO.

DE VERITATIS CRITERIO; SEU, DE PRINCIPIO SECUNDUM *quod*.

Lectio 50.^a—Quid hoc criterium sit.—Ejus definitio. 335

Falsæ nonnullorum positiones et vitia. 336

Conditiones ad primum principium. 337

Notiones evidentiae et divisiones. 338

Propositio 1.^a—*Ratio individua, id est, intellectus hominis individui actu percipiens necessitatem rei; seu, evidentia habet omnes conditiones ad primum certitudinis principium; est igitur criterium secundum quod ultimato veritatem à falsitate distinguimus.* 341

Corollaria. 342

Propositio 2.^a—*Doctrina, quæ rationem individuum tanquam principium certitudinis statuit, vera est in se, et in suis consecrariis; doctrinæ catholicæ consona; diversa à methodo rationalistarum et hæreticorum; et tuta tum in rebus philosophicis, tum in rebus Theologicis.* 343

Respondetur præcipuis adversariorum scrupulis. 347

Lectio 51.^a—Corollarium ex tota critica contra rationalistas et traditionalistas. 349

Conclusio. 353


Correctiones. 354

SL 1159 (Vol.1)

40213



40000126567





P. ALVAREZ
A JESU.



LECTIONES
PHILOSOPHICAE



VOL. I



SL

1.159

(V. 1)

